ULRICI HUBERI

JCti & Antecessoris Franequerani

OPERA MINORA

ET

RARIORA,

JURIS PUBLICI ET PRIVATI.

Edidit suisque Animadversionibus Illustravit

ABRAHAMUS WIELING,

JCtus & Antecessor Trajectinus.

TOMUS SECUNDUS.

TRAJECTI AD RHENUM,
Sumtibus J. H. VONK VAN LYNDEN,
M. D. CC. XLVI.

ULRICI HUBERI

INSTITUTIONES

JURIS FRISICI.

INSTITUTIONUM URIS FRISICI,

Quatenus à Romano discrepat,

LIBER I. CAPUT I.

De Legibus.

Risiæ, quæ est *inter Flevum & Lavicam*; Patriæ nobis dulcissimæ; Leges succin-positionibus tradere consilium (1)

Quatenus quidem à Romano discrepant, bonâ spe, fore, ullum magis comptum, mi-e barbarum in Europâ exi- videatur, nisi quid referen-tio inde fuerit detritum.

Igitur Leges Frisiorum ho-æ sunt vel Fundamentales udiciales: de his sunt libri *torum*; de illis loquuntur *annua mandata* Procuratorum Reipublicæ. (2)

4. Nihil magis prædicari, nihil minus intelligi quam leges *Fundamentales*, non abs re dixit ille Malmesburiensis, *Hobbesius* inquam. (3)

5. Nostratibus id palam accidit, dum alii nullas, alii infinitas adserunt, ut studia sunt hominum, Proceribus aut adulantium, aut detrectantium.

6. Quæcunque sunt, eas *non scriptas* oportet esse, nam Corpus earum exstat nullum.

7. Quod enim aliqui *Statuta* ipsa

Illustris Auctor mutato consilio vernacule maluit *Jus Patrium* tradere, edito opere, iterum recuso, *Jurisprudentiae Hodiernae*.

Vid. Auctor sup. in *Instit. Reip. Sect. I. cap. 21. § 18. seq. p. 59.* nec non *Jure Imp. cap. VII. § 14. seqq. p. 30. & seq.*

n *Leviathane, cap. 26. & cap. 29.* Conf. sup. *Inst. Reip. Sect. I. cap. 10. § 4.*

ipsa volunt esse leges fundamentales, non habet rationem, ut examinanti singula *Statutorum* capita facile apparebit.

8. Dicamus primo quid sint, dein quæ sint, facilius constabit. Vox ipsa suggerit definitionem, *super quas fundata est Respublica.*

9. Jam quid *Respublica* est? Τάξις πόλεως, sive ordo civitatis, consistens in regimine summæ potestatis, & subjectione reliquorum, per medios magistratus, fere ut *Aristot. lib. III. Polit. cap.* 6. (4)

10. Oportet igitur Leges Fundamentales esse regulas, quibus ordinatur, *primò* summa potestas; *secundo* jus subjectorum; *tertio* facultas Magistratuum.

11. Quæ autem de singulis capitibus leges obtineant, huic loco non convenit, alia forsitan inferius occasio dabitur.

12. Quod ad *Judiciales* attinet, non defuere veteribus Frisiis suæ leges, sed furor temporum Schiringicorum, & immodica libertas, omnes fere sustulerat, cum *Albertus Saxo*, sub finem seculi quinti decimi, rempublicam occuparet. (5)

13. Cui proinde nil prius fuit, quam ut solum Jus Romanum novo quasi populo imponeret, quod exinde nusquam in Europâ liquidius observatur. (6)

14. Mutatio tamen Rerum publicarum, & temporum, & negotiorum, multa invexit Romanis incognita, quæ systema *Statutorum* & *Praxin* fecerunt.

15. Horum fundamenta rationesque nos breviter & clarè tademus, more *Positionum*, sicut Justiniani libros perstrinximus; ita ut hæ, cum Positionibus Justinianæis, complexionem universi Juris, quod *homo Frisius* scire debet, exhibeant, omnia suo tempore latius prosequenda, si volet Deus, & tempus nostrum patietur.

16. Ideo nec *Res judicatas* nunc addemus, nisi quæ obiter, & paucis

(4) Qua de re & supra actum in *Inst. Reip. Sect. I. cap.* 1. § 1.

(5) De factionibus *Schiringorum* & *Vetcoperorum* Auctor pluribus egit in *Hist. Civ. part. II. lib. I. Sect. III. cap.* 10. *p.* 244. *seqq.* Originem earum & progressum diligenter notavit Emmius *lib. XIV. Rer. Fris. sub initium*, circa initium fere saeculi XIV. usque ad exitum saeculi insequentis, *p.* 200. 228. & *lib. XXXVII. p.* 562. *seqq.* Nomen & usum utriusque vocabuli illustrat P. Winsemius in *Chronico ad annum* 1287. *fol.* 175. *init. a.*

(6) Vid. sup. ad *p.* 297. *not.* (6)

paucis verbis commemorari possunt. (7)

17. Igitur Jus apud nos, perinde ac alibi, est vel scriptum vel non scriptum, sive leges aut consuetudines; *Placaaten & Costumen*, ut est in inscriptionibus articulorum, per omne corpus *Statutorum.*

18. *Jus scriptum* primo est Romanorum, dein Statuta, quæque postmodum ab Ordinibus decreta & publicata sunt, sive novas res Jure Cæsareo incognitas ferant, sive etiam Romanis legibus derogent.

19. Diximus, *decreta & publicata*, cum hoc animo, ut pro legibus valeant; etenim alia Ordinum decreta, rescripta, mandata, inter alias partes apud Curiam vim juris nunquam obtinuerunt, sed bene respectu eorum, ad quos se referunt Ordines, & quibus præscribunt.

20. Nec etiam Privilegia certis personis indulta nocent aliis, nisi vocatis iis, quorum interest, actis Curiæ legitime insinuata fuerint. *Sand. lib.* 5. *tit.* 2. *in princ.* (8)

21. Præterea, quæ *Senatus* ad stylum fori gubernandum in Curiâ promulgat, ea pro legibus servantur.

22. *Consuetudines* à Statutis diversæ vix ullæ reperiuntur; nam quæ agnitæ fuerunt, omnes in corpus Statutorum redactæ sunt.

23. Intellige Consuetudines *totius Frisiæ*; si qua sint *localia* Instituta, hæc valent, quatenus Statutis non adversantur, *arg. l.* 9. *ff. ad l. R d. jact.*

24. At semper advertendum, ne Instituta præpostera, & ex Juris imperitiâ orta, pro Consuetudinibus habeantur; cujusmodi exemplum habes apud *Sandium lib.* 3. *tit.* 6. *defin.* 8. & dantur plura, quam credibile sit. (9)

25. *Praxis*

(7) Addidit eas Auctor, passim in Opere vernaculo *Iurisprudentiae Hodiernae*; [t]um in primis Auctoris filius, *Zacharias Huber*, tribus voluminibus; uno *Casuum* [E]*nucleatorum*, & secundo tertioque *Observationum Forensium*. Et egregios con[at]us hosce, bene de patria, bene de Iurisprudentia merendi, nuper admodum sat [a]equis passibus aemulari instituit Amplissimus Senator, *Dominicus van Hamerster*, [m]agni *Ulrici* nostri ex adfinitate nepos, editis ad Frisiae Statuta utilissimis commen[t]ariis, quae & spem novarum brevi accessionum nobis faciunt. Memini jam obiter [c]ujus operis, sup. *ad Orat. VI. p.* 136. antequam haec foro patrio nova lux ad[f]ulsisset.

(8) Quam insinuationem vulgo *Interinimentum* vocamus. Conf. Auctor in *Jurispr. Hod. lib.* 1. *cap.* 11. § 25. & 36. *pag.* 7. *ed. nov.*

(9) De errore Ius non faciente, vid. Jac. Gothofredus in *Diss. de Elect. Magistr. inhab.*

25. *Praxis Curiae* valet etiam, ut Consuetudo. Gailius *lib.* 1. *observ. cap.* 1. *in princ.* modo non expresse legibus aut statutis adversetur.

26. Nam haec per *stylum Curiae*, neque debent, neque possunt abrogari, *l.* 2. *C. quae sit long. consuet.* quod magni refert bene servari; nam haec res οὐκ ὀρθῶς καὶ-ται, & praetextu aequitatis, sub auctoritate praxeos, saepe contra leges perniciose erratur. (10)

27. Faciemus *sex* hujus tractatus *sectiones*, sive libellos. 1. de Jure *Personarum*. 2. de Jure *in Re*. 3. de *Obligationibus*. 4. de *Criminibus*. 5. de *Praeparatoriis Judicii*. 6. de *Judicio* ipso, sive de *Processu*.

inhab. De erronea Advocatorum praxi, egit aeterno opere *Ant. Faber*, adversante ipsi, ut solet, *Reinh. Bachovio*, in Exercitationibus eiusdem argumenti. Hunc ipsum vero Auctoris locum uberius expositum vide, in *Praelect. ad Pand. tit. de Legib.* § *ult.* & *in Jurisp. Hod. lib. I. cap. II.* § 56. & *seqq.*

(10) Qua de re & conquestus est Auctor *sup. p.* 290. *not.* (3)

CAPUT II.

De Statu Hominum.

1. Quatuor Hominum ordines olim in Frisia fuere, Nobiles, Ingenui, Liti, Servi. *Schotanus in Descript. Fris. cap.* 2. *in fin.* (1)

2. Qui fuerint *Liti*, parum expedi-

(1) Apud veteres Germanos, auctore Tacito, *de Mor. Germ. cap.* 7. 11. 12. 13. 20. & 25. duo in universum hominum genera distinguebantur, Liberorum & Servorum: *illi* vel Ingenui erant, vel Liberti: *Ingenui* porro, & Nobiles, & horum praecipuos pace belloque Principes, complectebantur. *Liberti* vero, in agris fere agentes, non multum supra servos erant. Quae rerum facies ad *Henricum Aucupem* usque stetisse legitur, saeculo iam inito post Christum decimo; condi oppidis tum primum coeptis, novoque adeo ordine *Burgensium*, seu *Civitatensium*, exorto; e Nobilibus ceterisque Ingenuis, Libertis item libertinisque derivato. De priori illa distinctione passim aevi medii Scriptores, uti etiam Collectores Capitularium, eosque inter Steph. Baluzius *tom. I. in Capitulari de partibus Saxoniae*, § 14. *p.* 253. ubi Saxones in tria hominum genera, *Nobiles*, *Ingenuos*, & *Litos*, praeter servos, distincti memorantur. Wittechindus proinde *lib. I. Annal. p.* 634. *ed. Meib.* triformi eos & genere, & lege, usos ait; quartum *Servorum* genus addit Eginhardus apud Ad. Bremens. *lib. I. Hist. Eccl. cap.* 5.

editum est; ego non dubito quin fuerint adscriptitii, quales hodieque passim in Europâ supersunt, homines proprii, certis fundis colendis addicti.

3. Et vocati fuere *Liti*, non à Frisico *Lytse*, quod significat humile, seu parvum, ut vult Siccama ad *ll. Frif. tit.* 1. sed à *Litten*, Belgicè *Liten*; sicut Flandri adhuc adscriptitios vocant *Laten*, quia relinquuntur, & collocantur in agris, ut ipse Siccama non ignorat. *d. loc.* (2)

4. *Servorum* & *Litorum* vestigia penitus exstincta sunt: *Nobiles* & *Ingenui* supersunt. (3)

5. Sunt autem *Nobiles in Frisia*, qui vel à Principibus tales sunt creati; vel à populo hac appellatione per tempus immemoriale sunt honorati; & quo antiquior hic usus, eò clarior est nobilitas. (4)

(2) *Litos* plane eosdem esse ac *Latos*, dubium hodie nullum est, a manumissione ita dictos, etiam *Frilazzos*, & simpliciter, *Lazzos*, proque varia dialecto, *Latos*, *Letos*, *Litos*, *Lidos*, *Litones*, *Leodes*, *Laudes*; unde vernacula ista, *Lüden*, *Lieden*, *Luiden*. Praenomine *Laas* etiamnunc Frisios uti quis nescit? Et quid disertius testimonio Nithardi *lib. IV. Hist. Franc. p.* 105. *ed. Schilt.* ubi qui ad *not. praec.* Nobiles, Ingenui, Liti; hic patriis nominibus *Edelingi*, *Frielingi*, & *Lazzi* adpellantur. Aliorum loca, veterum & recentiorum, post du Fresnium in *Gloss. med. & inf. lat.* cumulavit Joach. Potgiesser, *de Condit. & Statu Servor. apud Germ. lib. I. cap. III.* § 32. *seqq.*

(3) Extra Frisiam tamen in vicinis Germaniae magnae regionibus, non *servos* tantum *colonarios*, *libertosque* superesse; verum non paucas quoque veteris istius iuris reliquias, in variis *servitiorum rusticorum* generibus passim obtinere, tum Gelrorum, tum aliorum in Belgio consuetudines & statuta ostendunt. Vid. Ant. Matthaeus in *Comm. ad Instit. de Iure Person.* § 1. *num.* 5. *seqq.*

(4) *Frisicae* origines *Nobilitatis*, certa monumentorum fide, a *Carolingicis* usque temporibus, repeti ostendique posse, hujus loci non est, ut operose evincam. Piarum instrumenta fundationum, uti Abbatiae S. Benedicti *Cammingarum* in Amelandia; epitaphia hodiedum in templis ruralibus reliqua, veluti *Burmaniarum*, in Stiensedano S. Viti, vulgo *Stiens*, aliaque complura, neminem sinunt dubitare. Ceterum tamen sub auspicia regiminis Saxonici, quandam familiarum censuram, novumque Nobilitatis quasi delectum, institutum fuisse, Scriptores tradunt; a quo tempore Nobiles, sicut olim Romani Senatores sub Tarquinio Prisco, in duas velut classes distingui coepere, *maiorum minorumque gentium*. Vid. series omnium apud Chr. Schotanum *lib. XV. Hist. Fris. p.* 525. *seqq.* qui ex Winsemio descripsit in *Chron. Fris. lib. XIII. p.* 402. *seqq.* Confer quoque sis Mart. Hamconium in *Frisia sua*, *p.* 88. *b.* ubi & Upcomis Burmaniae liber *de genealogiis Nobilium Frisiae*, ad marginem citatur. Et priorem Ordinum classem Nobiles istos in Frisiae Comitiis, supra omnem hominum memoriam constituisse, perpetua usque gentis consuetudo ostendit. Novos a Principibus exteris creatos Nobiles Frisia ignorat, certe haud agnoscit, nisi

6. *Ingenui* sunt, vel *Proprietarii*, vel *populares*: *Proprietarii*, qui habent agros publico jure suffragii præditos; *Populares* sunt Urbani, vel Agricolæ. (5)

7. *Urbani* per excellentiam *Cives* dicuntur, cum alioqui omnes, qui sedem fortunarum perpetuam in Frisia collocarunt, pro civibus habendi sint. (6)

8. Qui vero ad tempus in Provincia commorantur, *Advenæ* & *Inquilini* dicuntur. (7)

9. Olim erant etiam *Clerici* vel *Laici*, sed Reformatores Ecclesiæ sic rationes suas inierunt, ut Ecclesiastici vix ullo jure præcipuo in Republica gaudeant.

10. Reliquæ personarum differentiæ, quas habuimus ad *tit. ff. de Statu hominum*, nec repetimus, apud nos eundem habent sensum & usum. Nisi quod de *pauperibus* singularia quædam habemus, ut *infra* patebit, *cap.* 13.

C A-

nisi titulo tenus; quod & ceterae fœderatarum nationum observant. Ne tamen suo quis arbitrio insignia sibi, iuraque patriae avitaeque nobilitatis temere arroget, Supremae Curiae iurisdictio est. Vid. Auctor noster, tum in Opere *de Jure Civit. lib. II. Sect. II. cap.* 4. tum in *Jurispr. Hod. lib. I. cap.* 4. § 27. *seqq.*

(5) *Proprietarii* in Frisia alteram Ordinum classem efficiunt, ab immemoriali usque tempore; sique *indigenae* sint, ego nullus dubitem, ab *Ingenuis* Germanorum, apud Tacit. *d. l.* eorum & originem, & iura repetere. *Extraneos* vero, proprietatis quidem & suffragii, non ingenuitatis vero Frisicae iure, censeri putem; nisi per *naturalisationem* expressam vel tacitam. Alii proinde originis intuitu, avitae prosapiae Patricii, *Eigen-Erfde*; alii simpliciter Proprietarii accuratius dicerentur, *Eigen-Eerde.*

(6) Quos Auctor *populares* vocat, proprio vocabulo *plebeii* adpellantur, sive in oppidis, sive ruri degant. Iidem *Cives* etiam, si originarii sint, recte vocabuntur; eoque nomine ab *incolis*, qui peregre oriundi perpetuum in Frisia domicilium posuerunt, distinguentur; secus atque peregrinantes exteri quos Auctor *advenas* & *inquilinos* vocat, § *seq.* id est, subditos tantum temporarios. Confer sis Auctoris opus *de Jure Civit. lib. II. Sect. II. cap.* 1. *seqq.* & quae supra habuimus, in *Institutt. Polit. Sect. II. cap.* 3. § 5. *p.* 79.

(7) Excepta tamen, in Foederato Belgio, *Dioecesi Traiectina*, inter cuius Ordines primum locum obtinent *Electi* ex quinque maioribus *Capitulis*, 1. fundatae a Bonifacio, anno forte 753. Ecclesiae *Cathedralis* S. Martini; 2. *S. Salvatoris*, sive veteris Monasterii à Willebrordo conditi anno forte 698; 3. *S. Petri* a Bernulpho Episcopo, circa medium saeculi XI. 4. *S. Ioannis* ab eodem Bernulpho extructae, post Petrinam, aliquot annorum intervallo; & 5. *S. Mariae* ab Imperatore Henrico IV. sub finem eiusdem saeculi XI. quae omnes suffragii iure in eligendo Episcopo utebantur, ex privilegiis nostrorum Imperatorum. Vid. Ant. Matthaeus, *de Fundatt. Eccles. lib. I. cap.* 1. & *seqq.* & *lib. II. de Nobil. cap.* 45. & *seqq.* *item lib. III. cap.* 1. denique in notis ad Anonymum, *de Reb. Trai. p.* 195. *seqq.*

CAPUT III.

De Matrimonio. (a)

1. Cives feruntur in *Matrimonio*, quod ut in Frisiâ ritè contrahatur, ter promulgandum est in Ecclesia, vel si contrahentes sint *heterodoxi*, in judicio, sub poena 12. florenorum Caroli, & post tres septimanas, sub poena 24. florenorum, post alias tres sub arbitrariâ poenâ, *lib.* 1. *Stat. tit.* 1. *art.* 11. (b)

2. *Promulgatio* & *celebratio publica*, sive in Templo, sive in Curiâ fiat, est civilis instituti; ideoque ab Senatu Supremo ministris sacrorum imperari potest, ut admodum nuper factum Synedrio Civitatis *Doccumanae*, *anno* 1681. quod detrectabat publicare par hominum, qui per sententiam Curiae juncti fuerant matrimonio; salvâ nihilominus, opinor, *Ecclesiae* sua censurâ. (c)

 3. Ne-

(a) Vid. Auctor in *Jurisprud. Hod. lib. I. cap.* 5.

(b) Ibid. § 22. *Heterodoxos* vero Auctor intelligit omnes aliarum sectarum Christianos, publice permissarum, vel toleratarum.

(c) *Cit. loc.* § 23. Hierologiam cum ceteris solemnibus *civilis* esse *instituti* recte Auctor observat, adeoque ab arbitrio pendet politici magistratus, post eiuratam cum Papismo de matrimonii Sacramento doctrinam, cui sane occasionem ista Sacerdotum benedictio praebuit, è Judaismo olim derivata, sed arbitraria, donec publica eam sanctione omnibus imperaret Leo VI. in *Nov.* 74. 89. & 112. Conf. Ius Gr. Rom. *tom.* 1. *lib. II. p.* 134. & *lib. VIII. p.* 500. *seq.* ubi eiusdem argumenti constitutio est Alexandri Comneni Imp. tum Harmenopulus in *Prompt. lib. IV.* § 21. *ibiq. Schol.* De Iure Canonum, isto ambitionis clericalis spirantissimo folle, praeter Interpretes Decretalium, *ad tit. de Clandest. despons.* & *ad tit. de Divort.* videsis Lancellottum *lib. II. Inst. Iur. Can. tit.* X. § 17. *ibiq. Thomas.* & Concilium Tridentinum, *Sess. XXIV. tit. de Reformat. matrim. can.* I. *tunc. lib. VII. Decret. in lib. IV. tit. I. cap.* 2. Utinam vero in Germania, Anglia, ceterisque Protestantium terris, benedictionis necessitas, insignisque abusus, una cum ceteris Papismi reliquiis, nostrorum imitatione Belgarum, cum pulvisculo tandem aliquando everrerentur. Vid. Io. Sam. Strykius, in *Diss. de Reliqq. Papismi*, & Illustris Boehmerus, in *Iure Eccles. Protest. lib. IV. tit.* 3. § 40. & *seqq.* Quae denique Auctor de *salva Ecclesiae censura* subiicit, si de *publica* intelligantur (privatam enim admonitionem unicuique Christiano, ut fratri erga fratrem, competere fateor) non aliter me quidem adsentientem habebunt, quam salva auctoritate forensis

3. Neglecta tamen publicatio non habet poenam *nullitatis*; Ideoque, si aliunde probetur consensus matrimonialis, habetur pro conjugio, & liberi inde nati sunt legitimi. *Sand. lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 1. (d)

4. Matrimonium a filio, vel filiafamilias, *sine patris consensu* initum, non modo nullum est, *Sand. lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 1. 2. & *seqq.* sed etiam qui tales conjunctiones suâ praesentiâ laudant, vel contrahentes recipiunt, *centum Carolinis*, aut gravius puniuntur, *d. tit. stat.* 5. 8. (e)

5. Praeterea, qui duxit filiamfam minorem annis 20. aut quae nupsit filiofam. minori annis 25. nihil lucri ab illo illave, mortis caussa, vel inter vivos, percipere potest; idque tametsi parentes consensum suum *post concubitum* adhibuerint, *d. t.* 1. *art.* 6. (f)

6. Eadem sanctio locum habet in his, qui quaeve sub *Curatoribus* agunt. *d. t* 1. *art.* 10.

7. Et Sandius vult, ac ita ferè jus dicitur, matrimonium puellae infra annos 20. & adolescentis infra 25. sine consensu curatoris initum insuper esse ipso Jure *nullum*, *lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 6. (g)

8. Idem statuit, filiamfamilias majorem annis 25. *sine patris consensu*, validum inire posse matrimonium, *d. t.* 1. *def.* 5.

9. Ego *neutrum*, quod sine invidia sit dictum, Statutis expressum, vel Juris Civilis rationi consentaneum, esse existimo.

10. De filiafamilias, majore 25. annis, probat suam sententiam Sandius, ex *Nov.* 115. *c.* 3. § 11. Atqui nihil ibi, quam quod filia perfectae aetatis, si in corpus suum peccaverit, *exheredari* nequeat, habetur.

11. Si in tantum ignoscatur impatientiae virginis, à Patre vel a procis tam diu neglectae, ideone totus actus subsistet?

12. Ex

sis Protestantium paroemiae: *Ecclesia sequitur Iudicem*; ne scilicet ad Ecclesiae independentiam, nescio quam, id est, ut ego interpretor, ad Papatum, postliminio redeamus. Verum hac de re Illustris Auctor professa opera commentatus est, in Opere *de Iure Civit. lib. I. Sect. V. cap.* 1. *seqq. ibidemq. Thomas. in Schol.*

(d) Vid. Auctor, in *Iurispr. Hod. d. lib. I. cap. V.* § 24. Nota vero est in contrarium doctrina *Canonica*, etiam inter Protestantes, extra Belgium Foederatum, passim recepta; distinctioque inter matrimonium legitimum, & ratum, *cap.* 7. & 8. *X. de Divort. iunc. cap.* 2. & 3. *X. de Desponsat. Impubb.* Conf. Böhmerus, tum *d. l.* tum in *Diss. de Incongr. Praxi distinct. Spons. de praes. & de fut.*

(e) In *Iurispr. Hod. d. lib. I. cap. V.* § 41. *seqq.*

(f) Ibid. § 46. *seq.*

(g) Ibid. § 56. *seqq.* Conf. Zach. Huber, *tom. I. Rer. Iud. cap.* 1.

12. Ex remissione *pœnæ* factâ, non sequi validitatem nuptiarum docuit Sandius, *d. lib.* 2. *tit* 1. *def.* 5. *in fin.* quur ob remissam exheredationem magis convalescent?

13. Et quur ætas 25. annorum sexum sequiorem magis subducet patriæ potestati, quam *filios*, de quibus textus non loquitur, nec Sandius sentit?

14. Rectius igitur haudubiè, nec pauci sunt, qui filiam majorem ab *exheredationis* fulmine liberant, at Jure nuptam minime statuunt, nec aliter Justinianus in *d. N.* 115. *c.* 3.

15. De Nuptiis puellarum, inſciis *Curatoribus* initis, sic ratio est nostra:

16. Si pœna statuti non tollat id, quod Jure Communi præcipitur, sed cum eo conciliatur & jungitur, modò possint simul habere locum, ut Sandius ipse docuit *def.* 1. *ỿ. quod si verò lex.* & *def.* 5. *in f.* cur non idem hic fiat?

17. Nemo ducat puellam, ignaro *Curatore*; sin, *nihil unquam ab eo lucrari potest*; hactenus recedit Statutum à Lege Romana, quid vetat juxta hanc pœnam consistere matrimonium?

18. An verba Statuti, *art.* 10. *ne contrahant &c.* atqui de clandestinis, in *d. t.* 1. *art.* 6. 7. 8. 9. perinde ait; *nemo contrahat nuptias, nisi post trinam proclamationem, & benedictionem ecclesiasticam, sub pœna pecuniariâ.* Hic sola mulcta habet locum, & nuptiæ valent, etsi æque valida sit prohibitio: quid ni & heic Statutum concilietur cum Jure Romano, quatenus illud non mutat?

19. At aliter, inquam, jus dictum est, & quod putem, bono publico; sed aliud est intelligentem Juris conditorem, aliud bonum conditi juris interpretem esse; neque *praxis* legi aut rationi unquam præscribit. (h)

20. Cæterum, iniqua Curatoris negatio à propinquis cum *autoritate Judicis* emendari potest, *d. t.* 1. *art.* 10. Imo etiam parentum iniquitas, ut videtur ex *art.* 6. *in med. verf. Aut à Magistratu.*

21. Cætera, quæ sunt in *d. t.* 1. nihil discrepant à Jure Civili, & Mosaico, nisi monendum sit, Ministros Verbi Divini, & Magistratus, si de jure conjunctionis alicujus dubitent, rem ad *Curiam* deferre debere, sub arbitraria pœna, *art.* 12. *Stat. d. l.*

(h) Et contra certissimas hasce theoriae rationes, in Suprema Curia ius suo quoque tempore dictum fuisse, Ampl. Senator Zach. Huber. *d. l.* testatur.

22. Prohibitio matrimonii inter Curatorem, ejusque filium, & nepotem, ac adultam, quæ sub ejus cura est, (*l. 66. pr. ff. de Rit. Nupt.*) cessare videtur in Frisiâ, quia vir ipso jure Curator est uxoris suæ. *Herbaius cap.* 13. *Rer. Quotid.* § 11. (i)

23. De *Secundis Nuptiis* nihil habemus peculiare, nisi quod annus luctus coarctatur ad novem menses, sub pœnâ arbitrariâ *d. t. art.* 13.

24. Ibidem viris quoque tempus honestatis injungitur, at sine certo præscripto temporis, aut pœnæ, nisi regula generalis, quæ jubet omnes excessus animadverti, forte huc produci queat, *lib.* 2. *t. ult. art.* 2. *Stat.* (k)

25. De *Divortio*, quod vinculum matrimonii solvit, nihil speciale cautum est; at sævitia vel contumacia conjugum, carcere, mulctave, sicut res postulat, cohibetur, *d. t.* 1. *art.* 14. (l)

26. Adversus *Mennonitas*, qui conjuges prætextu censuræ Ecclesiasticæ separant, mulcta statuitur centum aureorum equitum, primâ, & altera vice tantundem, cum perpetuo exilio, *d. t. in fin.* (m)

(i) Iurispr. Hod. *d. l. I. cap. V.* § 94. *seqq.*
(k) Ibid. *d. lib. I. cap. VII.* § 1. *seqq.*
(l) Ibidem *cap. VI.* addita quoque *Separatione tori & mensae*, quae inter alias Papismi reliquias pessimo publico in foris retinetur.
(m) Ibid. *d. cap. VI.* § *ult.*

C A P U T IV.

De Accessoriis Matrimonii. (1)

1. *Accessoria* matrimonii sunt, arrha, sponsalitia largitas, dos, & dotalitium. (2)

2. *Arrham* plerumque vir tradit feminæ; quamquam hodie vix aliter, quam à plebe usurpatur; priusquam consenserit, ad deliberandum, ut loquuntur; quæ matrimonio secuto, pleno jure fit, manetque mulieris, ex more gentis;

(1) Vid. *Iurispr. Hod. lib. I. cap. VIII.*
(2) Ibid. in *Rubr.* & § 1. Auctor recte addit quinto loco *Pacta Dotalia*, de quibus etiam inf. § *ult.* agitur.

is; secus ac ratio Juris Communis dictaret. *Sand. lib.* 2. *t.* 2. *def.* 8. (3)

3. An viro integrum est *poenitere*, dum mulier habet arrham, priusquam illa consensum declaraverit? Non posse, feminâ invita, judicatum est à Senatu, teste Gaio Nauta, *decis. mss.* 24. tametsi res forte dubio non careat. (4)

4. De *sponsalitiis largitatibus* nihil novi habemus, quod discrepet à jure communi. vid. *Sand. l. tit.* 2. *def.* 1. (5)

5. *Dotes* etiam ex praescripto Juris Communis ordinantur; nisi quod prohibitio alienationis in casu, quo mulier consentit, in Frisia cessat. *Sand. lib.* 2. *tit.* 4. *def.* 2. Sunt tamen dotes infrequentiores, nisi quando parentes liberos suos elocant. Plerumque bona simpliciter inferuntur in communionem. (6)

6. Nec tamen fides habenda Wissembachio nostro, qui scribit ad *l.* 8. *C. de pact. convent.* discrimen dotalium & paraphernalium rerum in Frisiâ esse sublatum, per Statutum *lib.* 1. *t.* 2. ubi marito conceditur administratio rerum uxoris, *sine distinctione, dotales sint res, an paraphernales*; nam in illis verbis maxime firmatur, & supponitur illud discrimen. (7)

7. Verius est, *donationes propter nuptias*,

(3) Vid. *d. l.* § 2. & 3. Ratio ex natura aliarum omnium conventionum peti debet, quibus utrinque impletis arrhae invicem datae restituuntur, vel in pretium, mercedem, aut solutum imputantur, *l.* 11. § 6. *D. de Act. emt. vend.* & *l. ult. D. de Leg. commiss.* Lauterbach *de Arrha, cap. VIII. Sect. IV.* § 128. *seqq* Et quamquam Auctor in *Prael. Dig tit. de Iure Dot.* § 13. dissentiat ob *l.* 3. *C. de Sponsal.* contrarium tamen verius videtur, nisi mutuae arrhae fuerint, & sine enormi alterius, damno *arg. l.* 4. *C. de Don. ante nupt.*

(4) Addesis *Praelect. Dig. tit. de Sponsal.* § 13. & eandem facti speciem, in *Jurispr. Hod. d. lib. I. c. V.* § 15. *seqq.* ubi tamen procus, ante elapsum deliberationis tempus, oblatae conditioni haud renunciaverat, poenitentiam suam inter amicos privatim solum testatus.

(5) Non tamen ullibi in foro, quod sciam, nova Constantini M. constitutio, in *l.* 16. *C. de Donatt. ante nupt.* hodie observatur, donatis utrinque isto casu restitui semper solitis. Vid. *Iurispr. Hod. d. lib. I. cap. VIII.* § 4. & *seqq.*

(6) Salva utrique coniugum suorum bonorum proprietate. *Iurispr. Hod. d. l.* § 8. *seqq.* & *toto cap. XI.*

(7) Vid. ibidem *cap. X.* Neque enim uxor bona sua omnia in dotem dare marito censetur, *l.* 4. *C. de Jure dot.* quod proprio instrumento declarandum est; quemadmodum ex Sandio Auctor, in *Jurispr. Hod. d. lib. I. cap. VIII.* § 15. & 16. *conf. cap. X.* § 13.

ipsa volunt esse leges fundamentales, non habet rationem, ut examinanti singula *Statutorum* capita facile apparebit.

8. Dicamus primo quid sint, dein quæ sint, facilius constabit. Vox ipsa suggerit definitionem, *super quas fundata est Respublica*.

9. Jam quid *Respublica* est? Τάξις πόλεως, sive ordo civitatis, consistens in regimine summæ potestatis, & subjectione reliquorum, per medios magistratus, fere ut *Aristot. lib. III. Polit. cap.* 6. (4)

10. Oportet igitur Leges Fundamentales esse regulas, quibus ordinatur, *primò* summa potestas; *secundo* jus subjectorum; *tertio* facultas Magistratuum.

11. Quæ autem de singulis capitibus leges obtineant, huic loco non convenit, alia forsitan inferius occasio dabitur.

12. Quod ad *Judiciales* attinet, non defuere veteribus Frisiis suæ leges, sed furor temporum Schiringicorum, & immodica libertas, omnes fere sustulerat, cum *Albertus Saxo*, sub finem seculi quinti decimi, rempublicam occuparet. (5)

13. Cui proinde nil prius fuit, quam ut solum Jus Romanum novo quasi populo imponeret, quod exinde nusquam in Europâ liquidius observatur. (6)

14. Mutatio tamen Rerum publicarum, & temporum, & negotiorum, multa invexit Romanis incognita, quæ systema *Statutorum* & *Praxin* fecerunt.

15. Horum fundamenta rationesque nos breviter & clarè trademus, more *Positionum*, sicut Justiniani libros perstrinximus; ita ut hæ, cum Positionibus Justinianæis, complexionem universi Juris, quod *homo Frisius* scire debet, exhibeant, omnia suo tempore latius prosequenda, si volet Deus, & tempus nostrum patietur.

16. Ideo nec *Res judicatas* nunc addemus, nisi quæ obiter, & paucis

(4) Qua de re & supra actum in *Inst. Reip. Sect. I. cap.* 1. § 1.

(5) De factionibus *Schiringorum* & *Vetcoperorum* Auctor pluribus egit in *Hist. Civ. part. II. lib. I. Sect. III. cap.* 10. *p.* 244. *seqq.* Originem earum & progressum diligenter notavit Emmius *lib.* XIV. *Rer. Fris. sub initium*, circa initium fere saeculi XIV. usque ad exitum saeculi insequentis, *p.* 200. 228. & *lib.* XXXVII. *p.* 562. *seqq.* Nomen & usum utriusque vocabuli illustrat P. Winsemius in *Chronico ad annum* 1287. *fol.* 175. *init.* a.

(6) Vid. sup. ad p. 297. *not.* (6)

paucis verbis commemorari possunt. (7)

17. Igitur Jus apud nos, perinde ac alibi, est vel scriptum vel non scriptum, sive leges aut consuetudines; *Placaaten & Costumen*, ut est in inscriptionibus articulorum, per omne corpus *Statutorum*.

18. *Jus scriptum* primo est Romanorum, dein Statuta, quæque postmodum ab Ordinibus decreta & publicata sunt, sive novas res Jure Cæsareo incognitas ferant, sive etiam Romanis legibus derogent.

19. Diximus, *decreta & publicata*, cum hoc animo, ut pro legibus valeant; etenim alia Ordinum decreta, rescripta, mandata, inter alias partes apud Curiam vim juris nunquam obtinuerunt, sed bene respectu eorum, ad quos se referunt Ordines, & quibus præscribunt.

20. Nec etiam Privilegia certis personis indulta nocent aliis, nisi vocatis iis, quorum interest, actis Curiæ legitime insinuata fuerint. *Sand. lib.* 5. *tit.* 2. *in princ.* (8)

21. Præterea, quæ *Senatus* ad stylum fori gubernandum in Curiâ promulgat, ea pro legibus servantur.

22. *Consuetudines* à Statutis diversæ vix ullæ reperiuntur; nam quæ agnitæ fuerunt, omnes in corpus Statutorum redactæ sunt.

23. Intellige Consuetudines *totius Frisiæ*; si qua sint *localia* Instituta, hæc valent, quatenus Statutis non adversantur, *arg. l.* 9. *ff. ad l. R d. jact.*

24. At semper advertendum, ne Instituta præpostera, & ex Juris imperitiâ orta, pro Consuetudinibus habeantur; cujusmodi exemplum habes apud *Sandium lib.* 3. *tit.* 6. *defin.* 8. & dantur plura, quam credibile sit. (9)

25. *Praxis*

(7) Addidit eas Auctor, passim in Opere vernaculo *Iurisprudentiae Hodiernae*; um in primis Auctoris filius, *Zacharias Huber*, tribus voluminibus; uno *Casuum Enucleatorum*, & secundo tertioque *Observationum Forensium*. Et egregios conatus hosce, bene de patria, bene de Iurisprudentia merendi, nuper admodum fae aequis passibus aemulari instituit Amplissimus Senator, *Dominicus van Hamerster*, magni *Ulrici* nostri ex adfinitate nepos, editis ad Frisiae Statuta utilissimis commentariis, quae & spem novarum brevi accessionum nobis faciunt. Memini jam obiter hujus operis, sup. *ad Orat. VI, p.* 136. antequam haec foro patrio nova lux adulsisset.

(8) Quam insinuationem vulgo *Interinimentum* vocamus. Conf. Auctor in *Jurispr. Hod. lib.* 1. *cap.* 11. § 25. & 36. *pag.* 7. *ed. nov.*

(9) De errore Ius non faciente, vid. Jac. Cothofredus in *Diss. de Elect. Magistr. inhab.*

25. *Praxis Curiae* valet etiam, ut Consuetudo. Gailius *lib.* 1. *observ. cap.* 1. *in princ.* modo non expresse legibus aut statutis adversetur.

26. Nam haec per *stylum Curiae*, neque debent, neque possunt abrogari, *l.* 2. *C. quae sit long. consuet.* quod magni refert bene servari; nam haec res ἐν ὀρθῶς κα-ται, & praetextu aequitatis, sub auctoritate praxeos, saepe contra leges perniciose erratur. (10)

27. Faciemus *sex* hujus tractatus *sectiones*, sive libellos. 1. de Jure *Personarum*. 2. de Jure *in Re*. 3. de *Obligationibus*. 4. de *Criminibus*. 5. de *Praeparatoriis Judicii*. 6. de *Judicio* ipso, sive de *Processu*.

inhab. De erronea Advocatorum praxi, egit aeterno opere *Ant. Faber*, adversante ipsi, ut solet, *Reinh. Bachovio*, in Exercitationibus eiusdem argumenti. Hunc ipsum vero Auctoris locum uberius expositum vide, in *Praelect. ad Pand. tit. de Legib.* § *ult.* & *in Jurisp. Hod. lib. I. cap. II.* § 56. & *seqq.*

(10) Qua de re & conquestus est Auctor *sup. p.* 290. *not.* (3)

CAPUT II.

De Statu Hominum.

1. Quatuor Hominum ordines olim in Frisia fuere, Nobiles, Ingenui, Liti, Servi. *Schotanus in Descript. Fris. cap.* 2. *in fin.* (1)

2. Qui fuerint *Liti*, parum expedi-

(1) Apud veteres Germanos, auctore Tacito, *de Mor. Germ. cap.* 7. 11. 12. 13. 20. & 25. duo in universum hominum genera distinguebantur, Liberorum & Servorum: *illi* vel Ingenui erant, vel Liberti: *Ingenui* porro, & Nobiles, & horum praecipuos pace belloque Principes, complectebantur. *Liberti* vero, in agris fere agentes, non multum supra servos erant. Quae rerum facies ad *Henricum Aucupem* usque stetisse legitur, saeculo iam inito post Christum decimo; condi oppidis tum primum coeptis, novoque adeo ordine *Burgensium*, seu *Civitatensium*, exorto; e Nobilibus ceterisque Ingenuis, Libertis item libertinisque derivato. De priori illa distinctione passim aevi medii Scriptores, uti etiam Collectores Capitularium, eosque inter Steph. Baluzius *tom. I. in Capitulari de partibus Saxoniae*, § 14. *p.* 253. ubi Saxones in tria hominum genera, *Nobiles*, *Ingenuos*, & *Litos*, praeter servos, distincti memorantur. Wittechindus proinde *lib. I. Annal. p.* 634. *ed. Meib.* triformi eos & genere, & lege, usos ait; quartum *Servorum* genus addit Eginhardus, apud Ad. Bremens. *lib. I. Hist. Eccl. cap.* 5.

peditum eſt; ego non dubito quin fuerint adſcriptitii, quales hodieque paſſim in Europâ ſuperſunt, homines proprii, certis fundis colendis addicti.

3. Et vocati fuere *Liti*, non à Friſico *Lytſe*, quod ſignificat humile, ſeu parvum; ut vult Siccama ad *ll. Friſ. tit.* 1. ſed à *Litten*, Belgicè *Laten*; ſicut Flandri adhuc adſcriptitios vocant *Laten*, quia relinquuntur, & collocantur in agris, ut ipſe Siccama non ignorat. *d. loc.* (2)

4. *Servorum* & *Litorum* veſtigia penitus extincta ſunt: *Nobiles* & *Ingenui* ſuperſunt. (3)

5. Sunt autem *Nobiles in Friſia*, qui vel à Principibus tales ſunt creati; vel à populo hac appellatione per tempus immemoriale ſunt honorati; & quo antiquior hic uſus, eò clarior eſt nobilitas. (4)

(Qq) *6. In-*

(2) *Litos* plane eosdem eſſe ac *Latos*, dubium hodie nullum eſt, a manumiſſione ita dictos, etiam *Frilazzos*, & ſimpliciter, *Lazzos*, proque varia dialecto, *Latos*, *Letos*, *Litos*, *Lidos*, *Litones*, *Leodes*, *Leudes*; unde vernacula iſta, *Lüden*, *Lieden*, *Luiden*. Praenomine *Laas* etiamnunc Friſios uti quis neſcit? Et quid diſertius teſtimonio Nithardi *lib. IV. Hiſt. Franc. p.* 105. *ed. Schilt.* ubi qui ad *not. praec.* Nobiles, Ingenui, Liti; hic patriis nominibus *Edelingi*, *Frielingi*, & *Lazzi* adpellantur. Aliorum loca, veterum & recentiorum, poſt du Freſnium in *Gloſſ. med. & inf. lat.* cumulavit Joach. Potgieſſer, *de Condit. & Statu Servor. apud Germ. lib. I. cap. III.* § 32. *ſeqq.*

(3) Extra Friſiam tamen in vicinis Germaniae magnae regionibus, non *ſervos* tantum *colonarios*, *libertoſque* ſupereſſe; verum non paucas quoque veteris iſtius iuris reliquias, in variis *ſervitiorum ruſticorum* generibus paſſim obtinere, tum Gelrorum, tum aliorum in Belgio conſuetudines & ſtatuta oſtendunt. Vid. Ant. Matthaeus in *Comm. ad Inſtit. de Iure Perſon.* § 1. *num.* 5. *ſeqq.*

(4) *Friſicae* origines *Nobilitatis*, certa monumentorum fide, a *Carolingicis* uſque temporibus, repeti oſtendique poſſe, hujus loci non eſt, ut operoſe evincam. Piarum inſtrumenta fundationum, uti Abbatiae S. Benedicti *Cammingarum* in Amelandia; epitaphia hodiedum in templis ruralibus reliqua, veluti *Burmaniarum*, in Stienſedano S. Viti, vulgo *Stiens*, aliaque complura, neminem ſinunt dubitare. Ceterum tamen ſub auſpicia regiminis Saxonici, quandam familiarum cenſuram, novumque Nobilitatis quaſi delectum, inſtitutum fuiſſe, Scriptores tradunt; a quo tempore Nobiles, ſicut olim Romani Senatores ſub Tarquinio Priſco, in duas velut claſſes diſtingui coepere, *maiorum minorumque gentium*. Vid. ſeries omnium apud Chr. Schotanum *lib. XV. Hiſt. Friſ. p.* 525. *ſeqq.* qui ex Winſemio deſcripſit in *Chron. Friſ. lib. XIII. p.* 402. *ſeqq.* Confer quoque ſis Mart. Hamconium in *Friſia ſua*, *p.* 88. *b.* ubi & Upcomis Burmaniae liber *de genealogiis Nobilium Friſiae*, ad marginem citatur. Et priorem Ordinum claſſem Nobiles iſtos in Friſiae Comitiis, ſupra omnem hominum memoriam conſtituiſſe, perpetua uſque gentis conſuetudo oſtendit. Novos a Principibus exteris creatos Nobiles Friſia ignorat, certe haud agnoſcit, niſi

6. *Ingenui* sunt, vel *Proprietarii*, vel *populares*: *Proprietarii*, qui habent agros publico jure suffragii præditos; *Populares* sunt Urbani, vel Agricolæ. (5)

7. *Urbani* per excellentiam *Cives* dicuntur, cum alioqui omnes, qui sedem fortunarum perpetuam in Frisia collocarunt, pro civibus habendi sint. (6)

8. Qui vero ad tempus in Provincia commorantur, *Advenæ* & *Inquilini* dicuntur. (7)

9. Olim erant etiam *Clerici* vel *Laici*, sed Reformatores Ecclesiæ sic rationes suas inierunt, ut Ecclesiastici vix ullo jure præcipuo in Republica gaudeant.

10. Reliquæ personarum differentiæ, quas habuimus ad *tit. ff. de Statu hominum*, nec repetimus, apud nos eundem habent sensum & usum. Nisi quod de *pauperibus* singularia quædam habemus, ut *infra* patebit, *cap.* 13.

C A-

nisi titulo tenus; quod & ceterae fœderatarum nationum observant. Ne tamen suo quis arbitrio insignia sibi, iuraque patriae avitaeque nobilitatis temere arroget, Supremae Curiae iurisdictio est. Vid. Auctor noster, tum in Opere *de Jure Civit. lib. II. Sect. II. cap.* 4. tum in *Jurispr. Hod. lib. I. cap.* 4. § 27. *seqq.*

(5) *Proprietarii* in Frisia alteram Ordinum classem efficiunt, ab immemoriali usque tempore; sique *indigenae* sint, ego nullus dubitem, ab *Ingenuis* Germanorum, apud Tacit. *d. l.* eorum & originem, & iura repetere. *Extraneos* vero, proprietatis quidem & suffragii, non ingenuitatis vero Frisicae iure, censeri putem; nisi per *naturalisationem* expressam vel tacitam. Alii proinde originis intuitu, avitae prosapiae Patricii, *Eigen-Erfde*; alii simpliciter Proprietarii accuratius dicerentur, *Eigen-Eerde*.

(6) Quos Auctor *populares* vocat, proprio vocabulo *plebeii* adpellantur, sive in oppidis, sive ruri degant. Iidem *Cives* etiam, si originarii sint, recte vocabuntur; eoque nomine ab *incolis*, qui peregre oriundi perpetuum in Frisia domicilium posuerunt, distinguentur; secus atque peregrinantes exteri quos Auctor *advenas* & *inquilinos* vocat, § *seq.* id est, subditos tantum temporarios. Confer sis Auctoris opus *de Jure Civit. lib. II. Sect. II. cap.* 1. *seqq.* & quae supra habuimus, in *Institutt. Polit. Sect. II. cap.* 3. § 5. *p.* 79.

(7) Excepta tamen, in Foederato Belgio, *Dioecesi Traiectina*, inter cuius Ordines primum locum obtinent *Electi* ex quinque maioribus *Capitulis*, 1. fundatae a Bonifacio, anno forte 753. Ecclesiae *Cathedralis* S. Martini; 2. *S. Salvatoris*, sive veteris Monasterii a Willebrordo conditi anno forte 698; 3. *S. Petri* a Bernulpho Episcopo, circa medium saeculi XI. 4. *S. Ioannis* ab eodem Bernulpho extructae, post Petrinam, aliquot annorum intervallo; & 5. *S. Mariae* ab Imperatore Henrico IV. sub finem eiusdem saeculi XI. quae omnes suffragii iure in eligendo Episcopo utebantur, ex privilegiis nostrorum Imperatorum. Vid. Ant. Matthaeus, *de Fundatt. Eccles. lib. I. cap.* 1. & *seqq.* & *lib. II. de Nobil. cap.* 45. & *seqq.* *item lib. III. cap.* 1. denique in notis ad Anonymum, *de Reb. Trai. p.* 195. *seqq.*

C A P U T III.

De Matrimonio. (a)

1. Cives feruntur in *Matrimonio*, quod ut in Frisiâ ritè :ontrahatur, ter promulgandum :it in Ecclesia, vel si contrahen- :es sint *heterodoxi*, in judicio, sub pœna 12. florenorum Caroli, & ɔost tres septimanas, sub pœna 24. florenorum, post alias tres ub arbitrariâ poenâ, *lib.* 1. *Stat.* *'it.* 1. *art.* 11. (b)

2. *Promulgatio* & *celebratio publica*, sive in Templo, sive in Curiâ fiat, est civilis instituti; ideoque ab Senatu Supremo ministris sacrorum imperari potest, ut admodum nuper factum Synedrio Civitatis *Doccumanae*, *anno* 1681. quod detrectabat publicare par hominum, qui per sententiam Curiæ juncti fuerant matrimonio; salvâ nihilominus, opinor, *Ecclesiæ* sua censurâ. (c)

(a) Vid. Auctor in *Jurisprud. Hod. lib. I. cap.* 5.

(b) Ibid. § 22. *Heterodoxos* vero Auctor intelligit omnes aliarum sectarum Christianos, publice permissarum, vel toleratarum.

(c) *Cit. loc.* § 23. Hierologiam cum ceteris solemnibus *civilis* esse *instituti* recte Auctor observat, adeoque ab arbitrio pendet politici magistratus, post eiuratam :um Papismo de matrimonii Sacramento doctrinam, cui sane occasionem ista Sacerlotum benedictio præbuit, è Judaismo olim derivata, sed arbitraria, donec publi:a eam sanctione omnibus imperaret Leo VI. in *Nov.* 74. 89. & 112. Conf. Ius Gr. Rom. *tom.* 1. *lib. II. p.* 134. & *lib. VIII. p.* 500. *seq.* ubi eiusdem argunenti constitutio est Alexandri Comneni Imp. tum Harmenopulus in *Prompt. lib.* IV. § 21. *ibiq. Schol.* De Iure Canonum, isto ambitionis clericalis spirantissimo 'olle, praeter Interpretes Decretalium, *ad tit. de Clandest. despons.* & *ad tit. de Divort.* videsis Lancellottum *lib. II. Inst. Iur. Can. tit.* X. § 17. *ibiq. Thomas.* & Concilium Tridentinum, *Sess. XXIV. tit. de Reformat. matrim. can. I. iunc.* *lib. VII. Decret. in lib. IV. tit. I. cap.* 2. Utinam vero in Germania, Anglia, :eterisque Protestantium terris, benedictionis necessitas, insignisque abusus, una :um ceteris Papismi reliquiis, nostrorum imitatione Belgarum, cum pulvisculo tanlem aliquando everrerentur. Vid. Io. Sam. Strykius, in *Diss. de Reliqq. Papismi*, & Illustris Boehmerus, in *Iure Eccles. Protest. lib. IV. tit.* 3. § 40. & *seqq.* Quae lenique Auctor de *salva Ecclesiae censura* subiicit, si de *publica* intelligantur (priatam enim admonitionem unicuique Christiano, ut fratri erga fratrem, competere 'ateor) non aliter me quidem adsentientem habebunt, quam salva auctoritate forensis

3. Neglecta tamen publicatio non habet pœnam *nullitatis*; Ideoque, si aliunde probetur consensus matrimonialis, habetur pro conjugio, & liberi inde nati sunt legitimi. *Sand. lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 1. (d)

4. Matrimonium a filio, vel filiafamilias, *sine patris consensu* initum, non modo nullum est, *Sand. lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 1. 2. *& seqq.* sed etiam qui tales conjunctiones suâ præsentiâ laudant, vel contrahentes recipiunt, *centum Carolinis*, aut gravius puniuntur, *d. tit. stat.* §. 8. (e)

5. Præterea, qui duxit filiamfam minorem annis 20. aut quæ nupsit filiofam. minori annis 25. nihil lucri ab illo illave, mortis caussa, vel inter vivos, percipere potest; idque tametsi parentes consensum suum *post concubitum* adhibuerint, *d. t.* 1. *art.* 6. (f)

6. Eadem sanctio locum habet in his, qui quæve sub *Curatoribus* agunt. *d. t* 1. *art.* 10.

7. Et Sandius vult, ac ita ferè jus dicitur, matrimonium puellæ infra annos 20. & adolescentis infra 25. sine consensu curatoris initum insuper esse ipso Jure *nullum*, *lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 6. (g)

8. Idem statuit, filiamfamilias majorem annis 25. *sine patris consensu*, validum inire posse matrimonium, *d. t.* 1. *def.* 5.

9. Ego *neutrum*, quod sine invidia sit dictum, Statutis expressum, vel Juris Civilis rationi consentaneum, esse existimo.

10. De filiafamilias, majore 25. annis, probat suam sententiam Sandius, ex *Nov.* 115. *c.* 3. § 11. Atqui nihil ibi, quam quod filia perfectæ ætatis, si in corpus suum peccaverit, *exheredari* nequeat, habetur.

11. Si in tantum ignoscatur impatientiæ virginis, à Patre vel a procis tam diu neglectæ, ideone totus actus subsistet?

12. Ex

sis Protestantium paroemiae: *Ecclesia sequitur Iudicem*; ne scilicet ad Ecclesiae independentiam, nescio quam, id est, ut ego interpretor, ad Papatum, postliminio redeamus. Verum hac de re Illustris Auctor professa opera commentatus est, in Opere *de Iure Civit. lib. I. Sect. V. cap.* 1. *seqq. ibidemq. Thomas. in Schol.*

(d) Vid. Auctor, in *Iurispr. Hod. d. lib. I. cap. V.* § 24. Nota vero est in contrarium doctrina *Canonica*, etiam inter Protestantes, extra Belgium Foederatum, passim recepta; distinctioque inter matrimonium legitimum, & ratum, *cap.* 7. *&* 8. *X. de Divort. iunc. cap.* 2. *&* 3. *X. de Desponsat. Impubb.* Conf. Böhmerus, tum *d. l.* tum in *Diss. de Incongr. Praxi distinct. Spons. de praes. & de fut.*

(e) In *Iurispr. Hod. d. lib. I. cap. V.* § 41. *seqq.*

(f) Ibid. § 46. *seq.*

(g) Ibid. § 56. *seqq.* Conf. Zach. Huber, *tom. I. Rer. Iud. cap.* 1.

12. Ex remissione *pœnæ* factâ, non sequi validitatem nuptiarum docuit Sandius, *d. lib.* 2. *tit* 1. *def.* 5. *in fin.* quur ob remissam exheredationem magis convalescent?

13. Et quur ætas 25. annorum sexum sequiorem magis subducet patriæ potestati, quam *filios*, de quibus textus non loquitur, nec Sandius sentit?

14. Rectius igitur haudubiè, nec pauci sunt, qui filiam majorem ab *exheredationis* fulmine liberant, at Jure nuptam minime statuunt, nec aliter Justinianus in *d. N.* 115. *c.* 3.

15. De Nuptiis puellarum, insciis *Curatoribus* initis, sic ratio est nostra:

16. Si pœna statuti non tollat id, quod Jure Communi præcipitur, sed cum eo conciliatur & jungitur, modò possint simul habere locum, ut Sandius ipse docuit *def.* 1. ℣. *quod si verò lex.* & *def.* 5. *in f.* cur non idem hic fiat?

17. Nemo ducat puellam, ignaro *Curatore*; sin, *nihil unquam ab eo lucrari potest*; hactenus recedit Statutum à Lege Romana, quid vetat juxta hanc pœnam consistere matrimonium?

18. An verba Statuti, *art.* 10. *ne contrahant &c.* atqui de clandestinis, in *d. t.* 1. *art.* 6. 7. 8. 9. perinde ait; *nemo contrahat nuptias, nisi post trinam proclamationem, & benedictionem ecclesiasticam, sub pœna pecuniariâ.* Hic sola mulcta habet locum, & nuptiæ valent, etsi æque valida sit prohibitio: quid ni & heic Statutum concilietur cum Jure Romano, quatenus illud non mutat?

19. At aliter, inquam, jus dictum est, & quod putem, bono publico; sed aliud est intelligentem Juris conditorem, aliud bonum conditi juris interpretem esse; neque *praxis* legi aut rationi unquam præscribit. (h)

20. Cæterum, iniqua Curatoris negatio à propinquis cum *autoritate Judicis* emendari potest, *d. t.* 1. *art.* 10. Imo etiam parentum iniquitas, ut videtur ex *art.* 6. *in med. vers. Aut à Magistratu.*

21. Cætera, quæ sunt in *d. t.* 1. nihil discrepant à Jure Civili, & Mosaico, nisi monendum sit, Ministros Verbi Divini, & Magistratus, si de jure conjunctionis alicujus dubitent, rem ad *Curiam* deferre debere, sub arbitraria pœna, *art.* 12. *Stat. d. l.*

(h) Et contra certissimas hasce theoriae rationes, in Suprema Curia ius suo quoque tempore dictum fuisse, Ampl. Senator Zach. Huber. *d. l.* testatur.

22. Prohibitio matrimonii inter Curatorem, ejusque filium, & nepotem, ac adultam, quæ sub ejus cura est, (*l. 66. pr. ff. de Rit. Nupt.*) cessare videtur in Frisiâ, quia vir ipso jure Curator est uxoris suæ. *Herbaius cap. 13. Rer. Quotid. §* 11. (i)

23. De *Secundis Nuptiis* nihil habemus peculiare, nisi quod annus luctus coarctatur ad novem menses, sub pœnâ arbitrariâ *d. t. art.* 13.

24. Ibidem viris quoque tempus honestatis injungitur, at sine certo præscripto temporis, aut pœnæ, nisi regula generalis, quæ jubet omnes excessus animadverti, forte huc produci queat, *lib.* 2. *t. ult. art.* 2. *Stat.* (k)

25. De *Divortio*, quod vinculum matrimonii solvit, nihil speciale cautum est; at sævitia vel contumacia conjugum, carcere, mulctave, sicut res postulat, cohibetur, *d. t.* 1. *art.* 14. (l)

26. Adversus *Mennonitas*, qui conjuges prætextu censuræ Ecclesiasticæ separant, mulcta statuitur centum aureorum equitum, primâ, & altera vice tantundem, cum perpetuo exilio, *d. t. in fin.* (m)

(i) Iurispr. Hod. *d. l. I. cap. V. §* 94. *seqq.*
(k) Ibid. *d. lib. I. cap. VII. §* 1. *seqq.*
(l) Ibidem *cap. VI.* addita quoque *Separatione tori & mensae*, quae inter alias Papismi reliquias pessimo publico in foris retinetur.
(m) Ibid. *d. cap. VI. § ult.*

C A P U T IV.

De Accessoriis Matrimonii. (1)

1. *Accessoria* matrimonii sunt, arrha, sponsalitia largitas, dos, & dotalitium. (2)

2. *Arrham* plerumque vir tradit feminæ; quamquam hodie vix aliter, quam à plebe usurpatur; priusquam consenserit, ad deliberandum, ut loquuntur; quæ matrimonio secuto, pleno jure fit, manetque mulieris, ex more gentis;

(1) Vid. *Iurispr. Hod. lib. I. cap. VIII.*
(2) Ibid. in *Rubr.* & § 1. Auctor recte addit quinto loco *Pacta Dotalia*, de quibus etiam inf. § *ult.* agitur.

is, secus ac ratio Juris Communis dictaret. *Sand. lib.* 2. *t.* 2. *def.* 8. (3)

3. An viro integrum est *poenitere*, dum mulier habet arrham, priusquam illa consensum declaraverit? Non posse, feminâ invita, judicatum est à Senatu, teste Gaio Nauta, *decis. mss.* 24. tametsi res forte dubio non careat. (4)

4. De *sponsalitiis largitatibus* nihil novi habemus, quod discrepet à jure communi. vid. *Sand.* *l. tit.* 2. *def.* 1. (5)

5. *Dotes* etiam ex præscripto Juris Communis ordinantur; nisi quod prohibitio alienationis in fundo, quo mulier consentit, in Frisia cessat. *Sand. lib.* 2. *tit.* 4. *def.* 2. Sunt tamen dotes infrequentiores, nisi quando parentes liberos suos elocant. Plerumque bona simpliciter inferuntur in communionem. (6)

6. Nec tamen fides habenda Wissembachio nostro, qui scribit ad *l.* 8. *C. de pact. convent.* discrimen dotalium & paraphernalium rerum in Frisiâ esse sublatum, per Statutum *lib.* 1. *t.* 2. ubi marito conceditur administratio rerum uxoris, *sine distinctione, dotales sint res, an paraphernales*; nam in illis verbis maxime firmatur, & supponitur illud discrimen. (7)

7. Verius est, *donationes propter nuptias*,

(3) Vid. *d. l.* § 2. & 3. Ratio ex natura aliarum omnium conventionum peti debet, quibus utrinque impletis arrhae invicem datae restituuntur, vel in pretium, mercedem, aut solutum imputantur, *l.* 11. § 6. *D. de Act. emt. vend.* & *l. ult. D. de Leg. commiss.* Lauterbach *de Arrha*, *cap. VIII. Sect. IV.* § 128. *seqq.* Et quamquam Auctor in *Prael. Dig. tit. de Iure Dot.* § 13. dissentiat ob *l.* 3. *C. de Sponsal.* contrarium tamen verius videtur, nisi mutuae arrhae fuerint, & sine enormi alterius damno *arg. l.* 4. *C. de Don. ante nupt.*

(4) Addesis *Praelect. Dig. tit. de Sponsal.* § 13. & eandem facti speciem, in *Jurispr. Hod. d. lib. I. c. V.* § 15. *seqq.* ubi tamen procus, ante elapsum deliberationis tempus, oblatae conditioni haud renunciaverat, poenitentiam suam inter amicos privatim solum testatus.

(5) Non tamen ullibi in foro, quod sciam, nova Constantini M. constitutio, in *l.* 16. *C. de Donatt. ante nupt.* hodie observatur, donatis utrinque isto casu restitui semper solitis. Vid. *Iurispr. Hod. d. lib. I. cap. VIII.* § 4. & *seqq.*

(6) Salva utrique coniugum suorum bonorum proprietate. *Iurispr. Hod. d. l.* § 8. *seqq.* & *toto cap. XI.*

(7) Vid. ibidem *cap. X.* Neque enim uxor bona sua omnia in dotem dare marito tenetur, *l.* 4. *C. de Jure dot.* quod proprio instrumento declarandum est; quemadmodum ex Sandio Auctor, in *Jurispr. Hod. d. lib. I. cap. VIII.* § 15. & 16. *nec. cap. X.* § 13.

nuptias, sicut Jure Romano describuntur, in Frisiâ esse insusitatas. (8)

8. Nescio, quo referam *donationes*, quæ novis maritis tribuuntur à suis parentibus, vel amicis; nec enim dotes sunt, quoniam hæ à parte mulieris proficiscuntur; nec donationes propter nuptias, quia vir illas confert in uxorem; propius tamen ad *dotes* accedunt. (9)

9. *Dotalitium* vocatur patrimonium, quod mulieri in casum viduitatis adsignatur, plerumque usufructu tenus, & est minus frequens apud nos, quam in aliis gentibus. (10)

10. Alioqui *pacta dotalia* non valent apud Frisios, nisi quatenus Jure Civili præscriptum est, nec utique ad hereditates relinquendas prosunt. *Sand. lib.* 2. *t.* 2. *def.* 4. & 7. (11)

(8) Ibid *cap. VIII.* § 27.

(9) Sane enim plerumque ad ferenda matrimonii onera offeruntur; adeoque in dubio, ob favorem matrimonii, pro *dote* habebuntur; nisi aliud actum sit. Alibi tamen inter *utrumque* coniugem dividuntur, vel *aequaliter*, vel *originis* intuitu; utrum nempe sponsi aut mariti, an sponsae vel uxoris contemplatione, a cognatis amicisque donata fuerint. Vid. Lauterbach. in *Diss. de Donat. propt. nupt.* § 50. & Carpzov. *in Jurispr. For. part. III. cap. XXII. defin.* 1. & 2.

(10) Vid. *Iurispr. Hod. d. cap. VIII.* § 28. *seqq.* Origo ex antiquis maiorum institutis, apud Tacitum *de M. G. cap.* 18. Gallorumque apud Caesarem, *lib. VI. de B. G. cap.* 19. Etiam Vitalitium, & Dotarium, contracte *Doarium* adpellatur. Mentio eius apud Gratianum, *can.* 10. C. 36. *Q.* 2. & *in cap.* 18. X. *de foro comp.* Totam materiam exhausit Nic. Henelius singulari commentario *de Jure Dotalitii.* Conf. Ge. Beyer in *Jure Germ. lib. II. cap.* 18.

(11) In *Iurispr. Hod. d. l.* § 29. *seqq.* quo insignis differentia pertinet inter Pacta huiusmodi, *mutuam* utrinque *obligationem* inferentia, & quae alterutrius tantum voluntate speciem habent *testamenti*; haec enim revocare fas est, priora non item. Vid. Sandius *c. l.* & Auctor *d. cap. VIII.* § 32. & *seq.*

C A-

C A P U T V.

De Iure Dominorum in Famulos.

1. E matrimonio nascitur *familia*, cujus natura intelligitur è triplici respectu patrisfamilias, erga famulos, erga liberos, & adversus uxorem. (a)

2. Non habemus *famulos*, nisi ingenuos, utriusq. sexus, qui non aliter ad servitia, quam pro tempore, conventione expresso, tenentur.

3. Libertas gentis non fert, ut *verberibus* ad officium cogantur, etsi modica castigatio ad imperium familiæ necessaria videtur. (b)

4. Ejus loco lex novissimè lata est,

(a) Vid. Auctor in *Iurispr. Hod. d. lib. I. cap. IX. & XIII.* De *Familia*, tres fere simplices societates complexa, Auctor supra egit, in *Institut. Reip. lib. II. cap. 1. & 2.*

(b) Et hoc ex vetere Majorum instituto, apud Tacitum *de M. G. cap. 25.* Ceterum veri tamen nominis *Servitus* apud Majores nostros obtinuit, *tolerabilior* in colonos, *adstrictior* in peregrinos; quos vel cepissent bello, vel emissent per commercia, auctore Tacito *d. l.* Atque haec *posterior* ad saeculum usque XIII. post Bartolum ad *l. 24. D. de Captiv. tom. VI. Opp. p. 215.* & Abbatem Panormitanum ad *cap. 1. X. de Conjug. serv.* observante Jo. Bodino, *lib. I. de Republ. cap. 5. p. 39. seq. ed. in fol.* in Europa Christiana perstitit, *priori* in hominibus propriis passim adhuc recepta; qua de re *Thomasius*, *Boehmerus*, & alii in singularibus Dissertationibus. Ansam tollendae servituti isti posteriori *superstitio* praebuit, in arcanum hierarchicum, ut solet, mox conversa, a saeculo jam III. & in primis a confirmata per Constantinum manumissione in S. S. Ecclesiis, *l. 1. C. de his, qui in Eccl. manum. & l. un. C. Th. eod. ibiq. Jac. Gothofr.* Vid. du Fresne in *Gloss. Lat. V. manumissio*; & Potgieserus *lib. III. de Condit. Serv. cap. 2.* & Ampl. Otto in *praef. tom. II. Thes. Jur. Civ. p. 6. seqq.* Quam perperam vero, & pessimo publico, alibi nos admonere meminimus. Et sane interfuisse ipsorummet servientium, tolerabilem post *Antoninos* conditionem abolitam non fuisse, ingens pauperum multitudo ubivis locorum testatur. Quod egregiis Turcorum hac in re moribus illustrat *Busbequius*, civilium rerum usu probatissimus scriptor, in *Legat. Turc. epist. III. p. 118. seqq.* Similia Ægyptiorum instituta laudat Flavius Vopiscus in *Saturnino*, *cap. 2.* Non abs re igitur prudentiores quique illam, quam dixi, perpetuam moderatamque Servitutem mercenario famulitio longe anteferendam existimant. Vid. post Adamum Contzen *lib. VIII. Polit. cap. 15.* personatus auctor, Gonsalvus Briuntis Menandrion, in *Discurs. Jurid. Pol. ad Electores & Principes Imp. de Servitute in Rep. Rom. iterum introducenda.*

est, & publicata *d.* 24. *Martii* 1671. cujus præcipua capita hæc sunt.

5. Famuli famulæq. *tertio die* post id tempus, quo se addixerunt, præstò esse debent, sub pœna Carolini pro singulis diebus, *art.* 6.

6. Si *acceptâ arrhâ* servitio renuncient, licet arrham reddere velint, 25 Carolinis mulctantur, *art.* 1. imo si aliquoties id fecerint, in opus publicum dantur, *art.* 2.

7. Eadem mulcta & pœna statuitur in eos, qui *ante tempus* sine venia discedunt, præter jacturam mercedis pro tempore exacto, *d. art.* 2.

8. Pater vel materfamilias suos famulos nulla quoque reddita caussa, quovis tempore dimittere possunt, mercede tantum soluta pro rata, *semiquadrantis anni*, in quo identidem versantur, nihilque amplius pro cibariis, aliove prætextu petere possunt, *art.* 6.

8. Similiter *renunciatio* inde ab initio fieri potest à dominis, pro mercede semiquadrantis anni, *art* 3.

9. Nemini fas est *alterius famulos* conducere, nisi comiter interrogatis dominis, an liberi sint, sub pœna 25. Carolinorum, quam & *pararia* ex eadem caussa committunt, *art.* 7. 9. 11.

10. Hæc etsi vulgo tam rigide non servantur, in *contradictorio* tamen, & ubi res in judicio urgetur, usum habebunt, & habent.

11. Qui fidem conductionis implent famuli, *arrham lucrantur*, sine diminutione mercedis, ut mos fert; alioqui Juris Communis ratione reddenda foret, vel mercedi imputaretur. (c)

(c) Vid. *praec. cap. not.* (3)

CAPUT VI.

De Patria Potestate.

1. PAtria potestas integra viget apud Frisios, iisdemque modis acquiritur, quibus Jure Civili. (1)

2. Sed *legitimatio* hactenus recedit, quod etiam *adulterini* Ordinum

(1) Vid. Auctor in *Jurispr. Hod. lib.* I. *cap.* 12.

inum rescripto legitimari possint, *lib* 1. *t.* 5. *art.* 2. (2)

3. Item, quod non modo nati concubina legitimantur, sed tiam qui è furtivis amplexibus, nodo certis patribus sint editi, uales Jure Civili pro *spuriis* habentur, *arg. rubr. d. t.* 4. (3)

4. Denique legitimationes, uæ in Germania per *Comites Palatinos* fiunt, disertè apud nos imrobantur, *d. t.* 5. *art.* 1. (4)

5. Liberi *adoptivi* potiuntur hic sdem juribus, quibus Jure Civili gaudent, etiam successione ab intestato, tametsi rarius accidat; accidit inter alios ALLARDO PETRO à JONGESTAL, Viro Illustri &c. (5)

6. *Arrogatio*, quæ Jure Cæsareo Principis tantum rescripto fit, apud nos auctoritate *Curiæ Supremæ* celebratur, quoniam jura minora Majestatis, quæ ordine judiciali peraguntur, antiquitus à Curia exercentur, ac ita factum in prædicto exemplo. (6)

(2) Etiam *Incestuosi*, apud Auct. *d. l.* quorum utrumque ex Jure Canonico, *c.* 13. *X. Qui filii sint legitimi*. Vid. Boehmer in *Usu Mod. Decretal. tom. IV. ad cit. tit.* 29. *seqq. p.* 297. *seqq.*

(3) Alios enim *naturales* hodie non habemus; prohibito apud nos *Concubinatu* inter privatos, solisque Illustribus *ad morganaticam* matrimonio permisso. Vid. Grotius *lib. II. cap. VII.* § 8. *n.* 3. Cocceius *de Leg. Morgan.* & Gundling *de Emt. ux. p. Morgeng. cap. III.* § 5. *seqq.* Immo deterioris longe apud nos conditionis perpetuae sunt *Concubinae*, quam momentanea libidinum mancipia, observante Auctore nostro, *d. cap. XII. lib. I. Jurispr. Hod.* § 9. *seqq.* quod forensium errorum catalogo ex Papismi reliquiis augendo haud parum fecit.

(4) Alia per *Curiam* fit legitimatio, quae *ordinaria* est, & Jure Romano per *Rescriptum* fieri dicebatur; alia hodie ex plenitudine potestatis, & speciali gratia Supremi Imperantis, quae *extraordinaria* est, & ad cuiuscunque generis illegitimos extenditur, tum Jure Canonico, tum moribus. Hanc vero in Imperio per *Comites S. Palatii Lateranensis*, eum in finem creatos, hodieque exercent Imperatores. Ceterum in Frisia *Carolo V.* rerum potiente, Ordinum rogatu, coërcendis istarum legitimationum abusibus, codicilli sive diplomata *Comitum*, absque speciali Imperatoris confirmatione, haud sufficere jussa sunt. Vid. antiquiores Frisiae Ordinationum editiones, ubi integra *Caroli V.* constitutio habetur, cujus hodie mutilum duntaxat fragmentum cernitur, *lib. I tit. V.* De Comitibus istis, eorumque munere, atque auctoritate, peculiaribus scriptis *Reinesius* & *Schubartus* egerunt. Conf. Jo. Henr. Berger *de Iure legitimandi Comitum Palatinorum.*

(5) Auctor hac de re pluribus in *Iurispr. Hod. lib. I. cap. XII.* § 18. *seqq.*

(6) De hodierno *Adoptionis* usu non una est Interpretum sententia. In Germania & Gallia eam etiamnunc obtinere, tum leges & statuta, tum exempla testantur, apud Kulpisium in *spec. diss. de Adopt. & Emancip. Princ.* Feldmannum in *Comm. ad l.* 2.

7. In modis *amittendi* patriam potestatem, hæc habemus specialia; I. nulla esse videtur *mors civilis* apud nos, nisi forte proscriptio velut hostis publici, & impune à quovis occidendi. (7)

8. *Dignitates*, quibus solvitur jus patrium, hic aliæ sunt, quam à Cæsare memorantur, ex eadem tamen analogiâ dijudicandæ.

9. Videntur huc apud nos referendæ, dignitas Procuratoris ad Comitia, Delegati ad Ordines Generales, ad Consilium eorundem Ordinum, & ad aulam Rationum, item Delegati Ordinum Novemviralis, Senatoris Supremæ Curiæ, Procuratoris Generalis, Adsessoris Collegii maritimi, Rationum Præfecti, quique eorum acta conficiunt.

10. Non Prætura, non Consulatus Municipalis; non Professoris, Pastoris, Doctoris honos eo produci possunt, quia non pertinent ad summam rempublicam, arg. *Nov.* 81. *pr.* & *cap.* 1. *junct.* *l. ult.* *C. d. Decur.* (8)

11. *Magisterium militum* liberabat etiam patriâ potestate, id est, Præfectura Generalis militiæ, quæ in aliqua est Provincia, *d. Nov.* 81. *cap.* 1. *d. l. ult.*

12. Huic, nostræ dignitates sagi, quæ nomen *Generalium* terrâ marive tribuunt, æquiparari possunt, non inferiores præfecturæ, ut quidem videtur. (9)

12. *Eman-*

l. 2. § 1. *D. de Adopt. num.* 5. Mornacium *ad pr. D. eod.* & Bodinum *lib. I. de Rep. cap.* 4. In Gelria, Hollandia, aliisque Belgarum terris, non frequentari eam, quam abrogatam esse, verius videtur. Quae vero passim privata Alumnorum adoptatio celebratur, *Adoptionis* iure censeri non potest. Quin tamen publica Ordinum auctoritate adoptati, & potestatis, & successionis, instar legitimorum, participes forent, ego nullus dubito; itidem atque in Frisia, alibive terrarum. Vid. Cl. van de Poll *de Exhered. & Praeterit. cap. XLIII.* § 9. & 10. Vicem Adoptionis passim hodie implet *Unio prolium*, etiam in Belgio haud plane incognita, post Ampl. van Someren observante eodem auctore, § 11. *d. l.* Praeter Rickium in speciali opusculo, videsis Consultissimum Virum, Casp. Ant. Conynenberg, fori patrii apud Amstelaedamenses patronum, in *Diss. de Adoption. sect. V. p.* 114. *seqq.*

(7) Vid. *Iurispr. Hod. d. lib. I. cap. XII.* § 41. *seqq.*

(8) Si *Doctores* excipias, tum codicillares, tum forenses, sive practicos, reliqui omnes publicis fungentes officiis, *l.* 6. & *ult. C. de Prof. & Med.* utpote *Curiarum* muneribus exemti, a patria potestate immunes habebuntur, *d. Nov.* 89. Vid. A. Matthaeus *de Auct. lib. I. cap. VI.* § 10. & *lib. II. cap. V.* §. 31.

(9 Et praeiudicium Curiae Frisicae, quod ad centurionis vicarium, sive *locum tenentem*, adfert Auctor in *Iurispr. Hod. d. l.* § 47. Plerisque aliis locis, in Germania & Belgio, *Milites* omnes ob egressum ex paternis aedibus, patre non invito,

pro-

13. *Emancipatio* fit ex præscripto Juris Civilis apud primum Senatorem Curiæ Supremæ. †

14. Matrimonium voluntate patris contractum pro *tacita emancipatione* habetur, *lib.* 1. *stat. t.* 5. consequenter amittit Pater usumfructum bonorum adventitiorum, nec quidem retinet semissem, de quo *in* §. 2. *Inst. per qu. pers.*

15. Duæ sunt *limitationes*, prima, si pater expresse consenserit nuptiis; conniventia non sufficit ad amissionem ususfructus. *Sand. lib.* 2. *t.* 7 *def.* 5. *vers. & quidem.*

16. At hæc restrictio non procedit in *curatoribus*, quominus hi ad rationes & reliqua teneantur, si tacuerint; ut Curia censuit inter *Annam Tjercks & Annium Bouwes*, ante natales Christi 1680.

17. Altera limitatio est; matrimonium solvit patriam potestatem, quatenus *expedit* liberis, non ut nocere queat. *Sand. d. dec. vers. porro consuetudo.*

18. Hinc idem vult, liberos conjugatos jura suorum hæredum habere, *pro lucris*, *non ad onera*; sed hæc limitatio priori est audacior, utpote contraria Juri Civili, & ignorata Statutis. (10)

19. Tutius est hoc, quod ait, finito matrimonio, liberos non redire sub patriam potestatem.

20. *Separata habitatio* per decennium continuata, facit præsumptionem in dubio, quod filius sui iuris sit, *arg. l.* 1. *C. d. patr. pot. Sand. d. def. in fin.* (11)

21. Alio-

pro *tacite emancipatis* habentur, secus ac Jure Civili, in caussis bonisque non castrensibus. Vid. Enenkelius *lib. II. de Privil. Mil. priv. XXIII.* § 18. *seqq.* & P. Voet ad § 4. *Inst. Quib. mod. ius pat. pot. solv. n.* 5.

† Is enim, apud Frisios semper, apud Trajectinos unusquisque per vices menstruas, *Praesidis* loco fungitur, ipsa quamvis hujus dignitatis prærogativa utrique Curiæ ignorata; secus atque apud Gelros, Hollandos, & alibi; quemadmodum *Instructiones* earundem testantur.

(10) Priorem *Sandii* opinionem iam supra excussam, in *Collat. I. p.* 56. *seqq.* novissima Statutorum Frisiae promulgatione confirmatam esse, Ampl. Senator, *Zacharias Huber* verbo monuit, in editione iterata *Iurispr. Hod. d. lib. I. cap. XII.* § 54. Ad posteriorem quod attinet, ea Civili Iuri apprime congrua videtur, sublata per *Nov. CXV. cap.* 3. differentia prorsus omni suos inter & emancipatos, salva nimirum collatione acceptorum a patre. In alia vero omnia cum plerisque Doctoribus Auctor discessit, *d. l. Iurispr. Hod.* § 55. item in *Praelect. ad Pand. tit. de Lib. & post.* § 9. De collatione tamen ipsa nihil controversiae intercedit, uti videre est in *Prael. ad tit. D. de Collat.* § 3. *seqq.*

(11) *Decennii* definitio longa consuetudine in Ius apud Frisios transiit, quum Iure Romano annorum numerus, ad praesumtionem *tacitae emancipationis*, nullus requiratur; haud magis, quam ad *Consuetudinem* qualemcunque introducendam, *l.* 25. *D. de Adopt. & emanc. & l.* 1. *C. de pat. pot.*

21. Alioqui nec habitatio, vel negotiatio separata, nec ætas, eximit filiosfamiliarum patriæ potestati apud Frisios. (12)

(12) Secus atque in Germania, ceterisque Belgicae nostrae Rebuspublicis, ubi habitatio & negotiatio per annum & diem, non invito patre continuata, itidem atque aetas maior, secundum cuiusque loci Statuta, patriam extinguit potestatem. Videsis Auctores a Voetio citatos, § 12. *seqq. tit. D. de Adopt. & Emanc.*

CAPUT VII.

De Potestate Maritali.

1. Præter famulos, & liberos, paterfamilias imperat etiam *uxori*, licet dispari modo, ut alias dictum. (*a*)

2. Jure Frisico, vir non modo habet illud imperium Juris gentium, quod Romani tantum habebant, sed & civili potestate in uxorem est prædictus, quam Statuta vocant *Voogdye*, *lib.* 1. *t.* 2. latine *Curam* vocant *Legitimam*.

3. Propriè tamen & juridicè *Cura* non est, nam hæc vel ob ætatis defectum, vel saltem ob sexum esse debebat; at hoc *jus maritale* competit etiam in anus; ergo non ob ætatem immaturam; non competit in virgines & viduas, ergo non resp cit sexum.

4. Præterea maritus non confirmatur, non facit inventarium, non reddit rationes, quæ omnia secus in Curatore sunt. *Sande lib.* 2. *t.* 4. *def.* 1. *in fin.*

5. Adde, quod Cura fit in gratiam eorum, qui reguntur, sed hoc jus maritale non tam est in commodum uxoris, quam in gratiam & ob auctoritatem viri. *Sande d. t.* 4. *def.* 3. *vers. sed alia re.* (*b*)

6. Nihil tamen vetat *Curatoris*

(*a*) Sup. in *Instit. Reip. Sect. II. cap.* 1. § 8. *ibique citata loca ex Opere Mal.* Conf. *Iurisp. Hod. lib. I. cap. X.* § 1. *seqq.*

(*b*) Omne sane *iustum regimen*, civile, publicum, privatumque, ipsorum qui reguntur caussa unice constitutum est, quo ipso a *tyrannide* distinguitur; quum enim natura præcipiat, ut prudentior consulat minus prudenti, ut fortior imbecilliorem de-

ris legitimi nomen tribuere viro, nec forte commodius vernaculum *Voogdye* reddi poterit.

7. Imo licet formaliter *Cura* non sit, ejus tamen vim includit virtualiter, ut in Scholis loquuntur, exemplo patriæ potestatis.

8. Quare si mulier, cum nuberet, sub *Curatore* fuerit, ejus potestas, in continenti à maritali extinguitur, adeoque Cura ipso jure finitur. *Sand. lib.* 2. *t.* 4. *d.* 1.

9. Virum quoque talem esse oportet, ut hi esse debent, qui Curam aliorum sunt gesturi, multo magis, ut ipsi suis rebus administrandis sufficiant. *Sand. ibid.* (*c*)

10. Proinde si minor annis 25. sit, *veniam ætatis* eum impetrare oportet, antequam se ut uxoris Curatorem gerat, *ibid.*

11. Quod si necdum sit ejus ætatis, ut veniam consequi possit, manet ipse sub Curatore suo, & uxor perinde minor in sua Cura manet. *Herbaj. cap* 13. § 4.

12. Verum si mulier perfectæ ætatis, & vir sit minor, illa potest omnia gerere, cum viri etiam minoris consensu. *Sand. d. t.* 4. *def.* 3. *sub fin. Herbaj. d. cap.* 13. § 19.

13. Porro sicut minor, ita nec mulier sine consensu viri, vel obligare se, vel alienare potest, *d. l.* 1. *Stat. t.* 2.

14. Sed maritus hoc jus exercet, ait *Statutum d. t.* 2. *art.* 1. quando se *Curatorem* gerit, nam si proprio nomine res gerat, uxor ex facto mariti non tenetur, sed tantum quatenus societas conjugalis eam obstringit.

15. Idem erit, si ex mandato uxoris, vel de rato cavens, pro illâ rem gerat, tum enim de mandato, vel ratihabitione constare debet. *Sande lib.* 1. *t.* 2. *def.* 3. *vers. hæc ita procedunt.*

16. Sunt

defendat, ut unius denique copia alterius inopiae medeatur; quis quaeso imperium stulto in sapientem competere dixerit, aut minus praestanti in praestantiorem; adeo ut nec ultronea subjectio ordinem istum naturalem, nisi forte ob rationes politicas, tollere aut labefactare posse videatur. Quo egregius pertinet locus Ciceronis, *lib. I. de Offic. cap.* 4. & legibus melior puerorum naenia apud Horat. *lib. I. Epist.* 1. *vs.* 59. *seqq.* Atque hoc ipsum in omni societate, simplice & composita, egrege & politica, si locus pateretur, ostendi posset, quamvis plerisque hodie, cum Auctore, & Grotio dissentientibus, *lib. I. de I. B. & P. cap. III.* § 8 *num* 14. Certe hoc loco nostro, nisi ob sexus imbecillitatem nuptae mulieri tanta mariti auctoritate in rebus matrimonii esse opus leges putassent; in deteriorem conditionem illas haud quaquam detrusissent, omnis aevi, omniumque gentium unanimi suffragio.

(*c*) Cum hisce oportet conferantur, quae habet Auctor, tum *sup. in Collat. I. p.* 13. *& seqq.* tum in *Iurispr. Hod. d. cap. X.* § 9. *seqq.*

16. Sunt casus, quibus *limitatur* Cura maritalis, & alii quibus *finitur*; limitatur *primo*, quod non habeat locum, nisi post matrimonium consummatum, etsi dudum fuerit contractum; respicit enim ad imperium familiæ & ad cohabitationem. *Herbaj. cap.* 13. § 2.

17. *Secundo*, Cura viri non valet ad alienandum, sed tantum ad administrandum; at res mobiles alienare potest, adeoque & cedere obligationes, quæ mobilium jure censentur. *Sand. lib.* 2. *tit.* IV. *def.* 2. *Herbaj. d. cap.* 13. §. 6. *arg. l.* 22. *C. d. admin. tut. & cur.*

18. Hoc tamen plus juris habet vir quam Curator, quod ille consensu mulieris quælibet ejus bona, tam dotalia quam paraphernalia, *sine decreto* alienat, id quod non potest Curator. *Sand. lib.* 2. *t.* 2. *d.* 2.

19. *Tertiò* limitatur Cura viri, verbis statuti supra adductis, *si se gerat ut Curatorem*; & talem se non gerit, aut in universum, aut in certis casibus.

20 *In universum*, quando renunciavit Curæ suæ, quod pactum valet. *Grot. lib.* 1. *Introd. cap.* V. *num.* 38. & *seq.*

21. In casibus, aut *rebus certis*, id accidit *primo*, si mulier quasdam ex rebus suis Curæ viri subtrahat, cujusmodi bona dicuntur receptitia, apud *Gellium lib.* 17. *Noct. Att. cap.* 8. (*e*)

22. *Secundò*, cum vir se profitetur habere mandatum uxoris, vel cavet de rato, ut dictum.

23. *Tertio*, si mulier cum viro publice mercaturam exerceat, *d. lib.* 1. *stat. t.* 2. *art.* 2.

24. *Quartus* casus, si quid contrahat super rebus ad œconomiam spectantibus, *tot de huisboudinge*, *d. art.* 2.

25. *Quintus*, quoties obligatio ex re venit, mulier etiam obligatur sine voluntate mariti, veluti cum quis impensas pro muliere fecit, & quoties hæc de alieno locupletior est. *Herbaj. d. cap.* 13. §. 14. & 15. *Sand. d. t.* 4. *def.* 4.

26. *Sex-*

(*d*) Conf. *Iurisp. Hod. d. cap.* X. § 5. Ceterum pro *consummato* matrimonium habetur, quod rite contractum *thalami conscensione* confirmatum est, deficiente quamvis coniugalis debiti praestatione, utpote quam eo casu leges ex potentiae requisito praesumunt. Vid. Auctor *d. l. cap.* V. § 9. 21. 25. *junc.* § 12. *Prael. ad tit. D. de Ritu nupt.* & Abr. van Wesel, *de Connub. Bon. Soc. tract.* I. § 30. *seqq.*

(*e*) Alio sensu *dotem receptitiam* pro adventitia Ulpianus dictam ait, *tit.* VI. § 5. si extraneus, qui dedit, ut matrimonio soluto sibi redderetur, stipulatus fuisset. Vid. Cuiacius, & Schultingius *ad Vlp. d. l.* De *bonis* vero *receptitiis* ex Gellio quaedam olim monui, *lib.* II. *Lect. Iur. Civ. cap.* 26. *p.* 215. *seqq.*

26. *Sextus* casus, si maritus rocul absit, & necessitas urgeat ontractum, potest mulier judicis fficium implorare, ut is sibi præ:et auctoritatem. *Sand. d. def.* 4.

27. Idem *septimò* potest fieri, um mulier contrahendo recte onsuluit, & vir importunus id pprobare nolit. *Sande ibid.*

28. *Octavò*, mulier sine viri onsensu mortis caussa donare po:st, si modo *traditione* non imleatur; quia pro legato habetur, . 1. *Inst. d. donat. Herbaj. d. cap.* 17. Dissent. *Sand. lib. 2. tit.* 4. *ef. ult. sub. fin.* (*f*)

27. *Nono*, si mulier adversus naritum judicio contendere velit ctione non famosâ, potest conistere sine auctoritate viri, adhibito tamen, ut fit, alio *Curatore ad litem.*

28. Casus, quibus Cura maritalis *finitur*, sunt 1. iidem quibus matrimonium finitur, mors, adulterium, malitiosa desertio. (*g*)

29. *Secundo*, separatio quoad mensam & thorum, à judice decreta.

30. *Tertio*, quando maritus in eum statum devenit, ut ipse Curatoris indigeat; velut, si in furorem, vel prodigentiam inciderit.

31. *Quartò*, pactione conjugum, de quâ modo dictum; nec enim in principio tantum ita pacisci licet, verum & postea, quando non tantum bona separant conjuges, sed & vir uxorem *propriae auctoritati* committit. (*h*)

(*f*) Exemplo donationis inter virum & uxorem, *l.* 32. § 1. *seqq. D. eo tit.* De *raditione* ita forte temperamenti loco habendum, eam viri intuitu nullam esse; atamen non revocatam, vel a viro, vel a muliere donatrice, hujus *morte* perinde onfirmari, atque factam inter conjuges. Qui dissentiunt Ant. Faber, & Sandius *d. l.* tiusmodi donationem pro contractu & negotio *inter vivos* habent, qualia sine viri onsensu inire uxor non possit. Forte autem, uti dixi, argumento prohibitae iner conjuges donationis, idem quoque in hac prohibitione Statutaria dicendum vietur. Conf. *Iurisp. Hod. d. lib. I. cap. X.* § 31.

(*g*) De modis finiendi matrimonii, itemque societatis coniugalis, adeoque & leitimae maritorum curae, *inf. cap. seq.* § 55. dicemus.

(*h*) Vid. *sup.* § 20. & 21. Ceterum de sola bonorum administratione intelligi haec acta debent, salva in reliquis omnibus matrimonii caussis potestate & iure viri; uanquam naturali ratione uxori, forte magis idoneae, toto familiae regimine cecere maritus possit: quo etiam argumento imperia *γυναικοκράτικα*, tum antiqua, tum odierna, laudari defendique posse videntur. Vid. *sup Inst. Reip. sect. II. cap.* 1. 16. *seq. p.* 72. *junc. sect. I. cap.* 17. § 16. *seqq. p.* 46. ibique citatum Opus uctoris maius *de Jure Civit.*

CAPUT VIII.

De Societate Conjugali.

INter conjuges *Jure Civili* est societas vitæ, nulla rerum atque bonorum. (1)

2. Pluribus *Europae* populis hodie placuit communio bonorum inter conjuges universalis, qua vir participat omnia bona uxoris, & illa vicissim mariti, ni pactis dotalibus aliter sit cautum. *Grot. Introd. Jur. Holl. lib.* 2. *cap.* 11. *&* 12. *(2)*

3. *Frisiis* inter alios media placuit consuetudo, qua patrimonia singulis conjugibus propria manent, lucra vero & damna, matrimonio durante, communia sunt, *lib.* 1. *stat. tit.* 3. (3)

4. Medium hoc consilium præstare duobus extremis patet inde, quod *Juris Romani* rigor hac parte nusquam servatur, & universa communio, in locis ubi recepta est, à prudentioribus per dotalia pacta fere ad modum nostratem redigitur.

6. Statutum nostrum addit *in articulo* 2. *d. t.* 3. mixturam modicam proprietatis, quæ in hoc consistit; *supellectilia*, quæ ruri habentur inter medium parietem, post annuam conjunctionem communia fiunt, modo non excedant pretium *mille* florenorum Caroli.

7. *Ruri*, inquit lex, secus igitur in urbibus & suburbiis, *arg. l.* 2. *d. V. S. Sand. lib.* 2. *t.* *v. def. v.*

8. *Medius paries* in *d. art.* est is, quo distinguitur villa in usum rusticum & urbanum, proinde rustica instrumenta non sunt communia.

9. *Lucra & damna* communicantur ipso jure, *d. t.* 3. *art.* 1. ita ut non sit opus ulla cessione, vel traditione; nec intersit, utrius facto

(1) Iure nimirum Civili recentiore; antiquo enim per solemnes nuptias maritus aeque omnia adquirebat per uxorem, ac pater per filium, & per servum dominus, *arg. l.* 1. *D. de Ritu nupt.* Dionys. Halicarnass. *lib. II. cap.* 26. Cicero in *Top. cap.* 4. Vid. Ampl. Grupen *de Uxore Romana*, *cap. III.* § 8.

(2) Post alios latissime hac de re egit Abr. van Wesel *tract. I. de Connub. Bonor. Soc.* § 1. --- 53. add. Lamb. Goris in *Advers. Tract. I.*

(3) Nisi scilicet pactis dotalibus aliter cautum fuerit. Conf. *Iurisprud. Hod. lib. I. cap. XI.* § 1. *seqq.*

ıćto pecuniâque, vel utrius ex onis lucrum provenerit, aut trius nomen ſit uſurpatum. *Sand.* . *t.* 5. *def.* 6.

10. Communicantur igitur ·uctus rerum, inter quos *donati-a* colonorum. *Sand. d. t.* 5. *def.* 3.

11. Etiam *reditus annui*, quan-o perpetui ſunt; nam qui ad vi-ım habentur, finito matrimonio ·ſtituuntur ei cujus fuerunt; lemque eſt in uſufructu, quem ter conjugum intulit in matri-ıonium. *Sarmient. lib.* 3 *ſelect. terp. cap.* 10. *num.* 5. *& ſeq.* (4)

12. Non idem eſt in pecunia-is munuſculis, vel *Xeniis*, quæ ırentes vel amici conjugum al-ri pro lubitu impertiuntur. *Sand. tit.* 5. *def.* 4. (5)

13. Sed in *metallifodinis*, & ud nos in fodinis ceſpitum uſti-ım, & argillarum, idem juris it quod in uſufructu. *Sand. lib. t.* 3. *def.* 2.

14. Quæ alteri conjugum *inter vos* donantur, communicari cen it Curia apud *Sandium*, *d. t.* 5. *def.* 3. diſſentiente *Herbajo cap.* 14. (6)

15. Sed in mortis cauſſa donationibus, atque legatis, idem juris eſt, quod in hæreditatibus, quæ ſine dubio ſunt extra communionem. *Sand. def.* 3. *ſub. fin.* (7)

16. Quod mare vel flumen agro alterius per alluvionem adjecit, fit ejus proprium, cujus eſt ager, *arg.* §. 20. *Inſt. d. acq. rer. dom. Herbaj. cap.* 16.

17. Similiter quod ædibus alterius adjicitur ædificando, fit ejus tantum cujus ſunt ædes, impenſis pro parte reſtituendis, *d. def.* 3. *verſ. reparationes.*

18. Quæ empta, aliove ſimili titulo comparata ſunt, haut dubie communicantur; etiam quando vir ſuum fundum cum alio permutavit, uxor ejus fit particeps, ita ut æſtimationem fundi prioris pro parte viro præſtet, *d. def.* 3. *verſ. res permutata.*

19. Idem juris, ſi alter conjux ſua bona vendat, aliaque rurſus emat, *d. def.* 3. *verſ. quod ſi maritus.*

 20. In-

4) Vid. *ſup. in Auſp. Dom. Orat. I. p.* 23. *ſeqq.* iunc. *p.* 287. *ſeqq.* ubi cum ›itandi, tum decidendi rationes adferuntur.

5) Olim hoc controverſum, hodie vero nova Ordinum conſtitutione deciſum eſt, ulla in poſterum donationis inter vivos, vel mortis cauſſa, uni coniugum factae nmunio habeatur, *lib. I. Stat. tit. III.* § 8. Communicari tamen vult Auctor ſub inctione, in *Iuriſp. Hod. d. l.* § 16. & 20. quum tamen Ordines minime diſtinguant.

6) Controverſiam iſthanc tractatam vide *ſup. Orat. I. p.* 22. *ſeqq.* Hodie vero a, cuius memini, conſtitutio obtinet.

7) Addeſis *Iuriſprud. Hod. d. l.* § 18.

20. Inspicitur autem, quoad hanc communicationem, tempus perfecti, non impleti contractus; ideoque si res empta sit ante, tradita post conjugium, res non fit communis. *Sand. d. def. vers. similiter.* (8)

21. Idem erit, si quis ante matrimonium litem super aliqua re contestatus, post initium ejus rem obtinuerit per sententiam, vel transactionem. *Sand. d. def.* 3. *vers. dubitatur.*

22. Idem, si usucapio ante matrimonium legitimè inchoata, postmodum impleta sit. *Argentr. ad Consuet. Britan. art.* 418. *gloss.* 2. *in fin.*

23. Fundus ante matrimonium venditus, sub lege redimendi, & durante matrimonio redemptus, ei cedit cujus antea fuit, salvo conjugi redemptionis pretio, pro suâ parte, quam contulerit, *d. def.* 3. *vers. quod si aliter.*

24. Sequitur de *damnis*, quæ vir & uxor communiter ferunt, exceptis quæ mere personalia sunt, ita ut personam egredi nequeant.

25. Cujusmodi sunt *delicta*, si inde mulcta conjugum alteri infligatur. *Sande d. t.* 5. *def.* 8. *vers. similiter si.* sub iisdem *quasi delicta* comprehenduntur. (9)

26. Talis etiam est intercessio mariti, quæ in mulierem cadere non potest, sive aliud intercessionis genus. *Sand. d. def.* 8. *vers. an etiam.* ubi tamen reddit aliam rationem.

27. Damna quoque rebus alteri conjugum propriis illata, non possunt esse, nisi tantum ejus cujus bona sunt, nec ad conjugem pertinent, nisi quatenus inde lucrum ab ipso percipitur, quatenus, inquam, reditus communes inde minuuntur, *arg. l. nihil tam naturale est. ff. d. R. J.* (10)

28. Alia detrimenta, quæ ex contractu, aliove facto, alterius è conjugibus contrahuntur, seu cum, seu sine culpa, quin imo per dolum alterius, communia sunt. *d. lib.* 1. *stat. tit.* 3. *art.* 1.

29. Indistinctè etiam, sciat an ignoret alter, licet inutiliter prodigeve confectum sit aes alienum. *Sand. d. def.* 8. *& d. versu sub finem.*

30. Quam-

(8) Vid. *Iurisp. Hod. lib. I. cap. VI.* § 7. *seqq.* aliorumque Interpretum auctoritas apud Sandium *d. l. vers. His amplius.* Salva tamen *pretii* ratione, aliisque constante matrimonio persolutis, servandae aequalitatis caussa, *inf.* § 23. *h.*

(9) Nisi tamen locupletiores exinde facti coniuges fuerint, *arg. l.* 55. *D. pro Soc.* Sande *cit. loc. in vers. Nisi ex delicto.*

(10) Vid. Sande *d. l. sub fin.* & citatus ibi Herbajus *Rer. Quot. cap.* 16. *fin.*

30. Quamvis etiam vir pecuniam mutuo ſumptam converterit in ſuos uſus, imo in ſolutionem debitorum à ſe ante matrimonium contractorum, ut recte Sand. *ibid.* licet Curia tum quæstionem illam in medio reliquerit, *verſ. ſi maritus.* Si tamen creditor ſciverit cauſſam illam, ſecus dicendum foret.

31. Nempe quicquid in alterius præjudicium ab altero geſtum fuerit, hoc conjuges eorumve hæredes inter ſe *comparare* debent; creditores utuntur jure Statuti. (11)

32. Non tamen, ſi conſtet ipſum illud debitum ante matrimonium extitiſſe, novum autem inſtrumentum ſuper eo confectum ſit, quia tum deficiunt verba non minus quam mens ſtatuti.

33. Intellige mulierem non aliter obligare virum, quam ex iis cauſſis, de quibus inſcio viro jus contrahendi habet, quas *capite præcedenti* vidimus.

34. Secundum hæc *Actio* creditoribus in ſingulos conjuges pro parte datur, ſicut adverſus ſocios, & omnes qui plures numero in una cauſſa ſunt obligati, quoties non id actum eſt, ut correi fierent, *l.* 1. *§ ult. juncta l.* 4. *in pr. d. exerc. act. tit. l. D. & C. de duob. reis.*

35. Sed vi Statuti conjux, qui contractum obivit, *durante matrimonio*, creditoribus in ſolidum tenetur, *d. tit.* 5. *art.* 1. ex ratione *l.* 2. *ff. d. exerc. act.*

36. Eſt hæc exceptio à regulâ, proinde non vult ratio, ut ulterius extendatur quam Statutum loquitur: *durante*, ait, *matrimonio*, ideoque finito matrimonio tacet Statutum, & ſtandum regulâ communi, quam diximus, *ubi plures pro partibus obligantur, plures etiam pro partibus teneri.*

37. Adde quod Statutum vult obligationes *ipſo Jure* communes fieri; Proinde communio præſumitur & ſtabilita eſt, extra quam verba Statuti expreſſe loquantur; Exceptio inquam eſt *durante matrimonio*, hæc firmat regulam in caſibus non exceptis; atqui caſus finiti matrimonii exceptus non eſt. (12)

(11) *Stat. lib. I. tit. III. art.* 1. i. e. ut pro rata parte utrumque coniugem poſſint convenire; niſi liquido alter coniugum probare videatur, in antiqui ſolutionem debiti, ante matrimonium contracti, aes alienum novum impenſum fuiſſe; quae ſpecies facti eſt apud Sandium *d. l. verſ. Si maritus.* Conf. *inf.* § 34. *ſeqq. hui. cap.*

(12) Retractavit Auctor ſententiam hanc ſuam in *Iurisp. Hod. d. lib. I. tit. XI.* § 53. *ſeqq.*

38. *Curia* tamen variè super hoc articulo judicavit, & novissimè in eam inclinavit sententiam, etsi non ἀμάχως, quod etiam finito matrimonio, contrahentes eorumque hæredes in solidum teneantur. (13)

39. Forte *conciliatio* admitti queat hujusmodi; conjugum alter, aut contraxit simpliciter, aut pro se & conjuge suo; quando simpliciter suo solius nomine expresso contraxit, perpetuo tenebitur in solidum; quia tum is quicum egit fidem ipsius simpliciter secutus est, quam & ipsum præstare oportet, idque videtur actum esse inter partes.

40. Atque hoc etiam secuti sunt ex Dominis illi, quibus non placebat, contractorem finito conjugio in solidum teneri, die XII. Decembris 1681. actumque tum denuo est de mente Statuti, non sine plurium inclinatione in eam partem quam diximus.

41. Scilicet, cum pro se suoque conjuge alter contraxit, quod tum adhuc quidem vi Statuti, manente conjugio, in solidum teneatur; sed eo finito neque rationem ferre, ut in solidum obligetur; neque legem, ***non liquet***; non ratio, quia creditor duorum nomina secutus est, iisque contentus fuit, nec aliter potest agere quam sciens volens contraxit.

42. Quid, si vir contraxerit pro se, & pro uxore, de rato cavens, ut fit? Etiam ita perpetuo tenebitur in solidum, quia se solum obligavit, & nomine proprio, & ex cautione. Idque similiter iis placere memini, qui non fuerant sententiæ prævalentis adversus contrahentem finito matrimonio.

43. Quid si ita, quod non minus crebro accidit, ut contrahat pro se, & tanquam legitimus Curator uxoris suæ? Non tenetur in solidum finito conjugio, non magis ac alii Curatores finitâ curâ tenentur, utique non ex ratione Juris, & Statuti, ut existimamus sub reverentia melioris judicii. (14)

44. Subsequuntur casus, quibus non obtinet societas inter conjuges, & colligi possunt ex supradictis.

45. I. In damnis *fatalibus*, quæ rebus alteri conjugum propriis acciderunt.

46. II.

(13) Exempla contrariantium decisionum Auctor refert *d. l.* § *ult.*

(14) Atque ita novissime Ordines sanxerunt, *Stat. lib. I. tit. III. art.* 1. 2. 3. 4. quod Amplissimus Auctoris filius in altera editione *Jurisp. Hod.* paucis admonuit, *d. l.* § 61.

46. II. In *impensis* majoribus, ad caussam earum rerum perpetuam spectantibus.

47. III. In *intercessionibus* mariti. (*)

48. IV. In mulctis *delictorum*.

49. Quod extenditur ad quamvis caussam *illicitam*, non modo, quod ad damna; sed etiam quod attinet ad lucra; veluti quod ex furto, quod ex alea, residuis, peculatu, *ambitu* acquisitum est; proinde nec pretium empti venditive *muneris publici* venit in communionem, nisi forte circumstantiæ æquitatis exquisitæ aliter suadeant. Tu vide *l.* 52. §. 17. *ff. pro soc. l* 8. § 1. *d. neg. gest.* (15)

50. De administratione, quam vir ut tutor vel curator habuit, mulierem teneri, decisum est apud Sandium, *d. tit. def.* 8. *vers. dubitatum.* Etsi tutela vel cura muneri, exceptis liberis, non magis quam intercessio conveniat, *l.* 1. *& auth seq. C. quand. mul tut. off.*

51. Ratio Sandii vix suffecerit, quia, *tutelæ obligatio est è quasi contractu*, ait; nec enim omnes quasi contractus mulierem obligant; exemplo sit hæreditatis aditio, & rei communio: nec Statutum, nec Jus Cæsaris quasi-contractus hac parte veris præferunt.

52. Videndum, ne non hæc potius sit ratio; cum vir ex tutela, vel cura *reliquator* existit, pecuniæ pupillares in rem communem versæ præsumuntur, quod secus in intercessione. (16)

53. Idem Sandius, cessare communem obligationem ait, si conjux alter contractui expresse contradicat, *d. def. vers. si mulier.*

54. Est hoc verum respectu *mariti*, si is prohibuerit contractum mulieris, de rebus mercaturæ communis, & œconomicis; non potest esse verum de quavis contradictione *mulieris*, nisi vir officium boni patrisfamilias aperte excedat.

55. Alioqui mulierem interdictum judicis impetrare oportet; nam officium curatoris non fert, ut uxores pro lubitu, contradicendo viris, eorum auctoritatem proterere possint. (17)

56. Denique sunt modi, quibus hæc

(*) Pluribus hac de re disputantem Auctorem vidimus, *sup. in Collat. I. p.* 18. *seqq.*

(15) Quemadmodum omni die in Frisia, utrum bene, an male, censere nostrum est. Vid. Auctor in *Iurisp. Hod. d. l.* § 6. *& de Iure Civit. lib. III. sect. II. c. V.* § 21. *seqq.*

(16) Mea ratio est, quod maior in Iure favor sit *aetatis* quam *sexus*, unde & Senatusconsulti Velleiani renunciatio in muliere tutrice petenda est.

(17) Qua de re Auctor in *Iurisp. Hod. lib. I. cap. XI.* § 28. *seqq.*

hæc societas *finitur*, 1. Morte sine dubio, 2. Divortio, non modo quo vinculum conjugii, sed etiam quo cohabitatio solvitur, mutua culpa; non si vir, non si mulier, temere diverterit. *Sand. lib. 2. t. 4. def. 4.* (18)

58. 3. Finitur *Pacto*, sicut antea dictum, nisi respectu certorum bonorum ineatur, tum potius exceptio est à Cura.

59. 4. Finitur hæc Cura, si vir venerit in eum statum, ut ipse Curatoris egeat, veluti si furiosus, aut prodigus fiat. *Separatio bonorum* inter conjuges ad hunc finem non sufficit. (19)

C A-

(18) Vid. Auctor *d. l.* § 43. *seqq.* Distinguendum itaque inter Separationem *publicam*, quae fit decreto magistratus, & inter *privatam*, quae aliter. In utraque tamen ratio habetur *partis laesae*, ita ut qui coniugum sua culpa caussam separationi dederit, a culpae tempore communione *adquaestus* coniugalis excidisse censeatur. Ceterum in dubio, *mutua* utriusque *culpa* separati fuisse intelliguntur, & nonnisi a separationis facto, vel decreto, adquaestuum communicatio desiisse. Vid. Sande *cit. loc.* Quia vero Coniugibus privato arbitrio a se invicem discedere non licet; sique discesserint, a Magistratu ad redintegrandam cohabitationem cogi debent; omnino dicendum est, officio iudicis contineri, in caussas *separationis*, æque atque in caussas *divortii* sollicite inquirere, neque impunitum dimittere, qui alterutri caussam praebuit. *Caussae* vero *separationis* fere eaedem sunt quae divortii, tum & aliae, mutuam cohabitationem vel tollentes, vel turbantes, enumeratae ab Henr. Brouero *lib. II. de Iure Connub. cap. XXIX.* § 3. *seqq.* Poenae denique civiles regulariter eaedem sunt eius, qui separationi, ac qui divortio sua culpa caussam dedit, *arg. l.* 8. *C. de Repud. & Nov. CXVII. cap. 9. ibiq. Interp.* Barbosa, *ad tit. D. Sol. matr. p.* 24. *num.* 37. & Brouer *d. l.* § 17. & 20. Atque haec communis Doctorum opinio est, omnibusque Germaniae & Belgii tribunalibus probata. Vid. Mod. Pistor. *part. II. quaest.* 90. *fin.* Carpzov. *lib. II. Iurisp. Consist. defin.* 213. Stryck. in *Usu Mod. Pand. ad tit. de Divort.* § 67. Wesel *de Connub. Bon. Soc. tract. II. cap. IV.* § 31. & 39. *cum seqq.* Huber in *Iurisp. Hod. d. lib. I. cap. VI.* § 13. *seqq. & cap. XI.* § 43. *seqq.* Me tamen Adsessore, in supremo Revisionis iudicio, aliquando aliter ius dictum memini.

(19) Scilicet quae mutuo utrinque consensu privatim facta est; quum *Cura* ista sit *legitima*, adeoque Iuris publici, *arg. l.* 38. & *l.* 42. *D. de Pact.* Ceterum quae de *pacto* Auctor tum *hoc cap. § praec. tum cap. VII.* § 20. 21. & *ult.* in contrarium disputat, de sola administratione bonorum intelligi debent, non de auctoritate & iure viri; sicut ad § *ult. cap. praec.* iam monuimus. Nisi etiam disertis verbis uxorem *propriae auctoritatis*, in administrandis bonis suis, maritus constituat, sola bonorum inter coniuges separatio Curam viri tollere non videtur. De *furore*, aliove vitio sontico, Curam mariti finiente, *sup.* in *Collat. I. p.* 40. *seqq. & cap. praec.* § 30. Conf. *Iurisp. Hod. d. cap. X.* § 11. & 23.

C A P U T I X.

De Tutelis.

DEfectum patriæ poteſtatis, de quâ ejuſque cauſis ad- ‑ıc egimus, ſupplet *Tutela*, quæ : Jure Civili, ſic etiam apud ›s *triplex* eſt, Teſtamentaria, egitima, & Dativa. (*a*)

2. Apud alias gentes, cum rigor : vigor patriæ poteſtatis ſublatus t, non datur teſtamentaria, niſi *npropria*, quæ non valet, niſi onfirmetur à Magiſtratu, & tum quovis Teſtatore conſtitui po- :ſt, ſecundum *l.* 1. *&* 4. *de con- rm. tut.* (*b*)

3. Apud nos ſolet quidem *con- rmatio* plerumque adhiberi; ſed ullum dubium eſt, quin ſi Pa- :r, habens liberos in poteſtate, et tutores teſtamento, hi recte 'utelam adminiſtrent, nec opus t illis auctoritate Magiſtratus, er *l.* 7. *ff. d. Teſtam. tut. d. l.* . *&* 4. (*c*)

4 Idemque per *regulam* Juris oſtri certiſſimam; quicquid Sta- ıtis diſerte non eſt mutatum, in iis obtinet ratio Juris Romani. *Sand. lib.* 2. *tit.* 2. *def.* 2. *verſ. quod axioma. & def.* 7. *in fin. lib.* 4 *tit.* 1. *in fin. Herbaj. cap.* 13. *§.* 6.

5. Qui vero dati ſunt ab his, quibus non erat illa facultas Patriæ poteſtatis, hi ſine confirmatione Magiſtratus, Tutelæ adminiſtrationem ſuſcipere non poſſunt, *per dd. ll.*

6. In legitimis Tutoribus *Statutum* hactenus abit à Jure Civili, quod hi non immediatè à lege ſine facto Magiſtratus officium accipiunt, ut eſt in *l.* 5. *pr. ff. d. legit. tut.* ſed quod opus ſit cognitione cauſſæ per Magiſtratus, *lib.* 1. *tit.* 7. *art.* 1.

7. Atque horum judicio committitur, utrum proximi agnati vel cognati ſint idonei, vel ſecus; ut conſequenter eos præterire, & extraneos etiam eligere poſſint, *d. art.* 1.

8. In *Parentibus* tamen utriuſ-

(*a*) Vid. Auctor in *Juriſp. Hod. lib. I. cap.* 14. *& ſeqq.*
(b) Unde vulgo omnis hodie Tutela *Dativa* eſſe dicitur. Conf. ſis Jo. Voet ad *titt. de Teſt. tut. & de Conf. tut.*
(*c*) Aliter tamen in foro obſervari Auctor non negat, in *Iuriſp. Hod. d. l.* § 19.

que sexus & gradus, quando legitima Tutela ad illos devolvitur, adhuc stamus Jure Civili, ut sine judicio, & sine confirmatione Magistratus, tutelam administrent. (*d*)

9. Reliqui sive agnati, sive cognati, à Magistratu auctoritatem exspectare debent, qui remotiores quoque præferre possunt propinquioribus, & adfines consanguineis, si aptiores eos esse credat, ut *Statutum* indicat, & memini esse judicatum.

10. Non possunt igitur cognati contendere de Tutela, quasi de jure sibi acquisito; nisi quis arbitretur, se aptiorem esse prælato; quo casu si judex inferior dederit, postpositus appellare poterit, non tam quia gradu prior; quamvis & hoc, cæteris paribus, rectè allegetur; quam quia magis, ut loquuntur, *qualificatus*.

11. Tutoris datio *Jure Frisico*, non venit ex lege speciali, sicut Jure Civili, *l.* 6. § 2. *ff. d. tutel.* sed est ordinariæ jurisdictionis, competens cuilibet Magistratui, cujus potestati pupillus est subjectus, vel cui se partes suâ voluntate submittunt: sine discrimine, mediocris an locuples sit pupillus, quod Romanis placuerat, §. *pen. Inst. de Attil. tut.*

12. Si tutor eligendus in alia jurisdictione sit, cogi præterquam apud suum judicem nequit; verum ad Curiam Supremam recta vocari potest; quoniam caussæ pupillares primâ instantiâ deferri possunt ad Curiam.

13. Ad *modum* tutores dandi pertinet primo, quod præter personas, quibus Jure Civili injungitur, ut indicent Magistratibus, qui qualesque pupilli tutorum egeant; ex *Statuto* sint quoque judices pedanei pagorum, & vespillones, *d. lib.* 1. *tit.* 7. *art.* 6. (*e*)

14 Propinqui tamen id officium frequentius præstant, atque simul petunt Tutorem, quod plerumque per modum voluntariæ jurisdictionis peragitur. Petens Tutorem, constituit se quasi *Requisitorem*, rogatque Judicem, ut Titium declarare velit Tutorem hujus aut illius Pupilli, qui postquam animum suum atque consensum

(*d*) In *Iurisp. Hod. d. l* § 26. non tam *ipso iure* in Parentibus hoc obtinere, quam potius, eorum Confirmationem *usu* non observari, Auctor tradit; integra proinde magistratus auctoritate.

(*e*) Iudices Pedanei agrorum, *Dorprechters*, quam notionem habeant, Auctor exponit, in *Iurisp. Hod. lib. IV. cap. XIII.* § 8. *seqq.* Eademque est obligatio vicinorum ruri, atque vespillonum in oppidis. Vid. *Statuta d. l.*

ı expofuit, judex negotium ı redigit, & à novo Tutore *ındum* fidelitatis exigit. (*)

Quando autem Teftamenta- 'utor confirmatur, non opus ıas partes in judicio confifte- l *in acta* fimpliciter redigitur, ımentum judici effe exhibi- quo Titius fit nominatus Tu- & quod fecundum tabulas ımenti fit confirmatus. &c.

;. Adminiftrantur hæ res ne- ntius apud nos, quam *Jure ano* præcipitur, fecundum ı aut fatisdatio à Tutoribus ftanda, vel diligens inquifitio Magiftratum fieri debet in es & facultates Tutorum; *fa- tio* apud nos obfolevit, ut lem videtur, nifi ob cauffam. *de* 2. 9. 9. (*f*) At *inquifitio* :m in ejus locum fuccedere uit. Vid. *Pofit. Inft. in pr. d. sdat. Tutor.* (*g*)

17. Id ego inter ea capita retulerim, quæ non funt abrogata Jure noftro, fed per imperitiam focordiamque neglecta; proinde, fi Magiftratus dederint Tutorem fine *fatisdatione*, quem fcire potuerant inidoneum, & periculofum fore pupillo, fic exiftimo, actioni fubfidiariæ locum effe oportere, de qua in *tit. Inft. & ff. de fatisd. tut.* & *de Mag. conv.* (*b*)

18. Quam follicitus fuerit Legiflator Romanus, ut pupillorum indemnitati confuleretur, & quam non immerito, palam eft; quid nobis cauffæ effe queat, ut rem tantam agamus tam negligenter?

19. Interea certum eft, illos actus voluntarios non præjudicare tertio, quin tutoris dationem ut illegitimam & vitiofam arguere poffint, fi quis etiam fe potiori jure tutorem effe debere contendat; non obftante illa confirmatione

) Ceterum & eo non exacto, legitimi tutores effe intelliguntur. Vid. Sande *II. tit. IX. def.* 10.

) Atque ita Ordines, *Statut. lib. I. tit. VII. art.* 9. exceptis nempe obæ- ı, aliterve fufpectis.

) Immo & reapfe fucceffit, data Magiftratibus facultate magis idoneum prae- ndi aliis, non legitimis folum, fed etiam teftamentariis, quod fine *inquifitio-* fieri non poteft, *arg. d. art.* 1. *Stat. I.* 7. Conf. fup. ad § 3, & 8. *huj. cap.*

b) Nimirum, haud rite facta *inquifitione* in mores & bona, qualem omnes ho- magiftratus, una cum Tutoris datione, habent, ipfomet Auctore profitente, . § 11. *iunc.* § 16. *huic cap.* Quia tamen plerifque locis fatisdationem exigere giftratus debent, fi aliter pupillo minus confultum videatur, omnino & *actioni fidiariae* locum effe exiftimo, ob dolum, culpamve latam, ob levem non item. eiudiciis utriufque Batavorum Curiae hoc ipfum confirmat Simon van Leeuwen, *Cenf. For. lib. I. cap.* 17. § 4. Aliorum auctoritates cumularunt uterque Voe- ı *ad tit. Inft. de Satisd. fin. & tit. D. de Mag. conv.* Addefis Thomafium ad cl. Auctoris noftri, *tit. Inft. de Satisd. in fin.*

tione publica, potest in jus vocare Tutorem datum, atque contendere, non jure datum esse, proinde ut abstineat ab administratione, patiaturque ab se Tutelam geri; ac ita fit. (*i*)

(*i*) Sup. §9. & 10. *hui. cap.*

CAPUT X.

De Curatoribus.

1. Differentias inter Tutelam atque Curam, quæ sunt Jure Civil. moribus hodiernis sublatas esse tradunt Pragmatici; quod & de Frisico Jure dicendum videbatur ex eo, quod de utroque pariter, unoque titulo agitur, & Minoribus annis 25. sine discrimine Puberum & Impuberum, applicatur quicquid sub ea Rubrica collocatum est; nomen quoque *Voogden*, *Voormombers*, *&c.* de utrisque promiscue usurpatur.

2. At hoc quidem Græci Jureconsulti perinde habent, qui κηδημόνας, & ἀφήλικας, (*) tam de tutoribus, & pupillis, quam de Curatoribus, & minoribus usurpant; nec tamen ideo minus distinguunt inter Tutelæ jus atque Curæ, tametsi verum sit, è confusione vocabulorum apud nos ortam esse confusionem rerum, quæ tamen opinione quam effectu major est.

3. Nec adeo dubitandum censeo, quin *reales differentiae*, cum nusquam sublatæ sint, adhuc obtineant; adeo quidem, ut is qui tutelam impuberis gessit, post pubertatem nova confirmatione indigeat, si omnem vim Curatoriæ potestatis exercere velit.

4. Ac ita Senatum censuisse, testatur Suffridus Sakema, Senator olim Curiæ Supremæ, in *notis M. SS. ad Statuta Frisi. lib. 1. t. 1. art.* 10. ubi judicatum refert, Curatorem, qui tutor fuerat, impedire non posse nuptias puellæ, cujus se Curatorem gesserat, absque nova Auctoritate Magistratus; in caussa *Frans Jacobs de Fries*, contra D[rem] Martinum Wybinga, Anno 1619. ante ferias Caniculares.

5. Et ratio suffragatur, quia Pu-

(*) Vid. tamen Suidas *h. v.*

eres suo arbitratu Curatores
ere possunt, ut omni die ser-
r, consequenter & Tutorem
terire, quem proinde solutum
Curatorio esse oportet; aut
:, inquam, necessum est; aut

dicendum, adolescentem non posse alium eligere, quatenus minor Curatorem semel constitutum sine caussa invitum removere non potest. (1)

6. Sed esset iniquum, adolescentem,

(Tt 3)

) *Tutelae Curaeque* distinctio propria Romanorum est, veteribus Graecis κηδε-
εν & ἐπιτροπὴν, tum in genere pro cura quorumlibet negotiorum, tum in spe-
pro tutela simul ac cura *minorum annis viginti*, usurpantibus. De qua pleniori
escentum, τῶν ἀφηλίκων, pubertate Pollux *lib. VIII. cap.* 9. atque ex professo
'etitus *ad LL. Att. lib. II. tit. IV. p.* 229. *seqq. item lib. VI. tit. VII. p.*
seqq. Recentiores proinde, Iuri Romano obnoxii, differentiae caussa τοὺς ἐπι-
τρόπους, *Tutores*, ἀπὸ τῶν κουράτωρων, a *Curatoribus*, proprio horum sua lingua
iine destituti, distinxerunt. Immo & Τουτέλας & Τουτώρων mentio in Glossis No-
is frequentissima est. Vid. Meursius in *Glossario Gr. Barb. voc.* κουράτωρ. & Lab-
s in *Gloss. Verb. Iur. voc.* Τουτέλα *&c. ad fin. tom. III. Thes. Jur.* Neque
Germanorum veterum iurisprudentia, ad aetatem quod attinet, eiusque tuen-
curam, auctore Tacito *de M. G. cap.* 20. & Caesare *lib. VI. de B. G. cap.* 21.
orum longissimam pueritiam & Mela praedicat *lib. III. cap.* 3. omnibusque com-
ndat Ocellus Lucanus, *de Univ. cap.* 4. qua de re post Ill. Ludewigium in *Diss.*
Aet. pub. & maior. plena manu commentatus est Cl. Heineccius in *Elem. Iur.*
rm. lib. I. tit. XV. § 333. *seqq.* Non mirum itaque, apud gentes originis Ger-
nicae nec ullum hodie *Tutelam* inter & *Curam* discrimen observari, interve
puberes ac *Minores*; quapropter & nostrates vernaculis vocabulis *Momber*, *Voor-*
mber, *Voogd*; itemque *Onmondige*, *Weesen*, & *Minderjaarige*, promiscue u-
itur. Atque ita cum alibi, tum in Belgio, ipsoque apud *Frisios*, publici iuris
:, avita maiorum instituta, in Ius Scriptum iam olim conversa, palam testantur,
lib. I. Statutt. tit. VII. nisi quod alia atque alia maiorennitatis definitio, modo
igioria, modo angustioris, passim observetur, adnotantibus Ludewigio in *cit. Diss.*
P. Voetio, *ad pr. Inst. de Curatt.* quibus addesis Ant. Matthaeum nepotem, *ad*
Inst. Quib. mod. tut. fin. & ad § 2. *Inst. de Tutel.* Quae vero mutata sen-
itia, olim in *Disputt. Fundam.* defensa, *Disp. XXIII.* § 5. in contrarium magno
n adparatu Auctor disputat, tum *h. l.* tum *sup. in Ausp. Dom. Collat. I. p.* 45.
q. & iterum *p.* 291. *seqq.* denique in *Iurisp. Hod. lib. I. cap. XV.* § 3. *& seqq.*
rtim ex abundantiore erga Romanas Leges adfectu, partim ex inveterato apud
isios brocardico, toties ipsi laudato, repetendum videtur, *quodcunque ex Iure Ci-*
'i in Statutis mutatum non est, id perpetua fori observantia etiam nunc custodiri.
d pace manium tanti Viri, olim & in Academia, & in Curia, totoque adeo Iu-
campo, arte & usu exercitatissimi, subsistere mihi liceat, & axiomatis istius au-
ıritatem desiderare; quandoquidem quam plurima Iuris Romani capita, *Statutis*
idem *Provincialibus* nunquam abrogata, tamen ab omni fori usu in hunc diem
ıge remotissima deprehenduntur. Equidem publice *receptum* esse Ius Civile fateor,
at

centem, qui in tutela fuit, eodem jure non posse uti, quod cunctis puberibus à lege tribuitur; quod si potest alium eligere, Tutor ille qui fuit, non est jure suo Curator, verum *pro Curatore* negotia gerit. (2)

7. Est & hæc differentia, quæ caret omni dubio, quod Tutores pro pupillis ab aliis petuntur, *l. 1. & 2. d. his qui pet. tut.* Curatores ab ipsis adolescentibus peti debent, *d. l. 2. in fin. & l. seq. d. tit.* Estque hoc in usu assiduo fori nostri.

8. Sicut & illud indubitatum est, quod Curatores semper necessariò à Magistratu confirmandi sunt, tutores non semper, ut antea demonstravimus.

9. Sed an *inviti adolescentes* coguntur accipere Curatorem? Jure Civili non posse, certa res est, § 2. *Inst. d. Curator* nisi ad certos actus, ut ad litem *d.* § 2. solutionis, aliave caussa *l. 7.* § 2. *de Minor.* idque tum indirectè, quatenus adversarius negare potest litem contestari vel solvere, nisi ille petat Curatorem *dd. ll.* diximus latè & plene *lib. 3. Digress. cap. 15. & seqq.* (3)

10. Extra

at non integrum, neque omnino, sed in subsidium, iisque tantum in caussis, ubi neque Maiorum *mores*, neque patriae *leges*, neque forma *regiminis*, secta denique publicae *religionis*, refragari viderentur; qua de re inf. Ampl. *Zach. Huberum* non indiserte graviterque differentem audiemus. Ceterum avita Germanorum, Frisiorumque adeo, & ceterorum pariter Belgarum, quotquot eadem origine censentur, iura atque instituta, istam Romani Iuris differentiam semper ignorarunt, omnique imperfectae aetati per eosdem defensores consultum usque voluerunt. Vid. Beierus in *Diss. de hod. Tut. & Cur. differ.* & Thomasius *de Quasi-emancip.* § 14. *seqq.* Vnum itaque, alterumque praeiudicium, è Curiae decisionibus ab Auctore adlatum, *dd. ll.* abrogando iuri veteri, a Maioribus ad nos propagato, haud suffectura esse arbitror; alia ut taceam, invita omnino Themide, in sponsalibus *D. Wybingae* cum puella vix pubere initis, & exemplo non optimo commissa. Qua propter & paternae doctrinae assiduum fori usum haud convenire, profiteri non dubitavit Ampl. Auctoris filius, in altera editione *Iurisp. Hod. d. cap. XV.* § 29. Cetera huius loci non sunt, ut ulteriori examine discutiantur.

(2) Immo vero continuari *Tutelam* sub *Curae* nomine, nullamque hodie *confirmationem* fieri, certo certius videtur. Qui autem pubes iam factus est, vel ipse Curatorem petit, vel cognati, vel ex officio ipsi dat magistratus, ipsomet tradente Auctore, § 11. & 13. *inf.* & Ampl. Auctoris Filio *lib. I. Observ. For. cap.* 30. *fin.*

(3) Invitos minores *ordinariis* Curatoribus, nisi iustam ob caussam, Iure Romano subiectos non fuisse, tam liquido ex collatis inter se XII. Tabulis, Laetoria lege, & Constitutione D. Marci, ab aliis ostensum est, ut dudum apud peritiores hoc caput inter controversias numerari desierit. *Extra ordinem* vero, ad celebrandos

actus,

10. Extra hos casus, Puberes iisse coactos accipere Curato- :m, ego nec quidem ullo apud os exemplo novi. Ipsi petere ebent, alius pro illis sine speciali iandato non potest, *d. l.* 2. § 4. *ff qui pet. tut.* & hoc nos ser- amus. *Coactio*, si petere nolint, nde proficiscetur? Lex quæ lagistratibus id injungat, deficit, que apud nos, ac Jure Romano.

11. Proinde, si bene res suas erant, (& sunt qui sufficiunt) ene habet, nec videntur cogen- i; si male, in promptu erat, & t hodieque remedium interdi- :ionis: cujus evitandi gratia (nam iggillat famam) dicendum est, onsanguineos à Magistratibus etere posse, ut invitis Curator :tur, vel ipsos Judices id ex offi- o in eos decernere posse. Quod ab initio fieri potest, si appareat, eos non esse habiles ad res suas gerendas, ut fere sunt, qui recen- tes in pubertatem appulerunt.

12. Nec tu dixeris, liquere, quod etiam benè rem suam geren- tes cogi possint, ex eo quod pror- sus non liceat illis sua curare, nisi veniam ætatis impetraverint: hoc enim perinde Jure Civili cautum est, & constat ad eos pertinere, qui jam Curatoribus subjecti sunt, *l.* 1. § *ult. cum l. seq. ff. d. minor.* (4)

13. Cæterum, ut Jure Civili post Divum Marcum datio Cura- torum juris ordinarii facta est, ita apud nos raro fit, quin adolescen- tes habeant Curatores, ultro, aut monentibus amicis, abse petitos.

14. Reliqua de Curatoribus, eorumque triplici genere, peten- da ex Institutionibus Juris Civi- lis, quæ in Frisiâ examussim ser- vantur.

C A-

:us, iure publico valituros, Curatores intervenisse, iam supra attigimus, *Collat. p.* 47. Atque hoc demum sensu Dionis Cassii locus *lib. LII. p.* 476. intelligi κλόγως potest, notata simul eiusdem ἀνισογηρίας, imperio Augusti, legique Laeto- e tribuentis, quod integro post saeculo sancturus erat D. Marcus.

(4) Rem omnem in haec pauca contraho: Minor *Curatorem non habens* Iure Ci- i valide obligatur, salva tamen Praetoris restitutione, si laesus sit *l.* 101. *D. de O. iunc. l.* 1. § 1. *D. de Min.* 25. *ann.* & *l.* 5. *C. de in integr. restit. minor.* inor autem *Curatorem habens* sine consensu huius obligari cum effectu non potest, ıd magis ac pupillus absque auctoritate sui tutoris, *d. l.* 3. *C.* Nulla proinde *l.* 101. emendatio necessaria; haec enim verba: *Puberes sine curatoribus suis pos- it ex stipulatu obligari*, per graecismum intelligi de illis debent, qui Curato- non habent, itidem atque in *l.* 7. § 1. *D. de minorib. vig. quinq. ann.* & con- ıienter *cit. l.* 3. *C. de integ. rest. min.* Vid. Zach. Huberus in *Diss. V. lib. III.* . 1. & *tomo I. Obs. For. cap.* 30. cuius tamen vel sententia, vel explicatione, orsus non utor. Tu adde Io. Mercerum *lib. I. Opin. cap.* 6. Nos alio forte :o plura adferemus.

CAPUT XI.

De Administratione Tutorum & Curatorum. (a)

INitium administrationis Tutores atque Curatores facere debent ab *Inventario*, de quo nihil in Statutis cautum est, sed agitur in *d. lib.* 1. *tit.* 7. *art.* 2. de Inventario, quod facere debent Magistratus, antequam tutor vel Curator sit constitutus.

2. Ait enim, si minores annis 25. parentes suos amiserint, *Magistratuum* id esse officium, ut bona cuncta describant, atque si necesse fuerit obsignent. (*b*)

3. Hujus rei *praxis* est, ut quia recenti funere descriptio omnium rerum difficulter fieri potest, Magistratus continuo post mortem capsas & cistas, aut, si res ferat, integras diætas signis suis concludant, rebus necessarii usus exemptis, donec Tutor vel Curator ordine sit constitutus.

4. Eo confirmato, Magistratus urgere solent, ut tum patiantur Tutores Curatoresque descriptionem bonorum ab se fieri, nec aliter in animum inducunt, ut signa tolli jubeant; idque vi *Statuti* sic fieri oportere contendunt: planeque sic est eorum ratio, quasi illa descriptio, sive jus faciendi inventarii, sit facultas ipsis acquisita, & eorum emolumento reperta. (*c*)

5. Quia vero *sumptus* ejusmodi descriptionum sæpe in enorme abeunt,

(*a*) Vid. Auctor in *Iurisp. Hod. lib. I. cap.* 18.

(*b*) *Publicum* Inventarium, sicuti Iuris est Civilis, *inf.* § 7. *h.* ita & Frisici, *d. art.* 2. cum quo sententiam Auctoris nostri conciliare prorsus nescio. Omnino enim sancit Statutum, ut *post* constitutos tutores, non *ante*, Magistratus curent inventarium confici, *d. art.* 2. etiamsi tutores adsint testamentarii, *d. l.* secus atque Auctor, & *h. l.* & in *Iurisp. Hod. d. cap.* 18. § 4.

(*c*) Dolendum utique, in Civitatibus plerisque, etiam non longinquis, quae administrantium intuitu non nisi *onera* esse debebant, & utilitatem spectare alienam, publicam privatamve; converso ordine ab administratoribus pro *quaestu* habeantur, cum insigni damno, vel pernicie eorum, quibus unice consuli debuerat. Hinc furipsus honorum, officiorumque ambitus; hinc sordidae *Commissionum*, quas vocant, venationes; hinc denique publicorum inventariorum, & praefecturae orphanorum commune odium ac fuga; quum tamen parci *sumtibus* oporteret, iuvarique pupillos, non mergi, *inf.* § *seq.* & *pen. h.*

abeunt, hinc nihil frequentius eſt, quam ut Curatores ſe illis opponant; & hactenus habent rationem, quod inventarium eo tempore faciendum, quo Curator jam conſtitutus eſt, non ſit illud, quod *Statutum* Magiſtratibus injungit.

6. Hoc enim fieri debet, antequam Curator ſit conſtitutus, pro ſecuritate cuſtodiaque rerum, & obſignationem *præcedere* debet, adeoque diverſiſſimum eſt ab Inventario, quod Tutor facit, ut fundamentum ſuæ adminiſtrationis, rationumque reddendarum. (*)

7. Et tamen Senatus plerumque Curatoribus injungit, ut hoc quoque ſuum inventarium præſente Magiſtratu faciant, non vi Statuti, ſed quia ſic *Jure Communi* cautum eſt, Tutores inventaria publicè facere debere, *l. ult. C. arbitr. tut.* ſub exceptione tamen duplici. (*d*)

8. *Prima*, ſi parens, vel is cujus eſt hæreditas, inventarium fieri prohibuerit, *d. l. ult.* non modo, ſi teſtamento vel codicillis, ſed & alio quovis modo facta ſit prohibitio, (*e*) veluti ſi in Kalendario, ſive libro rationum, à defuncto ſcripta fuerit, cujusmodi caſus in Senatu definitus eſt *d.* 22. *Febr.* 1681.

9. *Altera*, ſi hæreditas pupillorum minorumve ſit exigua, ut ſumptus ad judiciale Inventarium requiſitos ferre nequeat, aliterque ſecuritati pupillorum bene ſit proſpectum; hoc caſu, etſi nulla ſit prohibitio, ſolet tamen Curia permittere Tutoribus, ut coram Notario teſtibuſque, vel cum propinquis pupillorum, faciant Inventarium. Nam lex Inventarium non requirit ad mergendos, ſed ad juvandos pupillos.

10. Et talis deſcriptio coram propinquis aliisve teſtibus fide dignis nunquam non à *Tutore*, vel *Curatore* facienda eſt, etiam videlicet, ubi pater inventarium fieri prohibuit. (*f*)

11. Præterea, ex eo quod diximus, Inventarium à Tutoribus facien-

(V v)

(*) Hoc vero Inventarium *privatum* eſt.

(*d*) Atque ex hoc *Communi Iure* articulum memoratum in Statuta migraſſe, dubium mihi nullum eſt.

(*e*) *Obſignationem* vero fruſtra pater, aliusve prohibet, *d. lib. I. Stat. tit. VII.* §. 3.

(*f*) Sed præter mentem *Statuti*, quo de *publico* agitur Inventario, non de *priva*-dd. II.

faciendum, esse diversum à descriptione, quam Statutum imperat, sequitur Magistratus qui res obsignant, non posse prohibere Tutores, quominus hi ad suum Inventarium conficiendum petere possint *Commissarium* à Curiâ Supremâ; quia non est accessio obsignationis, sed obsignatio debebat esse accessio descriptionis, quæ facienda erat ante constitutionem Tutoris, ac ita servatur.

12. *Praxin* tamen illam faciendi obsignationem sine prævia descriptione, fatendum est, è re communi esse, ne pupilli sumptu duplicis Inventarii onerentur.

13. Post confirmationem, factumque inventarium, Magistratus nihil amplius de rebus pupilli curant, sive quod educationem modumve alimentorum, sive alia negotia spectet, secus ac Jure Romano cautum, *tit. ff. ubi pup. educ.*

14. Neque vero *matribus*, etsi ad secunda vota transierint, adimitur educatio, quod vult Imperator, in *l.* 1. *C. d. tit. in verb. si non vitricum eis induxerit.*

15. Imo *Vitricus* haud raro Tutor datur, quod tamen nescio, an non propinqui, alio tutore petito, impedire possent; utique si *mores* hominis & *facultates* non sint omni exceptione majores; meminique post confirmationem Vitrici, cum alius ex affinibus esset Tutor à Curia datus, hunc causâ cognita esse prælatum Vitrico. Pendet hæc res ab arbitrio Prætoris. (*g*)

16. Proinde Jus nostrum hac parte non habere diversam à Jure Communi interpretationem, existimo, quemadmodum & cætera de administratione cum eodem Jure Cæsaris exacte conveniunt.

17. Nisi quod *rationes* tam à Tutore, quam à Curatore, etiam ante finem Tutelæ Curæque liceat exigere, secus ac Jure Civili, *l.* 4. *in pr. de Tut. & ration.* (*h*) Quod tamen in reliquis penes Curatorem esse deprehenditur, id ante finem Tutelæ reddere non cogitur. *Sand.* 2. 9. 12.

(*g*) Illud fieri ex *Statuto* statim non potest, ante secundas enim nuptias vidua prospicere liberis suis de tutore iubetur, *d. tit VII.* §. 5.

(*h*) Rationem supra reddidimus, ad *tit. X. not.* (2) quia scil. munus *Tutela* pubertate pupilli non finitur, sed sub *Curæ* nomine continuatur.

C A P U T XII.

Quibus modis Tutela vel Cura finitur.

1. EX eo quod antea dictum est, colligi potuit, *Pubertatem* adhuc apud nos esse modum finiendi Tutelam, quia Cura novum munus est, realiter à Tutela distinctum. (1)

2. Etsi adolescens eundem petat sibi Curatorem dari, statuendum est, eum posse caussâ excusationis uti, si velit, secundum Cæsarem, in §. 18. *Inst. de excus. tut.* (2)

3. Cætera de modis finiendæ tutelæ, si capitis diminutionem eximas, rationibusque excusandi, perinde apud nos, ac Justinianus præscripsit, observantur.

4. Nisi quod ex ordine Ecclesiastico soli *Pastores* excusantur, qui Jure Civili prohibentur. *Sande 2. 9. 7. Presbyteri* vero & *Diaconi* post reformationem Ecclesiarum, τῦ πολλῦ δήμυ habentur, neque pro Clericis, sed pro Civibus honorantur. (3)

5. Prohibitio Juris Civilis, ne Vir sit Curator Uxoris, vix usum habere potest, quia Vir autoritate legis est Curator Uxoris, impropriè loquendo, ut sæpius dictum. (4)

6. Quid si Mulier nupta *res* habeat *receptitias*, quæ dicuntur, autoritati scilicet virili exemptas, cujusmodi apud nos & jure constitui possunt, & dantur, ut diximus *Cap. 7. num.* 21. an Vir in his bonis Curator uxoris, si minor sit, dari potest? existimo non posse, & in his valere prohibitionem legis, quod etiam inter partes actum videtur, eo ipso, quod juri maritali exempta sunt. (5)

7. *Remotio* Tutoris vel Curato-

 ris

(1) Non videri, iam plus semel monuimus, *capp. prae.*

(2) Etiam hæc Iuris magis *Romani*, quam *patrii*, esse puto, & longo demum [u]su obtinere posse.

(3) Quasi vero *Pastores* magis apud nos pro *Clericis* habendi, quam presbyteri, dia[c]oni, vel fidelium reliqui; quod minime existimo.

(4) Sed *Iure Civili* de minore annis, *nostro* de uxore ætatis cuiuslibet cavetur: [n]*o* enim tales nuptiæ prohibitæ, *nostro* non item.

(5) *Cura mariti* inter effectus legitimi hodie matrimonii est; æque ac *potestas ma[rit]alis*; in bonis vero receptitiis uxor sui plane iuris habetur, haud minus ac solu[ta]; itidem ac vetere Romano Iure, *sup. d. l.*

ris suspecti, per modum accusationis, rarior est apud nos, minime tamen sublata; sed æque libere ac olim institui potest, quid enim vetat? sed quia nunc quovis tempore ad rationes reddendas adigi possunt Tutores, hæc via tanquam mollior eligi solet, ut ad eundem finem remotionis perveniatur.

8. Nihil tamen vetat, quin & *Procurator Generalis*, vel alius quilibet Tutores accusare possit, & quidem Procuratori novissimè id injunxit Curia, cum duo Curatores diversorum Pupilli patrimoniorum sibi invicem sordes & inertiam objecissent nec non probassent, singuli Curæ toti inhiantes; accidit 9. *Decemb.* 1681.

9. Cura finitur veniâ ætatis impetratâ, cujus permissio licet inter jura minora Majestatis referatur, & alibi à Principe, vel ab Ordinibus Summis, indulgeatur, apud nos tamen à Curia Suprema decernitur, ex præscripto Juris Civilis, in *tit. C. de his qui ven. æt. impetr.* (6)

10. Scilicet *Commissarius* per libellum supplicem petitur, qui inquirat in ætatem moresque adolescentis; item, an missus sit è patria manu, & an Curator consentiat, vel justam habeat contradicendi caussam.

11. Qui patrem habet, à quo non est emancipatus, utique non potest habere veniam ætatis: tamen juveni, cujus pater malitiosè deseruerat liberos & uxorem, quæ pridem alii legitimè denupserat, venia ætatis quasi emancipato, non tam jure, quam ex æquo & bono, concessa fuit à Senatu, die 14. *Novembris* 1681. (7)

(6) Vid. Iurispr. Hod. *lib. I. cap.* 20. §. 5. & Opus *de Iure Civit. lib. I. Sect. III. cap.* 7. §. 28. Qua de re fusius, Curiæ intuitu, a me actum memini in Deductione vernacula, van 't Recht van Pardon der Stadthouderen van Frieslandt.

(7) Est enim hæc species emancipationis *necessaria*, arg. *l. ult. D. si a par. quis manum* & *arg. l.* 2. *D. qui sine manum. ad libert. perv.*

C A P U T XIII.

De Pauperibus.

1. DE *Pauperibus* ſuſtentandis parum aut nihil habemus in Inſtitutionibus atque Pandectis, nec adeo opus aut uſus erat; nam qui ſe ipſos tueri non poterant, fere in ſervitutem redigebantur; quâ ſublatâ à *Chriſtianis* poſterioribus, mirificè aucta eſt mendicorum pauperumque inutilis turba hominum. (*a*)

2. Noſtro igitur inſtituto *Pauperes* ſunt, qui non habent unde vivant, ſed ab aliis ſunt alendi.

3. Hoc onus incumbit Parentibus, Liberis, aut Fratribus, atque Sororibus, ſecundum ea quæ ad *tit. ff. d. alend. lib.* §. 8. dicta ſunt. (*b*)

4. *Pauperes*, qui non habent ejusmodi propinquos, aut ſunt vagi, aut ſtabiles loco.

5. De mendicis *vagabundis*, & corpore validis, agetur *infra*, ubi de maleficis. Claudi, muti, cæci, aliterve *miſerabiles*, qui certo carent domicilio, ablegantur ad ea loca, unde ſunt oriundi, nec alibi ſedem figere permittuntur; à momentaneâ ſtipe petendâ non arcentur. (*c*)

6. Qui certo loco habitant, in ſuis locis non prohibentur petere *ſtipem*, vel per compita certis diebus ad id publice conſtitutis, vel accipiunt à corporibus aut collegiis, quibus aggregati ſunt.

7. De loco ad locum non licet *migrare* pauperibus ſine veniâ Magi-

(*a*) Poſt introductam publice *manumiſſionem in SS. Eccl.* Inde enim in hunc diem tot tantique furum atque monachorum greges; inde ſerviles inter Chriſtianos virgarum, ſtigmatum, reſtiumque, & rotarum pœnæ, 2. *F.* 27. *fin.* Prudentius Muhammedani apud Busbequium *Epiſt. III. p.* 119. *ſeqq.*

(*b*) Non diſerta *Iuris* auctoritate, ſed ratione quadam æquitatis, quam fere *mores* ſequi ſolent. Qua de re pluribus Mart. Colerus *lib. I. de Alim. cap. IX.* Diſſentientem valde miror Aug. Leyſerum in *Meditatt. ad Pand. Spec.* 325. *tom. V. p.* 414. inſigniter abutentem *l.* 13. §. 2. *de tut. & rat. diſtr. & l.* 4. *ubi pup. educ.* quas de honeſtate & officio decori, non de Iuris neceſſitate agere, liquidiſſimum eſt. Idemque obſervatur in dote, *l.* 12. §. *pen. de adm. & per. tut.* ipſomet haud refragante Leyſero *Spec.* 303. *num.* 2. *d. tom. V. p.* 186.

(*c*) Vid. Auctor pluribus in *Iurisp. Hod. lib. I. cap.* 23.

gistratuum, qui sunt in iis locis, quo se conferre volunt *lib.* 2. *Stat. tit.* 1. *art.* 8. & 10.

8. Quibus paupertas supervenit, cum ante victum suum exercere possent, hi quoque remittuntur ad locum originis, si necdum *quinquennium* sit elapsum, ex quo inde recesserunt, post id tempus manent, ubi egestas eos deprehendit, secundum Edictum Ordinum *d.* XXX. *Martii* 1660.

9. Additur *limitatio*; nisi jus Civitatis in oppidis acquisiverint; quo casu statim sunt periculo ejusdem civitatis, idemque juris esse videtur, si expresso consensu horum, qui præsunt pagis, recepti fuerint; nihil enim id aliud est, ac apud Urbes recipi in numerum Civium.

10. *Quæsitum* est, an ante quinquennium metu futuri, protestatione factâ, universitas consequi possit, ut pauper ad locum originis etiam post quinquennium remittatur; & negata eo capite est actio inter Foppium Gellii cum soc. nomine pagi Wirdumani, & pagum Warregae ante Ferias æstivas 1680. (*d*)

11. Qui se ipsos exhibere possunt, si *migrare* velint in alium locum, non prohibentur, nec prætextu cautionis præstandæ arceri possunt, etsi tales habeant familias, unde aliquid in futurum metui posset: Eo fine ab Ordinibus *quinquennium* constitutum est, maloque publico fit, ut homines hac caussa vexentur; pro Civibus tamen aut expresso Decreto recipere eos non coguntur oppida pagique, sed solum & cœlum indulgere debent.

12. Pauperes certi loci distinguuntur, quod vel sparsis habitent familiis, vel una domo contineantur. *Priores* sunt vel communes Civitatis Pagive, (sub quibus omnes sectæ hominum) vel Ecclesiastici, qui solos habent Reformatos sub cura Diaconorum.

13. *Posteriores* nomine domuum suarum cognoscuntur, ut sunt Xenodochia, Nosocomia, Orphanotrophia, & Domus Præbendariæ, quæ dicuntur; plures species apud nos non extant.

14. Scire refert has appellationes, quia sæpe fit, ut in *legatis*, quæ

(*d*) *Pactis* quidem renunciari ita iuri alimentorum publicorum posse, *protestatione* non posse, vel hinc patet, quod ex Edicto Ordinum, ius petendi alimenta, pauperi quaesitum, aboleri Universitatis decreto non possit, illo ipso invito, *arg. l.* 3. §. 5. *D. de Sep. viol. iunc.* §. 2. *Inst. de his qui sunt sui vel al. iur.*

quæ pauperibus relinquuntur, interpretandis, usum habeant. Scil: quod pauperibus certi loci relinquitur, id debetur tam communibus Pagi, vel Urbis, quam Ecclesiæ illic Reformatæ pauperibus; est enim generis nomen, ut Senatus judicavit ante feriam Omnium Sanctorum 1681. super legato quod relictum erat *pauperibus Leovardiæ*. Aliud fuisset, si dictum esset *pauperibus urbis aut urbanis Leovardiæ*. (*e*) Domus miserabiles eò non pertinent, quia propriis nominibus appellantur.

15. Ex oppositione tamen verborum fieri potest, ut pauperes *simpliciter* dicti, ad alteram speciem referantur, ut si testator legatum reliquerit *Communibus* Pagi pauperibus, & mox aliud ejusdem loci pauperibus simpliciter; Judicatum est, hoc secundum deberi solis *Diaconis*, etsi oppositio illa fuerit in diversis codicillis; quia testator Pauperes simpliciter dictos opponens Communibus, alios ab his intellexisse debebat, ut à Senatu definitum est decimo Februarij 1680.

16. Sæpe *agitatum* est, an Pauperes Ecclesiarum improbatæ Confessionis legata capere queant, & an omnia quæ ejusmodi corporibus relinquuntur, ab *Reformatis* vindicari possint? Distinguendum est, inter prohibitas, permissas, & toleratas Ecclesias.

17. De *prioribus* non est dubium, quin capere nequeant, ut sunt Pontificii, Sociniani, Quakeri, Parrhesiastæ, denique (*f*) Schismatici; quæ genera apud nos reperiuntur.

18. De *permissis* æque certum est, eos capere posse, quales Lutherani, quibus nuper Ordinum Decreto jus Ecclesiæ condendæ indultum est.

19. De his quæ *tolerantur*, ut sunt Mennonitæ, & Arminiani, quibus Templa palam usurpata publice decreta non sunt, sæpe disceptatum est in Senatu, & prævaluit negantium sententia, non posse capere, ac ita jus dicitur: adeoque cedunt ejusmodi legata pauperibus Reformatis, *arg. l. 16. d. usuf. leg.* (*g*)

20. Huic consequens est, si qui

(*e*) Verum tamen ne ita quidem aliarum *Sectarum* pauperes excepti viderentur, si modo ibi *domicilium* posuissent.

(*f*) Intelligere *Separatistas* videtur, sive *Labadistas*, eo tempore in Frisia Wiwerti agentes. Neque aliud hodie sentiendum de *Collegiantibus*, *Hebrais*, *Hattemistis*, *Deurhovistis*, *Hernhuteris*, aliisque.

(*g*) Nisi tamen isti pauperum, sive *prohibita*, sive *tolerata* sectæ, publice indultum

qui pauperes ejusmodi Ecclesiarum non permissarum ab suis negligantur, eos ab Universitatibus, ubi degunt, esse alendos, qui id onus delegare non possunt rectoribus illorum corporum *illicitorum*; nisi forte per contractum ad id se obligaverint, ut judicium Curiæ fuit inter Diaconos Sneecanos & Mennonitas, ante ferias æstivas 1680.

21. Inde posses argumentari, Curatores pauperum *communium* debere esse participes legatorum, quæ pauperibus illicitis adimuntur, quoniam onus in illos redundat, si qui à Conventiculis suis negligantur, *argum. l.* 10. *ff. de R. I.*

22. Quod pauperibus datum est, sive à singulis, sive ab Universitate, non potest repeti, licet deinde sit unde restituatur, per *l.* 27. §. *ult. l.* 34. *d. Negot. gest.* sed quod obvenit illis dum aluntur, id cedit iis, quorum oneri sunt, ratione naturali *d. l.* 10. nisi tantum sit, ut inde se ipsos tueri queant, tunc se recipere possunt refusis impensis; scilicet ubi receptum est, ut bona pauperum cedant domibus in quibus aluntur; Nam laudabilior est mos eorum, qui fructibus contenti sunt, si qui tales reperiantur.

23. Quod si pro certâ pecuniæ summâ victum aliquis emerit, ut fit in domibus *præbendariis*, quæsitum est, an valeat pactum, ut insuper bona tam præsentia quam futura, ad eam domum pertineant, & an promissor eo pacto amittat jus faciendi testamenti. Ex ratione juris non videtur, quia pactis non defertur hæreditas, nec amittitur testamenti factio, *l.* 15. *C. d. pact. Sand.* 2. 2. 7. *verb. Cujus ratio* &c. Nunquid moribus aliter obtineat, expectandum à decisione Supremi Senatus, apud quem de tali specie *nunc* disputatur.

24. Eadem ratione, Stipendia *Studiosis* inopibus data non tribuunt jus eos postea mancipandi in usum eorum à quibus alti sunt. Nam pietas eleemosynæ respuit omnem repetitionem: sola gratitudinis obligatio contracta est, cujus nulli effectus civiles. (*b*)

25. D.

tum sit Diaconales ædes, orphanotrophia, &c. extruere; sane enim eatenus pro *collegiis licitis* habebuntur; veluti passim in urbibus Hollandiæ observatur. Qua de re Ampl. Præses van Bynkershoek, *lib. III. Quæst. Jur. Priv. cap.* 1.

(*b*) Liceat vero mihi contra sentire; neque enim eleemosynae sunt, quæ utilitatis publicæ caussa, & promovendæ religionis, ab Ordinibus constituuntur; quod etiam exemplo exterorum alumnorum probatissimum est. Possent itaque suo iure *Patroni* uti, si vellent; nec alumni haud ingrati sponte obsequi nollent.

25. D. Gajus Nauta *in decisione M. SS.* 114. scribit, extare Decretum, quo id ab alumnis studiorum exigitur, sed nihil profert; nec puto, proferri potuit à Magistratibus Leovardiensibus, cum hac causâ *Tobiam Tegnæum*, Pastorem suum Hagam Comitis vocatum, dimittere nollent, ut prolixe Nauta commemorat. *(i)*

(*i*) Speciem facti fusius enarrat Auctor in *Iurisp. Hod. d lib. I. cap.* 23. §. 40. Pastore tamen illaudato. Ceterum mutasse ibi sententiam Huberus videtur, citata etiam recentiore *Ordinum* sanctione, eique congrua *Deputatorum* instructione.

easdem, quas Cæsar, veluti Mare, præter sinus & æstuaria, quæ terris nostris cinguntur: *Littora* non habemus Frisii, avulsa multis ante sæculis, à continenti, partesque jam sunt insularum, quibus Frisia prætexitur. *Aggeres* vero, quibus fluctuum vim arcemus, sunt vel Privatorum, ut in Dongriâ, aliisque Præturis Orientalibus; vel Universitatium, ut fere in tractu Occidentali.

8. *Feras bestias* credimus esse communes, etsi non fiunt cujuslibet occupantis, ut mox intelligemus, *cap. seq.*

9. *Publicæ res* nobis etiam sunt portus & flumina: Usus tamen portuum non ita est omnium, ut privatis in iis piscari liceat, quod Cæsar permittit; jus piscandi in nostris portibus publicè ferè locatur.

10. *Flumina* propriè dicta non habemus, ob stagnantem agri nostri humilitatem, sed comparantur iis lacus, & fossæ publicæ, in quibus ferè cuivis piscari licet, modo serventur leges, de quibus *infra cap. seq.*

11. Præterea sunt Publicæ res Fisci, & Ærarii. Priores vocantur *Domania*, Regum olim Hispaniæ Patrimonium, & consistunt in fundis maximè *Biltanis*, in tributis quibusdam accisis, & in mulctis, aliisque commodis, secundum ea quæ Jure Civili constituta sunt. (2)

12. *Res Ærarii* intelliguntur omnes, quæ ad Rempublicam pertinent, nec inter Domania numerantur, ut sunt reditus aliorum vectigalium & tributorum, quæ immenso superant accisa proventusque *Regios* veteres; nobili documento *quam sit Res pretiosa Libertas.* (3)

(2) De fundis *Biltanis* videsis Vbb. Emmium, Winsemium & Schotanum, ad annum 1504. Adpellationis origo incerta: forte autem *aquis mersus ager* indicatur. Certe hoc nomine declivis litorum riparumque situs intelligitur. Neque *maris Balthici* ἔτυμον abludit, neque locorum, amniumque Belgicorum vocabula, Helder, Helvoet, Briel (*Bribel*) Tiel (*Tibel*) Waal (*Wabel*) &c. Neque apud Traiectinos nostros ignota vox, in pago metropoli vicino, *de Bilt.* Sed alii videant. Davus ego sum, non Oedipus.

(3) Soli olim *Imperio* extra ordinem Frisii in usus publicos modicum quid præstabant; *Saxonibus* deinde pro modo agrorum & mercium vectigalia; *Hispanis* denique censum regium, Koningsrente. Vid. Vbbo Emmius *lib. XXXII. seqq. ad ann.* 1493. *& seqq.* & in *Descript. Gen. Fris. p.* 8. *seqq.* item *de Republ. Fris. p.* 28. add. Schotanum *lib. XV. ad ann.* 1525.

CAPUT II.

De Occupatione. (a)

1. PRimum ex juribus in Reest *Dominium*, quod acquiritur vel jure Gentium, vel Jure Civili. E modis jure Gentium cognitis, primus est *Occupatio*, per quam acquiruntur eadem apud nos, quæ Jure Civili.

2. Exceptis *feris bestiis*, quarum jus capiendi datum est personis ad hoc privilegiatis, quæ sunt Nobiles & proprietarii, habentes jus suffragii, per edictum Ordinum, die 14. Martij 1610.

3. Præterea, Centurionibus militum, consequenter etiam Tribunis, & altioribus Præfectis, suo nomine & instrumento, non ex mandato, *lib.* IV. *Statut.* VIII. *art.* XV.

4. Celsissimo *Gubernatori Hæreditario* Provinciæ, datum est Privilegium venandi, exclusis omnibus aliis, per agros Præfecturæ Biltanæ, ex Decreto Ordinum, *d.* 15. *Martij* 1650.

5. Si quis adversus Edicta venatus fuerit, singulis vicibus *mulctatur* decem Carolinis, cum jactura instrumentorum, *d. tit.* 8. *art.* 12.

6. Nec his, quibus venari licet, aliter licet, quam pilum pilo, ut ait Statutum, *bair met bair*, non sclopetis aut cassibus, sub pœna centum Florenorum aureorum, *art.* 3.

7. Neque plures quam tres lepores una die capere licet, Edictum *d.* XXII. *Jul. art.* 11.

8. Inter Vigiliam Quadragesimæ & Festum Jacobi prorsus venari non licet, ut detur spatium genituræ; eademque caussa prohibita est venatio universa tertio quolibet anno, præterquam in sylvis, sub pœna decem Carolinorum, *d. tit.* VIII. *art.* 2. & 16.

9. Mandata venandi *exteris* dare non licet, (quos inter tamen non numeramus *studiosos*) nec pluribus simul mandare licet, verum singulis ad singula venandi genera duntaxat, denique finitur anno ejusmodi mandatum, *d. tit.* 8. *art.* 13.

10. Hæc etiam pertinent ad aucu-

(a) Vid. Iurisp. Hod. *lib. II. cap.* 4.

aucupia volucrium nobiliorum, discretis terminis habilibus, ratione modi & instrumentorum venandi; adde quod perdices anniculos suæ libertati restituere oportet, *d. tit.* VIII. *art.* 7.

11. Præter aves nobiliores vetitum est petere sclopis etiam *anseres*, anatesque mansuetos, aliasque ejusdem generis, quas vide *d. lib.* IV. *tit.* 9. eaque gratia, apud decipulas, vulgo *Koijen*, non licet uti sclopetis, eis distantiam sexcentarum perticarum, sub pœna duodecim florenorum, & commisso instrumenti, *d. tit.* 9.

12. Quin & reliquas aves feras vetitum est petere sclopis, à medio Martio usque ad Festum Bartholomæi, sub pœna sex florenorum & commissi, ut supra, *d. tit. art.* 13. excipe passeres, sturnos, & omne genus volucrium noxiarum, quas cuilibet quovis tempore licet capere, dissipare, perdere; nidis excipere nulli licet, ex Edicto *d.* XXVI. *Mart.* 1658.

13. *Cygni* feræ naturæ sunt, eosque capere licet, modo non feriantur, qui ad alios pertinent, nam talium cædes mulctatur viginti florenis, *lib.* IV. *stat. tit.* 10. *art.* 16.

14. *Quæsitum* memini ex facto, an hæc mulcta debeatur his quorum Cygni fuerunt proprii? quod non videtur, nam vocabulum **Verbeuren**/ quod est in *d. art.* 16. significat mulctam, quam non exigunt privati. adde *art. ult. d. tit.* 10. ubi est eadem expressio, licet commissum nihil ad id quod interest privatorum spectet.

15. Recurrendum igitur ad locum communem, qui est in *tit.* 8. *art.* 2. ubi mulctæ venationum in genere applicantur Præfecto Generali Venationum, vernacule **den Houtvester**/ aut Magistratui cujusque loci, jure præventionis. (*b*)

16. Reliqua de Venationibus, earumque speciebus, petas licet ex allegatis *Statutorum* capitibus; nisi addere velis, prohibitam esse venditionem ferarum nobilium, imprimis exportationem è finibus Provinciæ, sub pœna centum florenorum aureorum, ex Edicto *d.* XXII. *Jul.* 1652.

17. *Piscatio* promiscuè licita est in Frisiâ, præterquam in portibus,

(*b*) Quum *usu fori* poenae privatae pecuniariae, uno excepto iniuriarum crimine, nunc cessent, quaeri hac de re desiit. Conf instrumentum de Praefectura volatilium, **het Pluim-graafschap van Vriesland**/ e museo Viri illustris, *Ed. Mar. van Burmania*, Senatoris Curiae patriae, mecum benevole communicatum, quod grata mente manuque, uti decet, profiteor.

bus, aliisque fortean paucis locis, ubi publicè locatur, & tamen illic etiam hamo cuilibet piscari fas est, modo aquæ non sint in fundis privatorum.

18. Sed *retia*, quibus in piscando Cives utuntur, facta esse debent secundum formam publicè præscriptam; quam, & reliqua huc pertinentia, vide *d. lib.* IV. *Stat. tit. 6.*

19. Evehere pisces, in & sub Frisia captos extra Provinciam non licet, nisi per duas horas in aliquo foro venum expositi fuerint, sub pœna commissi, navis, piscium, pretiique eorundem, iterum deprehenso duplum irrogatur, postmodum arbitraria pœna est, *d. tit. 6. art.* 1.

20. Sed *novissime* bono publico sancitum est ab Ordinibus, ut certis hominibus liceret evehere pisces pauculis in hunc usum navibus publicè concessis, ex Edicto superioris anni.

21. Trinis ante & post Kalendas *Majas* hebdomadibus piscatio fovendæ geniture prorsus interdicta est, sub pœna, prima vice quindecim, secunda triginta florenorum, tertia, sub graviori arbitraria pœna, *d. tit. art.* 17.

22. Postremo nota, si libet, ova nobilium & mansuetarum avium fas non esse tolli neque vendi, nec quidem *Kivitarum* quas habemus, licet hæ nec nobiles, nec mansuetæ sint, nisi in propriis fundis, sub pœna decem Carolinorum, *d. lib. 4. tit. 9. art.* 17. *&* 22.

23. Feras in sylvis circumseptis & pisces in stagnis privatorum, non possideri, nec adeo esse in dominio, nisi manu immissi sint, docet *Lex.* 3. §. 14. *ff de Acquir. poss.* Sed nostro seculo contrarium esse receptum, & quidem rectius, auctor est *Grotius lib. 2. d. jur. bell. & pac. c. 8. n.* 2. de ratione disputavimus pro jure Romano *lib.* 4. *Digress. c.* 17. de Moribus etiam nostris haud abnuimus Grotianam interpretationem. (*c*)

24. Dominium feræ amittitur, ubi naturalem libertatem recuperaverit, aut si mansuefactum sit animal, ubi consuetudinem redeundi amiserit, §. 15. *d. tit. Inst.* Hoc quoque *Grotius d. cap.* 8. *n.* 3. & *Groenewegius ad d.* §. 15. carpunt, hodieque aliter servari tradunt, credo de falconibus & accipitribus, similibusque multa arte doctis, in cæteris nos puto ius

(*c*) Quae in contrarium *Cl. Noodtius* disputat, plaudente *Barbeiracio*, uberius disceptata vide in *Lect. Iur. Civ. lib. I. cap.* 4. quaeque in *Omissis* ad calcem adieci.

jus commune sequi, quod defendimus *d. c.* 17. *Digress.*

25. Ad occupationem quoque pertinet inventio *thesauri*, rerumque derelictarum; quod ad thesaurum attinet, scriptores passim de moribus Europae testantur, eos à Fisco vindicari. *Vid. Voet. ad.* §. 39. *Inst. de A. R. D.* (*d*)

26. Sed Ordines Frisiae, cum hac in parte, tum alias, probant illud Plinianum; *Fisci nunquam mala caussa, nisi sub bono Principe est;* proinde & Thesauros civibus suis inventoribus, ex praescripto juris Civilis, permittunt.(*e*)

27. Sed generosi animi malunt ejusmodi fortunae dona cedere pauperibus, quam laudem nec sibi deesse voluit nuper thesauri in domo recens empta compos factus Vir Reverendus *Iohannes vander Waeijen*, alia nobiliori laude satis notus & praedicandus. (*f*)

28. De rebus derelictis nihil habemus peculiare, sed de rebus *naufragis* extat Decretum Ordinum *d.* 22. *Febr.* 1656. in hanc sententiam. (*g*)

29. Inventor rerum naufragarum certiorem faciat Magistratum loci, inter 24. horas, & hic inter alias 24. horas inventarium conficiat.

30. Res, quae servando servari nequeunt intra primam vel alteram hebdomaden, publicè quam maximo pretio distrahito.

31. Dominus intra annum res suas repetens, Magistratibus praemium det, partem decimam rerum servatarum, & urinatoribus tres nonas partes, reliquum sibi vindicet.

32. Anno elapso Fiscus succedit; si quis fraudem fecerit, furti reus habetur. (*h*)

(*d*) Conf. Grotius *lib. II. de Iure Belli & Pacis*, *cap.* 8. §. 5. *& seqq.* Pufendorffius *lib. V. de I. N. & G. cap. III.* §. 3. *ibiq. Barb.* & Heineccius in *Elem. Iur. Germ. tom. I. lib. II.* §. 8. 60. & 88.

(*e*) Plinius in *Paneg. cap.* 36.

(*f*) Singularia huius facti habet Perizonius in *Specim. Error. XIII. p.* 49. Curiae vero Frisiae Sententiam iniquitatis postulat Ill. Bynkershoek *lib. II. Observ. cap.* 5. haud refragante Ampl. Zach. Hubero, in *Cas. Enucl. quaest. XV.* §. 18. *p.* 312.

(*g*) Non alio, quam *vacantium* bonorum titulo, res naufragio perditas fisco olim attributas fuisse, dubium non est. *Abusum* vero aequior deinde Iurisprudentia vel sustulit, vel imminuit. Neque per Europam *hodie* Christianam ista fisci piratica, quantum constat, exercetur. Vid. Schottelius *de Judic. Germ. cap.* 20. *ibidemque in Continuatione Ampl. Gericken*, vom Strandrecht. Post Grotium, Seldenum, & Jac. Gothofredum, videndus quoque Jo. Strauchius *de Imp. Mar. cap.* 9. & de Jure Frisio Ill. Auctor in *Iurisp. Hod. lib. II. cap. IV.* §. 37. *seqq.*

(*h*) Vid. *Statuta lib. IV. tit. VIII.*

CAPUT III.

De Accessione. (1)

1. SPecies Accessionis traduntur à Justiniano hæ; Fœtura Animalium, Alluvio, Avulsio, Insula in flumine nata, Alvei mutatio, Adjunctio, Inædificatio, Implantatio, Satio, Scriptura, Pictura, de quibus actum in *Posit. Iustinianæ. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 59. *& seqq.*

2. De Fœtura animalium nihil novi habemus, nisi quod variæ leges sunt latæ de generatione equorum, pro conservanda natione eorum & qualicunque Frisici nominis gloriâ hac parte, quas non describemus. (2)

3. Inter alia cautum Edicto Deputatorum Ordinum, ne quis sine venia Prætoris equos admissarios exerceat; qua de re disceptatum memini, an privatis id interdici queat: posse ab ipsis Ordinibus non est dubium; sed an expediat alia quæstio sit. Haud temere sentiunt, qui in omni genere commercii & artificii promiscuam libertatem laudant, modo serventur conditiones cuique negotio convenientes.

4. Alluvio habet usum in mari & in fluminibus; an apud nos obtineat dubitare possis, quia constat, Duces Saxoniæ, cum jura Principis in Frisia exercerent, alluviones Biltanas sibi vindicasse, tametsi jus Saxonicum à jure civili hac parte non discrepet *l.* 2. *Iur. Sax. art.* 56. (3)

5. Etiam Ordines Frisici decreverunt aliquando vendere prata, quæ sunt in ostio fluminis *Ee*, juxta ejusdem nominis vicum, quasi supponentes, ea proprietate publica esse, pari jure quo fere apud omnes alios Europæ populos, ut testatur Groenewegius, pluribus citatis auctoribus, *tr. d. ll. abrog. ad* §. 23. *I. de A. R. D.* (4)

6. Hæc

(1) *Iurispr. Hod. lib. II. cap. V.*
(2) Conf. *Statuta lib. IV. tit. XVII.*
(3) Diximus *sup. ad cap. I.* §. 11.
(4) De vetere novoque *Eae*, sive *Aae* alveo, ostioque, pluribus agit Vbbo Emmius *lib. XII. Hist. Fris. p.* 176. *seqq. & lib. XV. p.* 221. denique in *Descript. Chorogr. Fris. Orient. p.* 38. *seqq.*

6. Hæc ipsa tamen *alluvionum* incrementa etiamnum à privatis possidentur, ut & reliqua *maris* accrementa, quæ in variis Frisiæ partibus extant.

7. Nec vero diversum in iis ab Jure communi obtinere dicendum videtur, ex eo, quod toti *lacus* aquâ destituti proximis acquiruntur, ut Curia non dubitavit apud Sandium *lib.* 5. *tit.* 2. *def.* 2. quæ res cum alvei mutatione, quam tradunt ICti, coincidit; nam, ut antea dictum, *lacus perpetui* pro fluminibus habentur.

8. Quod si flumina lacusque *toti* aqua destituti sequantur agros propinquos, non potest idem de accessionibus *partium* non adfirmari.

9. Lex Romana tradere videtur, in *lacubus* cessare jus alluvionis, *l.* 12. *in pr. d. A. R. D.* scilicet, ubi incrementa non sunt stabilia, sed modo crescunt, modo evanescunt, ut habet *textus*; in quibus nec apud nos secus obtinuerit: verum ubi lacus ita coarctantur, ut terminos arctiores retineant, nihil caussæ est, quin valeat jus alluvionis.

10. Jam quæ ratio valet in alluvionibus fluminum atque lacuum, eadem multo validior est pro accolis *Oceani*, propter immensos sumptus, quos aggeribus ad coërcendam maris rabiem impendere coguntur, loquente regula naturali, in *l.* 10. *ff. d. R. I.* *Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.*

11. Ex eadem regulâ colligitur, incrementa alluvionum primitus non acquiri pro latitudine agrorum, quibus aggeres prætexuntur, sed potius secundum *aggeres ipsos*, sive hi ad privatos pertineant, sive ad Universitates. (5).

12. Quod si Respublica judicet faciendum, ut nova incrementa terrarum aggeribus muniantur, existimo, jure *Dominii Eminentis* id imperari posse; recusantes etiam possessores dominio quæsito privari posse; volentes autem aliis præferendos, nullis eorum exclusis, ut de *lacubus* siccatis Curia censuit apud Sandium, *d. lib.* 5. 2. 2.

13. Porro, de *Avulsione*, deque *Insulis* in fluminibus natis; quæ res admodum raro apud nos eveniunt, nisi forte in lacubus; nihil habemus à Jure communi diver-

(5) Etenim deficientibus munimentis *naturalibus*, riparum, litorumve, succedunt eodem cum effectu munimenta *artificialia*, quos aggeres adpellamus.

versum; nec quidem, de alvei mutatione, de qua jam dictum est, denique nec de *Adjunctione*, de quibus proinde tu, sis, vide Positiones Cæsareas, *d. lib. 2. tit. 1. n.* 66. *& seqq.*

14. Verum de *ædificatione* non nihil habemus singulare, propter superficies, quæ apud nos sunt frequentissimæ.

15. Notum est, *superficiem* dici quicquid solo imponitur, sive ædificata, sive sata, sive plantata sint; at specialiter, *domus* imposita solo alieno vocatur Superficies, *tit. ff. d. sup.* cujus dominium est penes eum, cujus est solum, *l.* 2. *d. tit.* §. 29. *&* 30. *Inst. d. A. R. D.* attamen is, cujus est superficies, habet jus dominio proximum, utilemque in rem actionem, *l.* 73. §. 1. *& ll. seqq. d. R. V.*

16. Qui domum igitur ponit in alieno solo, amittit dominium; at si bonæ fidei sit, impensas repetit à domino soli, qui una cum fundo suo vindicat domum, ut habetur in *d.* §. 29. *&* 30. sed hic usus est rarior.

17. Apud nos *Coloni* sæpe struunt ædificia, stabula, & horrea, in agris ad longum tempus conductis, voluntate dominorum atque tum superficies ipsorum, proprietas ædificii dominorum est; non quia consensu eorum structum, sed quia dominus soli est dominus superficiei, *d. l.* 2. *&* §. 30. Et finita locatione Coloni habent jus repetendi impensas, vel potius præsens ædificii pretium, secundum leges *taxationibus* Edicto præscriptas, ut omni die servatur. (6)

18. Quamvis hæc ratio taxationum in superficiebus rusticis, videatur esse *moris Frisici*, tamen jus earum per regulas Iustinianeas ordinandum est, quandoquidem nec ulla hujus rei in *Statutis* mentio reperitur.

19. Proinde sic habendum; proprietas ædificii, à Colono seu bonâ seu mala fide ædificati, est Domini, per consequentiam soli; materia vero Coloni, bonâ fide præditi; juxta philosophiam *Cæsaris*, qui non minus solide quam subtiliter distinguit inter dominium ædificii atque materiæ, ex quâ compositum est, *d.* §. 29.

20. Quando igitur fundus redit ad dominum, & Colonus, qui *bonam fidem* habet, eum restituit, Dominus huic aut impensas, aut melio-

(6) Secundis curis haec omnia latius illustrantem vide Auctorem in *Jurisp. Hod. lib. II. cap.* 37.

meliorationem, aut pretium verum restituere debet.

21. Ad omnes *impensas* non tenetur, quia nulli bonæ fidei possessores, impensas primitus factas consequuntur, si præsenti æstimatione res sint detritæ, ut alias dictum, in *Posit. ff. d. R. V. sub. fin. Sand. lib. 2. tit. 15. def. 2. & 3.*

22. Nec ad modum *meliorationis* hæc exigitur; quippe Domini damnantur ad taxationem colonis præstandam, licet domus agrorum pretia minuant, quatenus experientia constat, agros ædificiis vacuos pluris sæpe vendi atque locari, quam ædibus subjectos.

23. Res igitur eò redit, ut Dominus solvere cogatur *pretium materiæ*, & *mercedes fabrorum*, habitâ ratione diminuendi propter ætatem insularum, idque traditur à Justiniano, *in d. §. 29.*

24. Verum addit Imperator, *si in possessione constituto ædificatore soli dominus petat domum suam esse*: Ex quibus verbis *duplex* oritur *quæstio*; prima, an Colonus, amissa possessione, taxationem domus petere possit; altera, si Dominus non petat domum, an invitus eam accipere & pretium solvere cogatur.

25. De *primâ* notum est, ex rigore Juris Civilis, nullam competere actionem, nisi in possessione constituto bonæ fidei possessore, ut in *Prælect. ad d. §. 29.* probavimus. Non datur *actio in rem*, quia dominus soli est dominus ædificii, non ædificator, & actio in rem datur domino, *l. 23. in pr. d. R. V.* non *actio in personam*, quia nullum negotium inter ædificatorem bonæ fidei, & dominum soli gestum est, *l. 33. ff. d. cond. indeb.*

26. Sed in *Colonis* hæc res omni die secus apud nos servatur; neque tantum Colonis extra possessionem constitutis actio in ipsam domum datur, sed & *actio personalis* in dominum ad pretium consequendum; & in ipsos agros, quibus est imposita domus, conceditur *hypothecaria*, licet æstimatio ejus excedat universi agri pretium, cujusmodi exempla non desunt in præsenti vilitate rerum soli.

27. Existimo, *duas priores actiones* bene & recte dari, etiam ex ratione Juris Civilis; nam & ipsis bonæ fidei possessoribus, qui ædificarunt in alieno, putantes solum esse suum, plerique dant *incerti condictionem*, quæ cum sit actio personalis, per eam peti potest

teſt pretium, ubi, inquam, amiſerint poſſeſſionem, ex æquitate prægnantiſſimâ, quam diximus, *ad d.* §. 29. (7)

28. Præterea, Coloni poſuerunt ædificium in ſolo domini, cum ipſius *conſenſu*, id enim ſupponimus; ac ita ipſi habent jus ſuperficiei, & id genus ſuperficiariis non poſſidentibus Prætor etiam Romanus cauſſâ cognitâ in rem actionem pollicetur, *l.* 73. §. 1. *l.* 74. *ff. d. Rei Vind.*

29. Denique, conſenſus ille, quem Dominus ædificanti Colono præbuit, actionem *conducti* perſonalem ei præſtat, quæ rurſus utilior eſt in hoc caſu, quam vindicatio domus, ut modo admonuimus, & ipſa res loquitur.

30. Verum, ſi Dominus non habeat unde ſolvat, ut ſæpe fit, utilis admodum eſt actio *Hypothecaria*, qua Coloni in ipſos agros etiam contra tertios poſſeſſores, & in præjudicium creditorum, qui poſteriores hypothecas habent, experiuntur, ac ita jus dicitur, ut jam in *ſtylum* conſtantem abierit.

31. Vereor tamen, ne id longius ſit productum, quam jus & ratio ferant, nam *tacita hypotheca* ſine lege ſpeciali non poteſt conſtitui; at hæc manifeſto deficit, tam Jure Cæſareo, quam Statutis noſtris, in hoc caſu.

32. Habet Colonus retentionem, quamdiu eſt in poſſeſſione, habet actionem in rem adverſus ipſam domum, actionem perſonalem ad pretium taxationis contra Dominum; ſed *hypothecariam* adverſus tertium nulla ratio ex illis Juris capitibus elicere poteſt.

33. Credo, *jus retentionis*, quod habent Coloni, & omnes bonæ fidei poſſeſſores, invexiſſe hanc opinionem, quod & hypothecam colonus tacitam habeat in agros ædibus ſubjectos, nec raro id argumentum ut indubitatum citari vidimus: Atqui jus retentionis, amiſſa poſſeſſione, nihil quam *chimæra* eſt, cum termini habiles tum penitus deficiant, fitque imperitiſſime, ut jus illud retentionis cum vindicatione confundatur.

34. Tu dices, pretium taxationis ex noviſſimo Ordinum *Edicto*

(7) In *Praelect.* § 40. Ceterum actio hic datur *in factum*, nempe civilis, quae eſt *utilis* negotiorum geſtorum, uti recte Balduinus *ad d.* §. 29. Quid quod eadem haud negetur aedificatori *m. f.* quod ad neceſſarias, utileſque impenſas adhuc *extantes*, ſi retinere velit dominus; poteſt enim, ſi malit, tollendas aedificanti relinquere, *l.* 38. *D. de Pet. her.* & *l.* 37. *D. de R. V.*; iunc. *arg. l.* 206. *D. de R. I.* Vid. quoque Merillius *ad d.* §. 30. *Inſt. de R. D.*

dicto tribus pensionibus solvitur, nisi Colonus ab ipso Domino præsente pecunia domum emerit, quod si Colonus hypothecâ careat, & jus retentionis pereat, amissâ possessione, quam primâ pensione soluta tradere cogitur, nihil habet securitatis pro duabus reliquis pensionibus; ego vero, *jus retentionis* eum exercere posse putem, donec ei de reliquâ pecunia satis cautum fuerit.

35. Sed jus tacitæ hypothecæ ita in animis hominum pridem invaluit, ut forte vim *Juris consuetudinarii* obtinere videatur, unde post tot res judicatas recedere non sit integrum, præsertim, cum ratio probabilis non desit. (8)

36. *Curia* tamen non extendit hanc hypothecam ultra corpus ipsum agrorum, nec ideo in fructus inde perceptos, nec in mercedes è contractu aliorum, licet ex eodem fundo debitas; ut judicavit inter creditores Jacobi Obbes contra Jacobum Sickes, ante natales Chr. 1681.

37. Nec fas est Colono post dimissam possessionem, si pretium taxationis non solvatur, rursus agros invadere, pecudesque immittere pascuis, ut multi opinantur; sed *actionibus* experiri debebat, id enim & natura juris retentionis, & publicæ quietis ratio postulat.

38. Proinde ab initio, si taxatio facta sit, Dominusque prædium alii locaverit, ac interim legitima disceptatio inter partes oriatur, per quam fiat, ut pretium non solvatur, ratio nulla est, quamobrem Colonus prior, agros occupare, Dominumque vel novum Colonum repellere possit, modo ei *cautio* de judicato solvendo præstetur; Nam jus retinendi, propter incertitudinem negotii, mediante cautione, removeri potest, per ea quæ tradit Sandius *lib.* 3. *tit.* 15. *def.* 3. cui accedit confusionis evitandæ necessitas in concursu duorum Colonorum, & quod Dominis rei suæ possessio interverti non debeat.

39. Quid vero? Bonæ fidei possessores habentne jus retentionis? ita est: cujus rei? ædificii quod in alieno solo posuerunt, *d.* §. 30.

(8) Quum etiam *creditor*, cui ex contractu vel quasi actio datur contraria, *ius* habeat *retentionis*; certe *superficiarius* ex iure suo in re, quod dominio proximum, adeoque iure hypothecae potentius est, *praerogativam* etiam in concursu prae creditoribus hypothecariis habeat necesse est; quum & *utiliter* vindicare possit *l.* 1. §. 3. *de Superfic.* inf. §. 42. *h.*

§. 30. & *p.* 33. *d. condict. indeb.* an & agri circumjecti? Inauditum id quidem & ἄνομον, apud nos tamen sic obtinet, etsi lex nulla unquam hujus rei extiterit; *consuetudo* tamen ita fert, & secundum eam constanter jus dicitur. (9)

40. Quæ ratio hujus rei? *Duplex*, opinor, *prima*, quod domus rusticæ ab usu agrorum dividi nequeant, at hæc ratio Jure Civili æque nota est, ubi tamen non facit, ut ædificator bonæ fidei jus in agros habeat.

41. Ratio *altera* est idem, quod dixi, jus hypothecæ, quæ non modo actionem, verum semper etiam tribuit retentionem, *l.* 1. *in pr. ff. d. pignor.* & si hypotheca Jure consuetudinis valeat, oportet eadem ratione retentio agrorum subsistat, quamdiu Colonus in possessione constitutus est, ut dictum.

42. Atque hæc ad *primam* quæstionem superius *n.* 22 motam pertinent. Quod ad *alteram*, sciendum est, jus illud Coloni trifariam considerari, primo, ut superficies stricte accepta, quo sensu Colonus habet vindicationem domus, etsi non possideat, *d. l.* 78. *d. R. V. l.* 1. §. 3. *ff. d. superfic.* taxationem vero domus hoc respectu nullo modo petere potest; nemo enim alii suas ædes pretio solvendas invito obtrudere jus habet.

43. *Secundo*, consideratur ut structura bona fide facta in alieno solo, & hac ratione potest Colonus servare pretium materiæ mercedesque fabrorum, *si dominus petat domum suam esse*, ut verba sunt Justiniani in *d.* §. *Inst. d. A. R. D.*

44. Ipse igitur ultro taxationem petere non potest, siquidem *nullo alio modo quam per retentionem impensas servare potest*; ut scriptum est in *l.* 33. *in fin. ff. d. condict. indeb.* idque mediâ exceptione doli mali, *d.* §. 30. *l.* 14. *d. excep. dol.*

45. Idem est in *l.* 48. *d. R. V.* Sumptus, ait ICtus, in prædium, quod alienum esse apparuit, à bonæ fidei possessore facti, neque ab eo qui prædium donavit, *neque à Domino peti possunt:* verum exceptione doli oppositâ, per officium

(9) Colonum non modo aedificii a se extructi b. f. possessorem, sed superficiarium, utilemque adeo dominum esse, antea dictum est. Et quia agri caussa illud extructum est, & absque agro nullius fere pretii esset, ea de caussa satis ἀναλόγως tacita hypotheca adfici ager videtur *arg. l.* 1. *D. de pign.* & *hyp. l.* 24. §. 1. *l.* 26. & *l.* 34. *D. de reb. auct. iud. poss. l.* 1. §. 20. *de exerc. act.* & *Nov.* 97. *cap.* 3. *pr.* Vid. Fr. Balduinus *de Pignor. cap.* 7.

ficium judicis æquitatis ratione ſervantur, &c.

46. Atque ita *alibi viciniæ* jus dici intelligo, ut ſi dominus colonum expellere velit, cogatur ei ſolvere pretium materiæ, mercedeſque fabrorum; ſi colonus obnuntiet domino, taxationem petere nequeat, ſed tollendi materiam, ſi velit, tantum habeat facultatem. (10)

47. Apud *Nos* vero non dubitatur, quin utroque caſu Coloni, tam ſi voluntate ſuâ, quam juſſu Dominorum, à prædio recedant, æſtimationem domus adipiſci queant, & adipiſcuntur omni die, magno Dominorum incommodo.

48. Sed *Noſtrates* prudenter conſiderant, non minus rationem eſſe habendam Agricolarum, qui vix alias opes quam ejusmodi domos cum inſtrumento ruſtico poſſident; ideoque ſi illarum pretia conſequi non poſſent, quando finitâ locatione commodum illis non eſt eam continuare, fieret ut patrimoniis ſuis evolverentur, nec ſuis creditoribus haberent unde ſolverent. Idque Reipubl. dominisque agrorum ipſis in univerſum foret noxium.

49. Sed nullum adeone fundamentum habet hæc res, quam *Conſuetudinem* & *æquitatem?* Equidem ſi convenerit ita, ut taxationem finita locatione petere liceret, non eſt dubium quin ita juris ſit; ſed pacta conventa hac in parte à *Noſtris* non exiguntur, etiam ſine illis domini inviti, finita locatione, domos accipere, & pretia ſolvere coguntur.

50. Dictum eſt loco bonæ fidei, Colonis eſſe voluntatem Domini *conſentientis* ædificationi, & quia certum tempus locationi definitum eſt, res ipſa loquitur, eâ finitâ, Dominum vi ſuæ conſenſionis teneri ad ædes recipiendas, pretiumque perſolvendum; atque hæc ratio ſufficere videtur. (11)

51. Cui eſt conſequens, ante finem locationis conductionis, Colonum ejuſve ſucceſſores nullo modo taxationem petere poſſe, nec adeo Creditores ejusdem, qui ſunt etiam ſucceſſores particulares.

52. *Diſputatum* eſt ſuper hoc caſu aliquando ſat acriter; erant enim qui ſic putarent: Dominus tenetur ad taxationem ædium præſtandam quovis tempore, ſi nullum tempus locationis ſit definitum. Si tempus ſit præſcriptum,

(10) Vid. Jo. Voet *ad tit. Pand. Loc. Cond.* §. 14. *ſeqq.*
(11) Sup. §. 28. & 29. Conf. dicta *not.* (8) & *not.* (9)

tum, directe adhuc tenetur, quatenus ædificium semper est accessio ægrorum, sed per exceptionem pacti locati consequitur, ut ne ante finem temporis expressi teneatur. Atqui hoc jus est, quod ipsi competit adversus personam Coloni, sicut omne jus è contractu personale est, nisi quatenus hypotheca per conventionem accedat. Proinde respectu hujus juris tam personalis quam hypothecarii, concurrere debet cum *creditoribus Coloni*, quorum si jus sit potius, hi exceptionem pacti replicatione prælationis excludent; sic erat ratio Hominum Eruditorum. (12)

53. Sed ex iis quæ *superius* dicta sunt, intelligi potest: Creditores coloni jus petendi taxationem ex ipso contractu locationis conductionis petere debere, sive ea ad unum, sive ad plures annos inita fuerit; extra quem contractum nec Coloni, nec ulli bonæ fidei possessores cogere possent Dominum ad accipiendas ædes, pretiumque suo incommodo solvendum.

54. Præterea, si Colonus, invito & prohibente Domino, ædificaverit, vel ædificium auxerit, manifestum est, eum non modo taxationem petere non posse, verum & finita locatione domum relinquendam esse, ne quidem ut materiam tollere possit, si postea resolutum sit ædificium; est enim tunc malæ fidei, de qua sic constitutum est, *in d.* §. 30. & *d. l.* 33. *d. cond. indeb.* (13)

55. Nec audiendi nobis, qui *contrarium* hodiè servandum esse volunt, quos citat & sequitur Groenewegius *ad d.* §. 30. auctores scilicet æquitatis cerebrinæ, & novæ praxeos suo arbitratu conditores! *Groenewegius* addit hanc rationem, quod leges Juris Civilis pœnales quælibet hodie cessant; pulchra mehercle regula! (14)

56. Quid

(12) Forte autem ita distinguendum est: Non definito conductionis tempore, *quovis anno* migrare integrum est Colono, pariter atque in relocatione tacita *arg. l.* 13. *fin. & l.* 14. *D. Loc. cond. iunc. arg. l.* 4. *D. eod.* Locus itaque taxationi erit tempore emigrationis. Quod si vero ad certum tempus facta sit conductio, nonnisi *eo finito*, uti recte Auctor, *l.* 11. *C. eod.* Et quia tum demum *superficiei* nomine agere potest Colonus, certe nec eius ante creditores poterunt. Ceterum in isto concursu ius locatoris, ut veri domini, *praelationem* huic prae ceteris creditoribus tribuet, etiam hypothecariis, *arg. l.* 15. *D. qui pot. in pign.*

(13) Vid. *Sup. not.* (7)

(14) Diximus *ad Orat. VI. p.* 135. & *ad p.* 290. Vid. *sup. lib. I. cap.* 1. §. 64. *seqq.* & *Inf.* §. 63. *seq. h. c.*

56. Quid, si ignaro, vel saltem non consentiente domino, ædificavit? Scit equidem, se in alieno ædificare, quod sufficeret ad *malam fidem;* nisi qualitas Coloni aliud inferret.

57. Adeoque *distinguendum* videtur, utrum eduxerit novam domum, ubi nulla fuerat, an collapsam, aut exustam restituerit: *priore casu* pro malæ fidei structore habendus est, quia scit se ædificare in alieno solo, cum non habeat ædificandi potestatem; idque licet ad percipiendos fructus quod struxit necessarium sit: ab initio enim pacisci debuit, ut Dominus ædificaret, aut ut sibi liceret; vel post modum actione conducti agendum fuit adversus Dominum, ut sibi fructus colligendi potestatem præstaret.

58. *Altero casu*, jure ædificasse videtur, quia conduxit agros, voluntate Domini ædificio gravatos, ideo si non excesserit modum primi ædificii, nulla ratio Dominum à taxatione præstanda excusat, ac ita, quoties usus venit, ut sæpe fit, judicatur.

59. Cæterum, quando *Socius*, non Colonus, in fundo communi, altero consentiente, ædificavit, aut vetus ædificium instauravit, is statim impensas pro alterius parte repetere potest, aut postea cum usuris, ex quo impensæ ad certam quantitatem redactæ sunt, etsi forte alter è *sociis* domum solus habitaverit; cujus rei separata ratio habetur: judicata est ejusmodi species inter partes prænobiles, ante natales Christi 1681. (15)

60 Hactenus de ædificatione facta è nostra materiâ in alieno solo, in quâ etsi nonnulla sint ab locatione conductione haud aliena, omnia tamen heic collocanda fuerunt.

61. De *plantatione* & *satione* puto idem à nostratibus in summa teneri, quod leges volunt: licet ad vulgi saporem forte non sit futurum, quod in §. 31. *d. A. R. D.* traditur, cum qui arborem plantavit in suo solo, ita ut radices egerit in solum vicini, transferre dominium arboris in vicinum, pro latitudine radicum in ipsius fundo spar-

(15) Fluit hoc ipsum ex aequali societatis iure, sive *condominio* utriusque. *Habitatio* enim unius, si nihil peculiariter conventum, non in *impensarum* quidem restitutionem, sed in iudicium pro socio, vel communi dividundo venit. Vid. *l.* 4. §. 3. & 4. *l.* 6. §. 1. & *l.* 11. *D. Comm. div.* Qua de re Diod. Tuldenus, & Ant. Perezius ad *tit. C. Comm. div.*

ſparſarum ; nam vulgo magis inclinant ad id quod evidentius eſt, ac ita fere ſervant, ut fructus propendentium *ramorum* partiantur, quod etiam Statutis quorundam populorum ita cautum eſt, teſte Vœtio *ad d.* §. 31.

62. Sed noſtra *Statuta* cum taceant, & ratio Juris æquiſſima & ſolidiſſima ſit, non dubito, quin in contradictorio radicum potius quam ramorum rationem ſecuturi ſimus, nec enim diverſus uſus in vim Conſuetudinis invaluit. (16)

63. Ita nec in *ſatione*, *ſcripturâ*, *picturâ*, cæteriſque acceſſionis ſpeciebus, mihi conſtat quicquam eſſe mutatum, vel noviter receptum legibus aut moribus noſtris.

64. Nec ferimus *Autumnos*, *Groenewegios*, eorumque ſimiles, pluſquam cenſorio ſupercilio ad §. 33. *Inſt. d. A. R. D.* ac alibi paſſim ingeminantes, *hunc* § *abrogandum cenſeo.* peſtis Jurisprudentiæ hæc *arrogantia* eſt! (17)

65. Nam quod abſurdi arguunt, eos qui *ſcripturam* cedere volunt *chartæ*, eò quod magni ſæpe momenti ſcripta ſint, & viliſſima charta, ei Cæſar incommodo ſatis occurrit, datâ in factum actione ſcriptori, cum ejus graviter intereſt, *l.* 3. §. *pen. ad exhibend.* ut diximus in *Poſition. ad. d. tit. num.* 80. *& in Præl. ad* §. 33. *d. tit.* (18)

(16) Immo vero gentes originis *Germanicae* ſemper ad ramorum propendentiam attenderunt: craſſius quidem philoſophati, ſed longe utilius etiam. Et neſcio, an Jus Romanum hac in parte ullibi obſervetur. Vid. Heineccius in *Elem. Juris Germ. lib. II. tit. III.* §. 69. *&* 7. *ſeq.* 3. *citati.*

(17) Vid. *ſup. ad* §. 55. *num.* 14.

(18) Quemadmodum de ſcriptura, quae cedit, *mercenaria* Imperator *d.* §. 33. de pictura vero *Apellea*, cui ceditur, in §. *ſeq.* agit; ita eadem ſane in mercenaria pictura, quae in ſcriptura obtinebunt; alia vero omnia in auctoris opere, ſcripto pictove, vulgariem aeſtimationis *pretio adfectionis* multum ſuperante. Conf. Auctor in *Jurisp. Hod. I. lib. II. cap. VI.* §. 7.

C 4

C A P U T IV.

De Inundatione, Specificatione, Commixtione, & Fructuum Perceptione.

1. *INundatio* memoratur à Justiniano inter Accessionem & Specificationem medio loco, §. 24. *Inst. d. A. R. D.* etsi nec species Accessionis, nec omnino Dominii acquirendi, vix etiam modus sit amittendi. (*a*)

2. Et quidem hac parte rursus puto, *Frisios* esse Justinianeos, reclamante licet, ingenti consensu, *Pragmaticorum* scholâ, qui agros inundatos cedere volunt Principi post *decennium*, si veri Domini possessionem duntaxat piscando non exercuerint, teste Groenewegio, aliisque citatis à Voetio, ad *d.* §. 29. (*b*)

3. Nos eâ de re nihil habemus scriptum, aut receptum; ideoque sequimur Cæsarem, qui fundum, si recesserit aqua, scribit ejus manere, cujus antea fuit; proprietate medio tempore quasi extinctâ, *d.* §. 29. & *l.* 23. *d. V. sufr.*

4. Nec ullo temporis lapsu Dominus excludi videtur, cum nemo sit, qui præscriptionem committat, *arg. l.* 2. *C. d. præscript. long. temp.* nisi tam diuturna fuerit inundatio, ut domini ignorentur. (*c*)

5. Haud dubiè tamen Ordines jure *Dominii Eminentis* imperare possunt Dominis, ut inundatos agros

(*a*) Quum *Accessio* soli rei domino prosit, effectusque adeo sit dominii adquisiti, non adquirendi modus; frustra aliter vulgo haec traduntur. Distinguendum vero inter Inundationem, quae *speciem* & *usum* agri ita immutavit, ut *alvei* loco haberi possit; & inter eam, qua utrumque illud veterem naturam indolemque servat. Certe enim *prior* illa extinguit eatenus privatum dominium, *posterior* non item, *l.* 30. §. 2. *D. de A. R. D.* qua de re alias egi, vindicata Vulgatae scriptura, *lib. I. Lect. Iur. Civ. cap.* 12.

(*b*) Ex ratione Iuris Civilis, argumento *praescriptionis decennalis*, fisco adcommodatae, velut inter praesentes. Addes. Auctoris *Prael. Inst. h. t.* §. 37.

(*c*) Immo vero *dereliquisse* agrum tot annorum negligentia dominus praesumitur, adeoque ager *caduci iure* ad supremum eminensque Principis dominium, uti bona vacantia quaelibet, rediisse censetur; quae iure Codicis *incorporatio* adpellatur, *l.* 3. *C. de Bon. vac.*

agros iterum detergant & muniant, alioquin aliis id permittere, suoque dominio priores destituere possent, ut supra de *Alluvionibus* in simili casu diximus. (*d*).

6. Nec aliter de *Specificatione* existimandum, quam Cæsares docent, spretâ Connani, & Grotii censurâ, quorum *ille* dominium ejus esse vult, qui plus valoris ad speciem contulerit; ita ut si manupretium pluris sit, specificator fiat Dominus, alioquin is cujus est materia, *lib.* 3.*Comm.cap.* 6.

7. Grotius novam speciem vult esse *communem* pro rata materiæ & artificii, quanti unum quodque sit, *lib.* 2.*d.jur. Bel. & Pac. cap.* 8. *num.* 19. idque laudans Groenewegius, inter capita juris abrogati refert sententiam *d.* §. 25. *Inst. de R. D.* (*e*)

8. De *Confusione* & *Commixtione* similiter liquida Juris communis doctrina valebit.

9. Nec aliter de *Perceptione fructuum*, quam Imperator habet in §. 35. *d. t. Inst.* & de quâ Sandius *in lib.* 3.*decis.tit.* 15.

10. Scilicet, in casu, quo dominus rem suam vindicat, & fructus ex re *perceptos* repetit; nam *pendentes*, quia pars fundi sunt, *l.* 44. *ff. de R.V.* sine dubio fundum ipsum sequuntur.

11. Sequimur, *inquam*, jus Cæsaris duntaxat quam nos Juris Civilis sententiam esse credimus, bonæ fidei possessorem de fructibus etiam consumtis, quatenus est *locupletior*, teneri; id in foro nostro ita non servatur, magis probatâ eorum sententiâ, qui consumptione bonæ fidei possessorem fructus *indistinctè* suos facere docent; eaque non tamen adeo pro discrepantia à Jure Communi, quam pro diversâ opinione Juris habenda est, *Sand. d. tit.* 15. *def.* 1. (*f*)

12. Præ-

(*d*) Sup. *cap. III.* §. 4. 5. & 12.

(*e*) Conf. Auctor tum in *Prael. Inst.* §. 43. tum in *Eun. Rom. ad l.* 61. *D. de R. V.* Thomasii, Schultingii, suam denique opinionem prodit Ampl. Otto in *Comm. ad d.* §. 25. *Inst. de R. D. & ad Pufend. de O. H. & C. lib. I. cap.* 12. §. 7. Mihi seposito Civili Iure ita distinguendum videtur: (1.) utrum *plus pretii* in materia sit, an in specie nova? (2.) *vulgaremne aestimationem* species recipiat, nec ne? (3.) an eiusmodi specierum abundet *copia*, an *inopia* laboretur? Primo casu *materiae* dominum, altero *speciei* auctorem potiorem censeo. Quod si omnia *paria* videantur, vel in casu etiam *dubio*, materiae speciem cedere existimo, ni *forte* potius litem dirimi placeat; uti fere hodie ius dicitur.

(*f*) *Bonae fidei possessor*, in conditione usucapiendi constitutus, dum verus dominus ignoratur, loco eius interim habetur, omnique iure utitur, agendi excipiendique

12. Præterea volunt *Pragmatici*, ne extantes quidem fructus, si ante litem contestatam percepti fuerint, à bonæ fidei possessoribus esse restituendos, ut in foro servari testatur Vinnius *ad d.* §. 35. *num.* 11.

13. Idemque Sandius noster adfirmare videtur in *d. tit.* 15. *def.* 2. hisce verbis; *fructus à bonæ fidei possessore ante litem motam percepti non veniunt in vindicationem.* (g)

14. Non est tamen, ut persuadere mihi possim, in hoc articulo divertisse nos à Jure claro & certo, quod habetur in *l.* 22. *C. de R. V. Certum est*, ajunt Cæsares, *malæ fidei possessores omnes fructus cum ipsa re solere præstare; bonæ fidei vero* extantes, *post autem litis contestationem universos.*

15. Suffragatur ratio & regula Juris æquissima; *Meum est, quod ex re meâ superest, ejusque vindicandi jus habeo*, *l.* 49. §. 1. *ff. de Rei. Vind.*

16. Nec

dique remediis adversus extraneos omnes a Publicio proditis, *tit. D. de Publ. in rem act.* & §. 4. 5. *Inst. de Act. iunc. l.* 48. *pr. D. de A. R. D.* & *l.* 25. §. 1. *D. de Vsur.* At vero, supervenienti ante fundum usu captum domino bonae fidei possessor omnia hactenus possessa restituere *cum caussa* debet, id est omni accessione, & indemnitate, *l.* 13. *l.* 17. §. 1. *l.* 34. & *l.* 49. §. 1. *D. de R. V.* Salvis vicissim possessori impensis, cum necessariis, tum utilibus quibuscunque, *l.* 38. *D. eod.* & *arg. l.* 14. & *l.* 66. *D. de Condict. indeb. iunc. l.* 206. *D. de R. I.* Quoniam vero, nec perceptorum consumptorumque fructuum aestimatio adcurato semper calculo iniri potest, nec impensarum ratio perfecte haberi, idcirco in b. f. possessore placuit, mutuarum invicem praestationum compensatione facta utramque hanc obligationem extingui, bonae fidei possessore istos *pro cura* & *cultura* fructus omnino lucrante, §. 35. *Inst. h. t. l.* 78. *D. de R. V.* & *l.* 28. *pr. de Vsur.* Pendentes vero, & extantes impensis salvis restituentur, *l.* 44. & *l.* 49. §. 1. *D. de R. V.* Quos itaque naturales fructus non minus, quam civiles, sine curae culturaeve impensis b. f. possessor percepit consumsitque, ita ut restitui non possint, quin pretium illorum restituere domino debent, certissimi iuris puto, eatenus enim factus sit locupletior est, *l.* 23. *D. de R. C. l.* 15. *pr. l.* 65. §. *pen. D. de Cond. indeb.* idque non in iudicio solum universali, verum & in singulari, *l.* 25. §. 11. & *l.* 28. *D. de Instit. act. l.* 45. *D. de Vsur. l.* 17. *D.* & *l.* 8. *C. de Donatt. int. Vir.* & *ux.* Qui vero vulgo dissentiunt, addant citatis velim decisoriam Papiniani sententiam in *l.* 64. *D. de R. V. iunc. l.* 12. §. 1. & 2. *D. de Vsu* & *habit.* Conf. *l.* 19 23. & 40. *D. de A. R. D.* Atque ita quoque Viri Summi, de Iure Naturae Grotius *lib. II. cap.* 10. §. 5. & de Iure Civili Huberus, tum citatis *Praelect. Inst.* tum in *Diss. Fund.* XXXVIII. §. 3. *seqq.* dudum evicerunt.

(*g*) Verum, si quid video aliud in *extantibus*, id est, restituibilibus; aliud in *perceptis*, qui restitui commode non possunt, Iuris analogiae convenienter statuendum est. *Avecti* enim fere pro consumtis habentur, secus atque *demessi* in agro superstites.

16. Nec obstat, quod Sandius in *loco citato* subjicit; *hos enim fructus bonæ fidei possessor suos facit naturali quadam æquitate, pro cultura & curâ, l. 48 ff. de A. R. D.* & quidem *percipiendo* suos facit, ait textus. Item *in l. 78. ff. de Rei Vind.* fructus ejus *idcirco* factus est, *quod is eum suo nomine perceperit.* Percepti igitur, licet *extantes*, cedunt bonæ fidei Possessori, ut inde videtur sequi.

17. Scilicet, perceptio est causa fructus acquirendi respectu *tertii*, à quo bonæ fidei possessor eos vindicare potest, non etiam respectu *domini*, adversus quem sola *consumptio* bonæ fidei possessorem absolvit, ut Cæsar docet in §. 35. *Inst. d A. R. D.* (*b*)

18. Nec est, ut Sandius *aliter* sentire potuerit; nam in definitione præcedenti tradit, bonæ fidei possessorem à Curia esse condemnatum ad restitutionem fructuum litis contestatæ tempore *extantium*, & postea perceptorum.

19. Proinde hæc verba Sandii *n.* 12. posita de consumptis accipi debent, non de extantibus. Tu dices, de consumptis postea demum agere instituit, *vers. Hinc nova oborta quæstio;* ideoque in prioribus de iis non sensit: ego hic puto, non esse laborandum super eo quod Sandius senserit, ubi de mente Curiæ constat, & Juris doctrina clara est.

20. Coloni fructus etiam suos faciunt percipiendo, licet antecessor colonus sementem fecerit, §. 36. *Inst. in fin. d. A. R. D. & l. 48. pr. ff eodem:* sed prior colonus impensas à se factas repetere potest; qui cum incerta æstimatione constent, nostrates agricolæ receperunt, ut certa fructuum pars iis concedatur.

21. Et quidem in tractu *Orientali* ferè intelligo receptum esse, ut inter veterem & novum colonum fructus percepti æquis partibus dividantur; in *Occidente* pars tertia solummodo satori conceditur. Quæ consuetudines locorum particularium, cum non adversentur Juri scripto, in suis quæque locis vim obligandi habebunt.

22. Cætera, quæ de perceptione fructuum apud Sandium *d. tit.* & alias tractantur, ex Positionibus Justinianeis decidenda sunt.

C A-

(*b*) Immo etiam *perceptio* nuda, quae fit per solam ex agro avectionem, si scilicet illorum quantitas & aestimatio incertae videantur. Ceterum si vulgo Doctores, uti notat Auctor, inter *Dominum*, & *Tertium*, recte distinguerent, dubium omne circa fructuum naturalium lucrationem facile evanesceret.

C A P U T V.

De Traditione & Possessione. (1)

1. *TRaditio* frequentissimus est omnium dominii transferendi modus, cujus definitio, & requisita, tam in mobilibus quam in immobilibus rebus, ut Jure Civili præscripta sunt, ita apud nos omni die servantur.

2. Sed de *immobilibus* rebus dubitare posses, an non aliquid nobis hæserit ex moribus omnium ferè gentium, quæ ad dominii translationem rei immobilis non contenti sunt nuda traditione verâ vel fictâ, sed insuper requirunt, ut translatio coram Judice loci celebretur, ritibus quibusdam *Effestucationis*, *Scotationis*, aliisque pro ingenio cujusque populi adhibitis, ut tradunt auctores, quos citat Voëtius *ad* §. 44. *d. tit. Inst. num.* 2. (2)

3. Nam & in Frisia vetus consuetudo inserta est Statutis *lib.* 1. *tit.* XI. ne res immobiles vendantur, aut permutentur, nisi contractus *ter* in judicio *promulgetur*, & consensus Magistratus impetretur, qui, nullo adversante, rem quasi addicit emptori, eique possessionem, adjudicat, ut fert stylus earum consensionum. (3)

4. Addere solent Scribæ Magistratuum limitationem; *salvo jure Fisci & cujuslibet tertii*; non male;

(1) Vid. *Iurispr. Hod. lib. II. cap.* 9. & 10.

(2) Praeter citatos a Voetio *d. l.* videsis de *Effestucatione* Heineccium in *Elem. Iurisp. Germ. lib. II. tit. III.* §. 74. *seqq.* & de *Scotatione*, ex *cap.* 2. x. *de Consuet.* Gundlingium in *Ana*, *part. VII. Obs. IV.* §. 6. *seqq.* De utraque etiam egit Ampl. Otto in *Iurisp. Symb. Exerc. I. cap.* 11. & 13.

(3) Non ex antiqua Germanorum consuetudine, agros per universitatem occupandi, interque singulos deinde dispertiendi, iste *consensus* repetendus est; omniumque minime pro *investitura* habendus; quod Beiero in *Specimine Jur. Germ. lib. I. cap.* 19. & Heineccio *d. l. lib. II. tit. I.* §. 24. adrisisse video; sed nil nisi confirmatio solemnis, & legitima in actis relatio est, maioris cum securitatis, tum probationis caussa, ipso agri dominio per solam ex iusta caussa traditionem adquisito. Et ita post alios Struvius in *Syntagm. Jur. Civ. exerc.* XXIII. §. 109. & Titius *ad Lauterb. obs.* 569. quibuscum Auctor consentit, §. 6. & *seqq.* & *in Iurisp. Hod. d. lib. II. cap.* 9. *sub fin.*

male; sed quidam veriti, ne hæc limitatio vim præsentis actus minuat, adjiciunt pro cautione, scilicet, hæc verba, *in aliis omnibus rebus*. Quae velim omittant; sunt enim stulta, & rei quæ agitur repugnantia.

5. Quin ipsa addictio missioque in possessionem supervacua est. *Statuta* loquuntur de promulgatione, deque consensu, nihil præterea, possessionem non suspendunt ab ullo requisito.

6. *Addictio* moris antiqui & antiquati est, ut & *Edictio*, ne quis emptoris jus imminuat, eive possessionem intervertat, quod veteres Frisii appellabant *Vredeban*. est hæc res jure sublata, tametsi magistratus formulâ haud absimili adhuc utantur. Vid. *Herbaj*, *cap.* 18. *in pr.* (4)

7. Existimo autem, *Consensum* illum non limitare traditionis effectum, nec facere ad dominii translationem; sed hoc etiam ante consensum publicum vi traditionis privatæ transire.

8. *Primo*, quia non adhibetur ille consensus, nisi in venditione, & in permutatione; cæteri contractus, quos æque traditio sequitur, eum ignorant; ergo saltem in reliquis traditione simplici dominium transferri palam est.

9. *Dein* libera possessio transfertur etiam ante illum consensum, adeoque jus de re disponendi statim atque res tradita est; quæ cum sit vis & effectus dominii, non potest negari, quin id ipsum sit translatum.

10. Consensu, *inquam*, publico non est opus cis annum, sed *Immobilia* confestim, vel intra certum breve tempus traduntur, daturque potestas emptori de re faciendi quod lubet, etiam alienandi, cum voluerit.

11. Consensio igitur subsequens dominium neutiquam tribuit, sed addit *securitatem*, & neglectæ pænam commissi infert. Quid multis? Lex ipsa loquitur, *d. t.* XI. *art.* I.

12. Qui consensum, *ait*, toto anno negligit, rem adquisitam amittit. *Amittere* non poterat, nisi dominus antea fuisset. Habet haec res usum, & videbimus in loco.

13. Traditio est translatio *Possessionis*, & hæc apud nos intelligitur ex Positionibus Juris Communis, quas vide collocatas sub *tit. Inst. d. A. R. D. num.* 117. *& seqq. ibid.* ubi inter alias hæc; possessio

(4) Et omnino Siccama in *not. ad Leg. Fris. tit.* XVI. & XVII.

sessio acquiritur animo & corpore simul, adeoque *facti*, non *juris* est, nec ideo transit in hæredes; nisi denuo ab ipsis apprehensa, *l.* 23. *in pr. ff. d. Acquir possess.* (5)

14. Sed fere per omnem Europam contraria dicitur obtinere consuetudo, teste Gudelino *lib.* 2. *Juris Novis. cap.* 18. in quam sententiam Galli habent hoc celebre dictum, *Le mort saisit le vif, mortuus apprehendit vivum*, id est, non modo dominium, sed etiam possessio quam defunctus habuit, quasi juncta transit in hæredem: pluribus id dictum explicavit Tiraquellus, in *tractat. singulari de illa paroemia.* (6)

15. Plerique crediderunt, idem nostris quoque Statutis probari, ex iis quæ habentur *lib.* 1. *tit.* 17. *art.* 3. ubi scriptum est, hæredes tam in rectâ lineâ quam in obliqua, impune apprehendere & adire possessionem bonorum sibi delatorum, non expectatâ judiciali immissione in possessionem. Communis fere opinio fuit iis verbis doceri, non opus esse hæredibus nova possessionis acquisitione.

16. Rectius inde contrarium colligit Herbajus noster, in *not. M. SS. ad d. tit.* ad verbum *Apprebenderr*, aanvaarden; *Proinde*, inquit, *apud nos non obtinet consuetudo illa Gallica, quâ defuncti possessio in hæredem transfertur.*

17. Nihil enim à Jure Civili diversum ea verba continent. Heredes possunt adire & apprehendere possessionem, ergo non habent eam sine apprehensione: libertas adeundi perinde Jure Civili competit, heredis arbitratu, ut in loco intelleximus. (7)

18. Quare & nuper in celebri controversiâ *Amelandicâ* pro heredibus novissimæ Dominæ, vel saltem, quæ in possessione fuerat, cum heredes possessionem adire prohiberentur, non retinendæ, sed adipiscendæ possessionis judicio, actum est à duobus fori nostri tersissimis Advocatis. (8)

C A-

(5) *Naturalis* scil. quo modo cunque adprehensa, etiam ministerio alieno: *Civilis* vero in heredum personis ipso iure continuatur, §. 7. *Inst. de Usucap.* & *l.* 22. *D. de Usurpat.*

(6) *Tom. IV. tract.* 2. Vertendum vero ita: *mortuus in possessionem mittit vivum.* Vid. *Prael. D. de adq. poss.* §. 5.

(7) In *Prael. ad Inst.* & *Pand. dd. ll.*

(8) Vid. *Iurispr. Hod. lib. V. cap.* 7. §. *ult. fin.*

CAPUT VI.

De Servitutibus. (*a*)

1. SErvitutum jus, utcunque subtiliter à Romanis subductum, per omnia tamen à nostris servari puto; nisi quod inter *actum* & *viam* discrimen, quod veteres tradiderunt, heic usum habere non animadverto. (*b*)

2. Sed quod servitus est *indivisibilis*, ideoque pro parte non possit acquiri, sine dubio probandum est, quicquid de usu forensi Groenewegius contra testetur, *ad l.* 11.*ff.de servit.* nec enim per rei naturam fieri potest, ut jus incorporale, quatenus ejusmodi est, dividatur. (*c*)

3. Sed quod natura servitutis negatur in *faciendo* consistere *l.* 15. §. 1. *ff. d. servit.* videamus an satis *praxi nostratium* conveniat: sic enim vulgo arbitrantur, si quis habeat jus eundi agendi per solum aut per pontem alienum, servientem cogi posse, ut eum pontem vel id solum reficiat, quo Dominans ire agere possit.

4. Cum tamen certi juris sit, non teneri servientem ad quicquam faciendum, nec adeo ad impensas rei quæ servit, *d. l.* 15. §. 1. *Schneidew. ad h. tit. num* 21. Tu dices, an igitur is, cui servitus competit, pontem servientis, qui dominium ejus habet, reparabit? *Respondeo*, non cogitur.

5. Sed an dominus etiam cogetur rem suam reficere invitus? certe si *promiserit*, tenebitur; sed nihil promisit quam se passurum, ut alter iret, ageret; jam patitur, nec

(*a*) Plenius omnia disputata vide in *Iurispr. Hod. lib. II. cap.* 42. *seqq.*

(*b*) Quoniam plerumque fere simul constitui solent, *reed en drift*; posse tamen & separari, iuri Civili convenienter, postea auctor fateri maluit, *Prael. ad Inst. de Servit.* §. 4. *fin.* & in *Iurispr. Hod. d. lib. II. cap.* 42. §. 8.

(*c*) Non ea vero *Groenewegii* ratio est, verum quod alteri cum effectu hodie stipulari liceat, secus ac Romano olim iure; quam speciem tractat Modestinus *d. l.* 13. Conf. sis eundem Pragmaticum *ad l. ult. D. Comm. praed.* cui & Voetius suffragatur *ad eund. tit. Comm. praed.* §. 9. Et videri possunt auctores citati a Groenewegio *ad* §. 19. *Inst. de Inut. stip.* quaeque ipse Auctor hac de re cum Thomasio disputavit in *Prael. ad d. tit. Inst.* §. 6. Veram Scripturam *d. l. ult.* adsertum ivi *lib. I. Lect. Jur. cap.* 21.

nec impedit; implevit suam fidem; si pons aptus non sit ad transitum, ipse qui vult ire agere viderit. Hæc ita, nisi dicta conventa secus ferant, ut accidit in exemplo *l.* 33. *ff. d. servit. urb.* (*d*)

6. Servitus *foraminis*, proluendi caussa non potest constitui, quia quod *manu* fit non habet causam perpetuam, *l.* 28. *ff. d. servit. urb.* Quominus aliquis vicino ejusmodi jus concedat, nihil vetat; sed ea non est servitus, nec onus rei inhærens; obligatio duntaxat est *personam* obstringens. Id vero nostris moribus aliter se habere, scribit Groenewegius *ad d. l.* 28.

7. *Rationem* reddit, quia nostræ mulieres sint mundiores quam olim Romanæ, quæ spongiis pavimenta detergebant *l.* 12. §. 22. *ff. d. Instrum. leg.* cum nostrates scopis & aqua multo abundantiore sordes per foramina proluant. Quid est *nugari* si hoc non est? quasi quæ scopas adhibent, minus *manu* uterentur, quam quæ spongias.

8. Haud tamen abnuerim, illam *subtilitatem* Jureconsultorum in hoc exemplo non convenire cum usu nostro.. Nec enim dubium est, quin jus propellendi, & eluendi sordes, per foramen parietis nostri, in aream vel in cloacam vicini, sit e numero servitutum urbanarum, & hoc jure utimur; nec id alienum à ratione juris videtur, nam & *fumus* emitti non potest sine *manuum* operâ, & tamen fumi immittendi servitus probata est legibus antiquis, *l.* 8. §. 5. *ff. si servit. vind.* (*e*)

9. Servitutes Aquæductus, Aquæ haustus, Pecorisque ad aquam appulsus, vix est, ut in *Frisiâ* dentur, quia non habemus fontes nec fluvios in agris privatorum; è puteis autem, è cisternis, specubus

(*d*) Satis puto haec refellendae vulgi doctrinae de ἀνωμαλία huius servitutis facere. Eademque fere Vinnio respondit Heineccius, *ad Comm.* §. 1. *Inst. de Serv. praed.* Vnum addo; si conventum, ut dominus servientis forte parietis, vel columnae, reficiat, non *confessoria* agere dominantis dominum, sed *ex stipulatu*, aliove contractu; si nihil dictum, derelinqui a domino servientem parietem, vel columnam, posse, *l.* 6. §. 2. *D. si serv. vind.* Tota itaque refectionis caussa a servitute ipsa prorsus aliena est, eiusque mutare naturam non potest.

(*e*) Ceterum tamen Iure Civili manifesta differentia inter *foraminis* & *fumi* ius intercedit. Etenim tota pavimenti ablutio meri facti est, eiusdemque minime continui; contra vero pars aedium caminus, focique usus tantum non perpetuus est. Quocirca & si pluviae aquae aliquid accedat, utique propriam *foraminis* servitutem videri aiunt, *d. l.* 28. Paullo aliter haec Auctor in *Prael. ad tit. Comm. praed.* §. 7.

cubus & stagnis, quibus abundamus, concessæ facultates illæ servitutes non sunt, quia non habent causam perpetuam, *l.* 1. §. 4 *ff. de Font.* obligationes tantum sunt, è quibus oritur actio in personam, non in rem adversus quemlibet possessorem, arg. *l.* 13. *in pr. ff. Commun. Præd.*

10. Enimvero in *possessorio* tuendus est is, qui tale jus adeptus est; verum si alter quem obligatio non stringit, eum *petitorio* aggrediatur, non habet quo ad extremum se tueatur, *dd. ll. arg. l.* 2 *ff. Comm. præd. l.* 1. §. 11 *&* 12. *ff. de Aq. quotid. & æst.*

11. Scio, id argutum nimis, & ab usu alienum plerisque videri; sed minus procul à veritate Veteres abfuere, quam putes; siquidem rei non potest imponi *jus*, adversus omnes possessores valiturum, nisi quod æquabilem cum eadem re naturam habeat, non quod modo existat, modo evanescat; *obligatio* vero in factum promiscuè contrahi potest, tam ad tempus quam in perpetuum *l.* 25. *ff. de oblig. & Act.* (*f*)

12. Discrimen, quod veteres habent inter *causas & modos acquirendi* servitutes, video quosdam hodie sic interpretari, quasi usum amplius non habeat, adeo ut pacta, quibus domini promittunt jura servitutum vicinis, non modo paciscentes obligent, sed etiam contra quoslibet possessores valeant. *Vid.* Carpz. *def. for. part.* 2. *Const.* 41. *def.* 14.

13. Cum tamen Jure Cæsareo nihil certius sit, quam jus in Re nudâ conventione non constitui, ut probavimus *lib.* 4. *Digres. cap.* 7. Proinde ut ad dominium requiritur actus traditionis, sine quo personalis Conventio non afficit tertium, ita nec servitus ultra paciscentes extenditur, nisi præter pactum conventum *patientia usus*, cessio in jure, aut alias præscriptio accedat, ut diximus ad *tit. Inst. de servit. posit.* 28. *& tit. ff. si servit. vindic.*

14. Pacta, contractus, non tribuere actionem adversus eum qui non pactus est, vel non contraxit, notissimi juris est, *l.* 15. *C. si cert. pet. l.* 13. *C. de O. & A.* Unde & in *l.* 3. *C. de servit.* ita demum servitutes ad emptores transire dicuntur,

(*f*) Sed merito & haec, ut subtiliora, & ab usu magis remota, hodie insuper habemus, uti recte Groenewegius *ad d. l.* 28. cumque eo alii nunc omnes. Quid? quod & ipso Civili iure, certe sub *Antoninis*, & deinceps, benigne ita permitti soleret, utilesque actiones atque exceptiones dari. *Vid. l.* 2. *D. Comm. praed.*

cuntur, *si ea præcesserint, quæ servitutes constituunt*, ast nuda *placita tueri inter contrahentes debent*, adjicitur.

15. Carpzovius pacta conventa, quibus servitutes promittuntur, vult in dubio esse pacta in Rem, idque probat ex *l 9 ff. de probat. l.* 13. *C. de contrab. & commit. stipul.* ubi id ita scriptum est: Quod ut ei concedamus, inde tamen minime sequitur, earum vim ad alios possessores, qui nec contraxerunt, nec hæredes contrahentium fuere, produci; cum textus nihil aliud habeant, quam pacta in dubio non ad personas contrahentium solas, sed eorum quoque heredes pertinere.

16. Denique, pacta in Rem non eo sensu personalibus opponuntur, quod rem afficiant, ubicunque sit, aut contra quemvis rei possessorem valeant; sed quia non spectant unam certamque personam, verum ad heredes quoque & fidejussores; at tamen nunquam ultra vim conventionis, ut diximus ad *tit. ff. de pact. posit.* 8.9. & 16.

17. Contenti simus igitur & hac parte Jure Civili, quod recta solidaque ratione nititur, nec adversatur institutis nostris; nisi quod unum haud gravate concesserim:

18. *Cessio in jure* fuit solennitas fori Romani, quam nos ignoramus; ideoque si ad conventionem, qua finis & usus servitutis diserte expressus est, actus aliquis symbolicus, ut traditio instrumenti, vel similis externa demonstratio accedat, perpetrata videtur acquisitio servitutis, ut ipsi prædio inhæreat; maxime cum traditio proprie dicta servituti non conveniat, *l. ult ff. de servit.* (*g*)

19. Habet idem Carpzovius aliique plura de servitutibus, quæ sub auctoritate *praxeos* contra regulas Juris interpretantur; sed quæ à nobis majori auctoritate, Cæsaris inquam, spernuntur; nec minus facile dictata Juris Civilis rationi bonoque publico vindicabimus.

C A-

(*g*) Verum ita lis omnis in logomachiam desinet. Melius vero Auctor *supra* §. 13. patientiam usus ad ius hoc in re adquirendum pertinere dixit; certe adquisita esse actori possessio debet, ut *confessoriam* movere possit; ceteroquin *in personam* duntaxat acturus. Primum igitur uti servitute sibi concessa debet, cuius in exercitio si turbetur, uti & contra institutam forte *negatoriam*, exceptione se tuebitur, vel interdicto. Conf. Voetius *ad tit. D. Comm. praed.* §. 1. & ipse Auctor in *Prael. D. ad tit. si serv. vind.* §. 2. & 3.

CAPUT VII.

De Usufructu, Usu, & Habitatione. (1)

1. PRaxis apud nos quotidiana fert, ut quando ususfructus pecudum, vestium, aliarumque rerum *mobilium*; seu specialiter, sive generaliter, juxta usumfructum omnium bonorum, relictus est, tum fiat æstimatio earum rerum, quam *æstimationem* Fructuarius, finito usufructu, restituere debeat.

2. Atqui Jus Civile dictat ita; Fructuarium pecudibus, supellectile, vestibus, aliisque mobilibus, uti posse per omnem vitam, donec aut extinctæ sint pecudes, aut detritæ vestes, & supellectilia; quoniam in omnibus illis rebus consistit verus usufructus; de jumentis & cæteris rebus est textus in § 2. *I. st. de usufr.* & de vestibus in *l.* 15. §. 4 *ff. de usufr. l.* 9. § 3. *Quemadmodum usufruct. cav.* (2)

3. Institutum illud æstimandi, cavendique de *æstimatione* reddenda, pertinet ad jus quasi ususfructus, ut diximus ad *tit. I. de servit. posit.* 14. *& seqq. & ad tit. ff. de usufr. ear. rer.*

4. Hæc res *pragmaticis* nostris paradoxa & pene ridicula videtur, adeò ut vix unquam hujus rei usum extitisse putem, certe non meminerim, etiam vero ut plurimum praxin hujus Juris incommodam esse non negaverim.

5. Quo circa & Jure Civili receptum videmus, ut *bestiæ*, quarum

(1) Vid. *Iurispr. Hod. lib. II. cap.* 39.

(2) Auctor haec pluribus *ad tit. D. de Usufr. ear. rer.* &c. Ceterum non aliter solitos fuisse veteres in vestimentis quotidianis, vasisque vitreis, & id genus aliis, interitui facile obnoxiis, ex citatis ab Auctore textibus, *l.* 15. §. 4. *D. de Usufr. l. ult. D. Usufr. quem. cav. &* §. 2. *Inst. de Usufr.* abunde liquere existimo. In arbitrio enim est domini, qualem velit usumfructum constituere, verum an quasi; sive, quod idem est, speciei, an quantitatis, *dd. ll.* 15. *& ult.* Ceterum in dubio, & regulariter, magis earum rerum improprius ususfructus videbitur; exceptis vestimentis solemnibus, *d. l.* 15. §. 4. *&* 5. Ac proinde Tribonianus recte satis quotidiana, pauperum in primis, vestimenta ad quasi usumfructum retulit, *d.* §. 2. Conf. *l.* 9. §. 3. *Usufr. quem. cav. l.* 25. *C. de Usur. & l.* 22. *fin. C. de admin. tut.* Quae omnia egregie, absque crisi Noodtiana, in *d. l.* 15. §. 4. *lib. II. Prob. cap.* 4. *& lib. II. de Usufr. cap.* 21. exponit Voetius *ad tit. D. de Usufr. ear. rer.* §. 4.

rum verus eſt uſuſtructus, *numerentur*, in hoc, ut eadem quantitas, finito uſufructu, reſtituatur, cum alioqui fructuarius eas occidere non poſſet, alere verò ſemper ineptum foret *l. 62. §. 1. ff. de Vſufr.* (3)

6. Haud diſſimilis aliarum rerum incommoditas eſſet, *mobilium* inquam, ſi ſemper iisdem utendum foret, idque vel maxime experiremur in veſtimentis, quæ ideo *Tribonianus* inter ea retulit, quæ materiam quaſi uſusfructus conſtituunt, adverſus certam Juris ſententiam, quæ eſt in textibus modo adductis; ipſe aliter ſcripſit in §. *pen. Inſt. de uſufr.* motus, ni fallor, uſu hominum, & aptitudine rerum in diverſam partem.

7. Id tamen ex hac obſervatione velim colligant hi, quorum intereſt, ut ſi fructuarii conſentiant in *æſtimationem* rerum mobilium, ne aliter eam admittant quam multo infra verum cujusque rei pretium, quia per cautionem de pretio, vel eadem quantitate reſtituenda, conditionem proprietarii longe meliorem, ſuam verò deteriorem faciunt.

8. Nam dominus fit certus, ſe finito uſufructu *tantundem* eſſe recepturum, ac ab initio fuit in patrimonio; cum ſi fructuarius uteretur jure ſuo, quod Leges ei tribuunt, haud parum inde mortibus animalium, atque tritura aliorum corporum abſcederet.

9. Ipſe vero Fructuarius æſtimatione factâ recipit in ſe *periculum* rerum caſu fatali intereuntium, quæ damna alioqui in proprietarium redundabant, juxta regulam communem; Dominus quisque rei ſuæ periculum fert, l. 9. *C. de pignorat. act.* & æſtimatio cum dominio ſemper quoque periculum transfert, *l. 5. & l. 10. C. de jur. dot.*

10. De *Uſu* & *Habitatione* ſunt tituli in Inſtitutionibus atque Pandectis proprii, quos nullo jure aboli-

(3) Praeter ea, quae Interpp. *ad §. 38. Inſt. de R. d.* de hoc pecorum uſufructu obſervant, conferri merentur, quae alii ad illuſtrationem *l. 8. C. de pact.* attulerunt; quaeque in contractu *Socidae*, id eſt, partiaria pecorum locatione, hodie obſervantur. Notionem vocis du Freſne in *Gloſſ. Lat. h. v.* & Menagius in *Origg. Ling. Ital. v. Soccio*, illuſtrarunt; rem ipſam vero Heineccius in *Elem. Jur. Germ. lib. II. tit. XIV.* §. 405. & 416. & Beyerus in *Spec. Jur. Germ. lib. II. cap. 22.* utrisque praeeunte Ott. Tabore in *diſſ. pec. tom. 1. Opp. p. 127.* Vocant haec *ferrea pecora* Germani; eademque apud Burgundos *rebus immobilibus* adnumerari, teſtatur Chaſſanaeus, in *Conſ. Burg. rubr. IV. §. 11. Sect. 28.*

abolitos esse manifestum est; sed ego non arbitror, eorum usum *moribus nostris* multum frequentari; nullum sane exemplum usus ab usufructu diversi experimento, vel fando, unquam observare mihi licuit.

11. Equidem, si cui in mentem veniat tale jus constituere, non prohibetur; sed exercitium *usus* mihi non minus difficile & impeditum videtur futurum, quam esset praxis veri Ususfructus in animalibus & in vestimentis.

12. Nam illa coarctatio usuarii ad id quod *Necessitas* ejus flagitat, reliquis omnibus penes Dominum vel usufructuarium manentibus, quam leges volunt esse naturam ejus juris, quod *Usum* appellant *pr. Inst. h. t.* perpetuam litigiis occasionem præberet, quoadusque necessitas illa producenda vel finienda esset, nec facile, ut videtur, aliter quam pactione *certi annui* explicaretur. (4)

12. *Habitatio* tamen certiores habet terminos, nec video, quin si jus habitandi in ædibus alienis cuipiam legetur, eadem locum habitura sint, quæ jure Cæsaris hac de re prodita sunt, nominatim quod *non utendo* non finiretur, *l. 10. ff. de usu & habit.* Nam quod ibidem *de capitis diminutione* habetur, satis ex eo, quod semel dictum est capitis diminutiones evanuisse, sublatum esse colligitur. Nec adeo inusitata hujus generis *Legata* videntur. (5)

(4) *Certum annuum* non idem obtinere semper posset, oborta interim maiore minorive necessitate usuarii, tum quod ad familiam, tum quod ad circumstantias vitae quotidianae alias; nisi cum consensu proprietarii, vel usufructuarii. Definiendi itaque forent quoque *termini*, ut aiunt, sive stata tempora huius perceptionis.

(5) *Habitationem*, & *Operas* servorum, iumentorumve, non legibus cognitas, sed ex testamentis originem mutuatas fuisse, argumento vel illud est, quod non *in iure*, sed *in facto* consistere dicantur; atque ideo nec non utendo, nec minima capitis deminutione exspirent. Quam tamen *differentiam* hodie cessare, idemque & in usufructu, & in usu, obtinere arbitror. In omnibus enim nonnisi longissimi temporis præscriptio nunc obtinet, qua de re *cap. seq.* Conferri autem de *Habitationis* iure merentur egregii Duumviri, Lynkerus in *spec. diatr.* & Gundlingius in *Ana*, *part. XVII. obs. 1.*

C A-

CAPUT VIII.

De Usucapionibus & Præscriptionibus. (a)

1. HAbuimus *modos speciales*, quibus dominium *Jure Gentium* acquiritur, iisque de servitutibus & de usufructu, quod ad rem nostram pertinebat, subjecimus, ordinem secuti Cæsaris in suis Institutionibus; sequuntur jam Acquisitiones *Juris Civilis*, quæ perinde sunt vel singularium rerum, vel universitatium.

2. Modi, quibus singulæ res acquiruntur, Jure Civili sunt Usucapio, Donatio, atque Legatum: addi solet fideicommissum particulare; sed cum hoc per omnia Legatis æquiparatum sit, non est, quod hoc loco numerum augeat.

3. Titulum de *Usucapionibus* unâ liturâ delet Groenewegius; nam, ait: *usucapiones, & longi temporis præscriptiones, nostris & aliorum moribus in desuetudinem abierunt*, auctoresque laudat complures ὁμοψήφους (b); nos vero non habet adstipulantes: Nec tamen habemus, quo huic articulo de Usucapionibus immoremur, quia simpliciter omnia servamus, quæ hac de re ab Romanis prodita sunt.

4. Quemadmodum & *præscriptiones longi*, & *longissimi temporis*, imo & *temporales*, quas a Justiniano accepimus, interque eas quadriennii præscriptionem, quæ datur Fisco *in §. ult. Inst. h. t.* quamque ipse Groenewegius agnoscit; eò quod evenerit, ut cum in judicio opponeretur, à Curiâ Hollandiæ nequidem dubitaretur, quin valeret.

5. Credo alioquin, ille Juris Abrogator & huic articulo suum *ignoramus* objecisset; nam id satis constat, præcipuas è causis, quibus illa strages Juris Romani in locis, ubi receptum est, invaluit, esse *Ignorantiam* & *Arrogantiam*, quâ sibi quisque sciolus prudentior Antiquis videri gavisus est.

6. Una est Præscriptio, de qua in

(a) Vid. *Iurispr. Hod. lib. II. cap.* 11.

(b) Atque ita fere apud omnes gentes originis Germanicæ, ex vetere Saxonum iure, de saeculo annorum *triginta*, auctore Plinio *lib. XVI. hist. nat. cap.* 44. quae eadem Graecorum γενεά. Vid. Heineccius in *Elem. Iur. Germ. lib. II. tit. IV. seqq.*

in Statutis nostris agitur loco peculiari, *lib.* 1. *tit.* 15. quæ Jure Cæsaris ignoratur. Lex ait: *Salaria Advocatorum*, *Procuratorum*, *Secretariorum*, *Medicorum*, *Chirurgorum*, *Apothecariorum*, *Scribarum*, *Notariorum*, *mercedes operariorum*, *famulorum famularumque*, *credita rerum minutim venditarum*, *symbolarumque in diversoriis*, *judicialiter exigi debent intra biennium à die ministerii præstiti*, *mercis traditæ*, *symbolæve creditæ*. (*c*)

7. Praxis ampliavit has species, addendo salaria viatorum, & apparitorum, executorumque Curiæ, teste Sandio *lib.* 5. *tit.* 6. *def.* 2. cibaria quoque pro diebus aut hebdomadibus credita, non pro majoribus anni partibus, etsi quantitas pro proportione dierum vel hebdomadum fuerit expressa; quomodo visum est Curiæ in causâ Jacobi Lolkema contra Jacobum Wybrants *die* 22. *Octobris* 1680. (*d*)

8. Verba *mercium minutim venditarum*, inferunt limitationem, non habere locum præscriptionem in speciebus mercaturæ magnariæ, quæ dicitur, quas inter Cerevisiarii venditionem exercentes per integras *lastas* vernaculè ita dictas, imo per singula dolia sive integra seu dimidiata, sicut Curiæ visum apud Sandium *d. defin.* 2.

9. Idem juris erit in frumento per *lastas* vendito, doliis autem sive *tonnis* maxime dimidiis comparandi videbantur modii, *lopens*. De modiis tamen avenæ secus visum plerisque dominis in causâ *Tjerk Hendrix Banga* contra *Mariam ab Vnia d.* 2. Mart. 1681. forte, quia modius avenæ respectu consumptionis equorum celerius absumitur, quam ut pro specie *magnaria* haberi possit. Rea tamen absoluta est, non tam ob præscriptionem, quam respectu novationis per alium factæ, licet & domini de præscriptione dixerant.

10. Res

(*c*) Perpetuo commentario hunc tit. *Statutorum* donavit Ampl. Curiae Patriae Senator, Dom. ab Hamerster, *part. I. p.* 213. *seqq.*

(*d*) An vero ad *honoraria* quoque Professorum, ceterorumque Doctorum publicorum, atque Magistrorum, *Statutum* pertineat, vehementer dubito; quod *strictae* sit *interpretationis* haud minus praescriptio, quam vel renunciatio, vel transactio, quaeque adeo difficillime praesumuntur. In alia tamen omnia propensior Auctor noster, cumque eo *Zacharias* filius, in altera editione *Jurisprud. Hod. lib. V. cap. XV.* §. 6. Neque vero ullum extare Curiae praeiudicium novi, siletque plane hanc speciem Ampl. Hamerster *d. l.*

10. Res magni pretii, licet corpore minutæ, pro magnariis tamen habentur, ut ſunt gemmæ, (forſitan & aurea argenteaque vaſa, utique majora) ut Curia cenſuit, apud Sandium *d. def.* 2.

11. *Tempore biennii elapſo*, pergit Statutum, *de ſpeciebus illis debitorum, judicio experiri non licet*; quod eſt idem cum formula Juris Civilis, *actio petitioque negabitur*, *l.* 1. *d. Sc. Macedon.* & alibi, quod repetitur in fin. *d. Statuti*, addito, *illa debita pro ſolutis aut accepto latis habitum iri.*

12. Ex quibus verbis intelligitur, non modo rationem præſcriptionis hujus habendam eſſe, ſi à debitore opponatur, ſed etſi nullam ipſe mentionem temporis elapſi fecerit, vi legis & officio judicis actionem eſſe negandam, ut Sandius quoque tradit, in *defin. prædicta*; quod omni die ſervatur, etiam ubi debitor ex contumacia damnandus venit.

12. Tempus illud biennii *continuum* intelligitur, non utile, non modo quia continet quoslibet dies tam feſtos, quam faſtos; ſed etiam quia currit à tempore rei geſtæ; ſic enim ait lex, *a die miniſterii præſtiti vel rei creditæ.*

13. Sic tamen, ut actionem oporteat fuiſſe *natam*, alioqui enim præſcriptio ei nullo modo applicari poteſt. Ex. gr Executores Curiæ non poſſunt convenire victores litium, à quibus requiſiti ſunt, niſi poſtquam condemnatos penitus excuſſerint; Ideoque, ſi interim labatur biennium, præſcriptio neutiquam objici poteſt.

14. Præterea factum eſt *interpretatione* Senatus, ad mitigandum hujus conſtitutionis rigorem, quatenus ſalvâ ratione, ſenſuque verborum fieri poteſt, ut biennium non cedat, niſi ab eo tempore, quo univerſa negotiatio miniſteriumque ceſſerit, nec conſiderentur ſingula debitorum capita, ſed noviſſimorum. *Sand. d. defin.* 2. *verſ. de Salario.*

15. Hinc *procurator* etſi per triginta annos unam pluresve lites pro eodem domino adminiſtraverit, omnia tamen ſalaria petere poteſt, modo ne biennium à poſtrema functione fuerit elapſum, ut ante Sandium ſcripſit Faber *ad lib.* 4. *Cod. tit.* 41. *def.* 34. nam & in Sabaudia ac alibi hæc præſcriptio uſitata eſt.

16. Quantum attinet ad mercedem *famulorum*, indifferenter biennio, ex quo famulus famulitio exceſſit, eis præſcribi ſenſit Senatus, verba ſunt Sandii *d. def.* 2. Videbatur aliquid peculiare de famulis collocare velle, ſed hoc quod

quod scribit nihil à prioribus diversi continet, si mercedibus eorum computetur biennium, ex quo famulitio excesserint: Nam hoc est idem cum eo, quod de procuratoribus, & mercibus creditis antea docuerat.

17. Vir Nobilissimus *Hero ab OCKINGA* Exsenator & Academiæ Curator dignissimus, exemplar Statutorum mecum communicavit, ubi ad oram *tit.* 15. notâ manu *Sandii* scriptum est vernaculè, decisum esse à Curiâ, mercedes famulorum præscribi indistinctè biennio, *non obstante continuatione servitii*; addito, diversum adeo placuisse respectu famulorum, ac in aliis præstationibus placuerat; atque citat idem exemplum decisionis, quod in definitione prædicta adducit, scil. *Rommert Hinkes cum soc.* contra *Douwe Buwes d.* 15. *Iul.* 1615.

18. Quo consilio Decisioni typis excusæ adjecerit hæc verba, ex quo *famulitio excessit famulus*, quæ prioribus notatis repugnant, non animadverto. Inspexi codicillos litis, sive *processum*, ut loquimur, ipsum, repperi hæredes famulæ, de cujus famulitio lis fuit, petiisse mercedem annorum septem cum semestri, pro singulis annis 19 florenos; Curia adjudicavit 36 (nam reus se tantum promisisse negabat) pro biennio scilicet, verum ancilla apud Reum manserat, usque ad exitum vitæ, adeo ut in illa specie Curia initium præscriptionis à tempore, quo famulitio excesserat, nullo modo ducere potuerit.

19. Apparet igitur notata manuscripta Sandii hac in parte incorruptiora esse, quam est Decisio typis edita. Credere posses hæc verba, *ex quo famulus famulitio excessit*, ab alienâ manu esse, quia parum verisimile est, Ipsum aliter retulisse quam res acta erat, quam ipse notaverat in codice suo, & quam ex orationis contextu voluisse dicere videtur. Nam si versiculum, *Quantum attinet*, cum præcedenti oratione compares, expectabis, ut de famulis aliud doceatur quam de reliquis speciebus dictum erat; & tamen, ut nunc habetur, eodem modo, quod ad famulos attinet, scriptum est.

20. Sive ita sit factum, sive obreptum sit Sandio, non puto aliud juris in *famulis* obtinere, *quam* in aliis qui nobis operas suas locant, neque è toto illo processu animadvertere potui, Senatum de *præscriptione* tum judicasse, neque partes ullam ejus mentionem fecisse. Nam Reus allegabat, se pro cæteris annis excepto biennio

sol-

ſolviſſe, petitores contrarium non probabant; ideoque neceſſe non fuit, ut ibi de præſcriptione diſputaretur.

21. Alia quæſtio fuerit, an in dubio *præſumendum* ſit, mercedem eſſe ſolutam? Denique fieri poteſt, ut quidam ex Dominis etiam hoc caſu reliquis annis *præſcriptum* putaverint: Sed è proceſſu ſententiaque nihil omnium liquet. (*e*)

22. Sequitur in Statuto; Excipe, *ſi ſuper debito factum ſit chirographum aut inſtrumentum obligationis, cujus vi talia debita perſequi licebit toto decennio adverſus principalem debitorem; Quo defuncto heredibus ejus iterum currit præſcriptio biennii, intra quod creditor ipſos convenire debet*, tempore tamen utiliter computato, ut incipiat, *ex quo creditori mors debitoris ſui innotuerit.*

23. Poſtremo adjicitur; huic ſanctioni locum fore; *niſi debitor confiteatur, debitum eſſe legitimum, neque adhuc ſolutum*, ad quam confeſſionem eliciendam creditor debitori poteſt & ſolet deferre *jusjurandum*, utque major copia detur illi per interrogationes hunc adigendi ad detegendam veritatem, moris eſt, ut eâ gratiâ per interlocutionem partes ad probandum admittantur. (*f*)

24. Hactenus fert *uſus fori*, ut malitiæ tergiverſatorum obviam eatur; ſi vero perſiſtat debitor in negando veritatem debiti, aut adſeve-

(*e*) Nihil tamen probabilius; petita enim merces annorum *ſeptem* fuerat, ſoluta vero unius tantum *biennii*, eiusdemque nondum integri; manifeſto argumento, fidem reo habitam, & praeſumtam prioris *quinquennii* ſolutionem fuiſſe. Atque ita eo caſu recte in Mſſ. notaverat Sandius, *ſup.* §. 17. *ſeqq.* mercedes famulorum indiſtincte praeſcribi biennio, *non obſtante continuatione ſervitii.* Atque ita hodieque uſu fori obſervari, certe oportere, mihi perſuaſiſſimum habeo. Etenim illa Statuti verba, *art.* 1. *van den dage van den laatſten dienſt, ofte arbeid gedaan*, in continuo plurium annorum ſervitio intelligi tantum poſſunt de *ultimo anni ſecundi die*, tanquam termino *a quo*, ſive initio cedentis tum primum praeſcriptionis. Vnam vero Ordines *exceptionem* in ſalariis & expenſis Advocatorum ſubjiciunt, *art.* 7. qua proinde regulam, *art.* 1. poſitam, in ceteris caſibus, utpote aeque ſpecialiter non exceptis, denuo confirmari certiſſimum eſt.

(*f*) Idem etiamnunc conſtanter obſervari, auctor eſt Ampl. Hamerſter *d. l.* 1. *tit. XV.* §. 5. *f.* An vero ea mens Statuti, valde dubito; totum enim debitum exacto biennio unius pudori debitoris permittitur, qui proinde *impune* illud abnegabit, vel ſolutum fuiſſe contendet, aut ſimpliciter ignorantiam praetexet. Eſt enim haec *praeſumtio*, ut in foro loquuntur, *iuris & de iure.* Quumque adeo omnem lex actionem creditori auferat, quo iure quaeſo *iusiurandum* is reo deferet? Fraudine ergo periurium accedere Curia iubebit? Dii meliora.

severando solutionem, creditor cum expensis repellitur, etsi paratus sit docere veritatem debiti, vel solutionem non esse factam, reumque esse mentitum; imo licet hoc aliunde probaverit, ut decisum est à Curiâ in caussa *Justi Blenkenfieldt* contra *G. Y.* ante ferias omnium Sanctorum 1680.

25. Idem eadem feriâ passus est in pari caussâ, *Johannes Jonelin*, sartor Principis Arausionum, contra *N. B.* licet ex litteris à debitore scriptis & agnitis non obscure probasset, eo tempore debitum ab ipso fuisse recognitum, utique non abnegatum.

26. Ratio harum decisionum est evidens ex lege, quæ debitorem jubet absolvi, *nisi fateatur debitum esse justum neque solutum*; non ait, nisi debitum sit justum & insolutum, sed nisi *fateatur*.

27. Tu dices, hæccene defendi possunt & conciliari cum doctrina *bonæ conscientiæ?* Reum ut defendamus absit; judicem tuebimur; de Lege quid dicendum? Et huic patrocinabimur, non ut optima, sed ne prava sit, σαφῶς καὶ μὴ πανέργως. (*g*)

28. Quid si debitum sit contractum in locis, ubi hæc constitutio non viget? Tamen si debitor in *Frisiâ* conveniatur, potest objicere præscriptionem: Quia non pertinet hæc ad interpretationem *contractus*, qui ordinatur ad locum ubi contractus est celebratus, sed ad jus actionis & caussam *judicii*, quæ explicatur ad instituta *loci*, in quo disceptatur, per ea quæ tradit Sandius *lib.* 1. *tit.* 12. *def. ult.* ac ita Curiæ visum in prædictis duobus exemplis. (*h*)

29. Proditæ sunt & aliæ præscriptiones in *Statutis* passim sparsæ, quæ hoc uno loco minus commode memorari possunt. Singulæ suis locis rectius observabuntur.

(*g*) Certe *Iudex* ultra legem non sapiet, neque sui aequitatem cerebri legum auctoritati anteponet. Ego certe aliter facturum, si *cliens* essem, recusarem; si *princeps*, removerem. At dices? Maiorem verbi divini bonaeque conscientiae rationem habendam, quam Iuris humani. Egregie vero! Quasi quisquam *invitus* in Curiam adlegatur. Det ille religiosulus, si vir probus sit, hoc suae solamen *conscientiae*, det hoc verbo *Dei*, ut abire munere suo malit, quam secundum leges, in quas iuravit, iudicare. Sed verendum profecto, ne idem huic, quod locupleti in *Evangelio* iuveni, eventurum videamus.

(*h*) Ita omnino, si in foro *domicilii* debitor conveniatur; secus, si in foro *contractus*. Cuiusque enim loci iudex non nisi suis ex legibus sententiam feret.

C A-

CAPUT IX.

De Donationibus. (1)

1. HIc titulus ſilentio prætereundus erat, ni *Groenewegius*, aliique, nobis ut obſoleta quædam obtruderent; quæ tamen ego non dubito, quin jure foroque noſtro valeant.

2. Nam *Baudius*, credo, non moraretur nos, qui *centur. 2. epiſt.* 71. ſtomachatur & ſuccenſet Juris Interpretibus, quod hunc titulum inter eos non retulerint, qui ſenio & uſu obſolevere; quaſi liberalitatis homines obliti donare pridem deſiiſſent, eò quod ipſe ſuis verſiculis auream pluviam, quâ reficeret anhelantem inopiam, elicere impos, gloria miſer contentus eſſe cogeretur, quod Reges & Principes debendi reos haberet. (2)

3. Nam ſic etiam Profeſſor ille Juris apud Barclaium in *Euphormione*, *à pr.* audiendus eſſet, qui magno laterum niſu in vaſto auditorio (*) contendebat, eos præpoſtere conſuluiſſe, qui libros *de legibus abrogatis* ſcribentes inter obſoleta capita non recenſuiſſent tria juris præcepta, *honeſtè vivere*, *alterum non lædere*, *ſuum cuique tribuere.* Forte reperiuntur in illis *Abrogatoribus*, quæ minus merentur in iſtum catalogum referri, quam quod Baudius & Euphormianus Anteceſſor volebant. (3)

4. Sed Groenewegius præcepta Juris adhuc vigere cenſet, nam eâ cauſſâ docet, Chriſtianorum moribus abrogatum eſſe, quod ſcribit Ulpianus in *l. 5. ff. d. donat.* affectionis gratiâ neque honeſtas neque inhoneſtas donationes eſſe prohibitas, & exemplum inhoneſtæ affectionis ponit in donatione, quæ fit circa meretrices, *d. l.* 5.

5. Macte

(1) Vid. *Iurispr. Hod. lib. III. cap.* 14.

(2) Cuius famelicam ſuadam, veneremque pauperculam, cum pectine plumbeo, lepide repraeſentat P. Scriverius in *Amoribus Baudii.*

(*) In Academia Aurelianenſi, ut videtur.

(3) Verum quam antiqua haec ſit tum conſuetudo, tum querela, ex Polybio novimus, in *Excerpt. Peireſc. p.* 1459. *ed. Gron.* qui iam tum Romae inuſitatas fuiſſe donationes teſtatur.

5. Macte Ulpiane, quod meretriciam affectionem vocas *inhonestam*, quo eluas maculam, quâ Censores Juris te inficiunt, quasi meretricibus faventem, eo quod scripseris in *l.* 27. §. 1. *ff. d. hared. pet.* in multorum honestorum virorum prædiis lupanaria exerceri; & nimis argutè in *l.* 4 §. 1. *ff. d. condict. ob turp. causs.* meretricem facere quidem turpiter, *quod sit* meretrix, non turpiter accipere, *cum* sit meretrix. (4) Καὶ ταῦτα δὴ μὲν ταῦτα.

6. Equidem prohibitas esse donationes in meretrices *more Christiano* non est recusandum, hactenus ut turpes & probrosæ habeantur; verum id ipsemet Ulpianus agnoscit in *d. l.* 5. (†)

7. Revocari autem posse donata meretricibus ab his qui jus donandi habuere, nequidem Jure nostro dicendum puto; quia fortior est ratio, qua cautum est, cessare condictionem, ubi dantis turpitudo, vel solius, vel una cum accipiente vertitur, *l.* 1. *l.* 3. *pr. ff. de condict. ob turp. caus.* solis militibus circa focarias suas id indultum legimus *l.* 2. *C. de donat. int. vir. & ux.* (5)

8. Præterea cessare volunt Doctores *communiter* prohibitionem Juris antiqui, ne filiusfam donet, quod est in *l.* 7. *ff. h. t.* teste Groenewegio *ad d. l.* 7. rationemque reddit, eo quod *moribus nostris* pater nullum jus habeat in bonis liberorum; sed cum id manifesto secus in Frisiâ comparatum sit, reliquum est, ut hac parte Jure Civili stare debeamus. (6)

9. Sed an donatio *absenti* facta valet?

(4) Ceterum ex publica apud Aediles professione, & *meretricio vectigali*, haec repetenda esse docuit Gundlingius, in peculiari diss. quam adsumto *Huarti de Clemangis* nomine Novae Bibliothecae inseruit, *part. XXXVII. obs. VI. tom. IV. p.* 609.

(†) Et sanctus tamen olim *Constantinus*, pariter atque Sanctissimus *Papa* etiamnunc, sordidum illud vectigal exegisse legitur. Vid. Zosimus *lib. II. cap.* 38. quem frustra post Euagrium defendere gestiit Jac. Gothofredus *ad l.* 1. *C. Th. de Lust. coll.* Conf. Leunclavius in *Apol. pro Zosimo.*

(5) Professa velut opera de illis egit Merillius *lib. II. Observ. cap.* 12. *seqq.* Scurrile Beverlandi opus de *Prostibulis Veterum* lucem nunquam vidit, ipsomet narrante in praef. opusculi, quod inscripsit *Admonitionem de fornicatione cavenda.* Add. Auctor in *Eun. Rom. ad d. l.* 4. §. 1.

(6) Ratio *Groenewegii* satis solida videtur, quod filii apud nos careant profectitiis & adventitiis regularibus peculiis; quae omnino vera probitionis erat Romanae caussa. Neque in contrarium faciunt citati ab Auctore textus *Dig. lib. II. Iurisp. Hod. cap. XIV.* §. 16. utpote de solo agentes profectitio peculio, ignoratis apud Veteres adventitiis. Et facile dubium omne tollit *Nov. CXVII. cap.* 1.

valet? Non valere jure civili, valere moribus hodiernis idem auctoritatibus probat, easque inter Sandium laudat ex *lib.* 5. *tit.* 1. *def.* 1. scil. valere donationem absenti factam, si per Notarium, aliumve, absentis nomine fuerit *acceptata*, proinde hoc caput Juris & in Frisiâ sublatum esse oporteret. (7)

10. De *Sandio* quidem, (reliqui jam nihil ad nos) fallit aut fallitur; nam is expresse in eo ipso loco contrarium docet; *perfecta* ait, *hodie non est donatio, antequam is cui donatur, sciverit sibi donatum, eamque donationem ratam & gratam habuerit. Hinc fit, ut donatio inter absentes aliter fieri non possit, quam per nuntium, vel aliam personam ad id destinatam, vel per epistolam donatarius certioratus eam acceptaverit*, *l.* 10. *ff.* *l.* 29. *C. h. t.* *Nec sufficit, si tabellio donatarii nomine donationem acceptaverit, nisi donatarius ad id ei mandatum dederit, vel id postea ratum habuerit.* Ac ita Senatum judicasse testatur.

11. Est hæc inter eas rationes, quibus non puto faciendum, ut meos libros onerem tot nominibus auctorum, sine quibus superior ætas non judicabat sua scripta hominum adspectum ferre posse; nam quia non potest fieri, ut omnes illi scriptores, quoties citantur, identidem inspiciantur, & quidem attente; eo fit, ut innumeri errores ista miserâ diligentiâ committantur, cujusmodi est exemplum heic a Groenewegio inter alia plura multosque alios designatum. (8)

12. Quid

(7) Forte autem lis omnis una observatione componetur, nimirum, acceptatam pro alio donationem *pendere*, donec eam ratam habeat donatarius, ipsomet auctore Sandio, *in* §. *seq.* Neque aliud voluit Groenewegius *d. l.* cui iam praeiverat Grotius *lib. II. de Iure Belli & Pac. cap. XI.* §. 14. & 18. Addesis Pufendorffium *lib. III. cap. IX.* §. 4. *seq.* & ad utrumque Interpp. Ceteroquin nec hodie absenti cum effectu donabitur. Praeiudicium habet Auctor in *Iurisp. Hod. d. lib. III. cap. XIV.* §. 13. De Acceptatione post alios eleganter est commentatus illustris auctor Gundlingianorum, *part. XXIX. obs. III. & IV.*

(8) Eandem querelam auctor habet Monzambani in *praef.* Verum parcius quaeso: certe non solis hodie eruditis & veteranis scribimus, lautasque bibliothecas possidentibus; sed plerisque vix initiatis, & subinde meliori supellectile indigentibus; quique adeo ex integra *citatorum* phalange unum forte alterumque ad manus auctorem habebunt, quo uti commentatore possint; eademque isti opera ceterorum sibi notitiam primum, deinde & copiam comparabunt. Feramus itaque talem diligentiam, paucis supervacuam, plurimis utilissimam. Ego profecto indices istos, sive *Remissiones*, uti vocantur, ineptis saepe prolixisque aliorum *Deductionibus* longe utiliores esse, experiundo didici.

12. Quid si *Reipubl.* donetur? acceptatio in eam non cadit, aut vix; an igitur non valebit? *Receptum* est, ut valeat, si ob caussam aliquam justam fiat, puta ob *honorem*, alioqui non procedit *l.* 19. *in pr. ff. de donat.* & ejusmodi promissio facta Reipubl. sine acceptatione vocatur Pollicitatio, *l.* 3. *in pr. ff. de pollicit.*

13. Duplicem *Inusum* observat hac parte Groenewegius *ad d. l.* 19. *& tit. de pollicit. Primo*, donationes honoris causa negat hodie Reipubl. fieri posse, cum sint ambitiosæ; *dein* vult hodie donationes etiam *sine causâ* factas in Rempubl. habere effectum. (9)

14. Hæc ita pro ipsius arbitratu; quod ad donationes honoris causa factas attinet, habet speciosam rationem; *Recesserunt*, inquit, *ab usu tanquam in fraudem Legis Iuliæ ambitus excogitatæ, & improbantur, ne pecunia venundetur, quod virtutis præmium esse debet.* Utinam lex Julia de ambitu moribus hodiernis non violaretur, clam, palam, gravius, quam per innocuas donationes ipsi Reipublicæ, cujus est proprium jus conferendi honores, aperto velo factas.

15. Ego hactenus hoc genus donationum ab usu recessisse fateor, quatenus non ipsa Respublica, sed *privati*, quibus Respublica distributionem munerum publi-

(9) Duas Auctor species recte distinguit: *unam* de donatione ob honorem §. 14-17. *alteram* de donatione sine caussa, §. 17. *seqq.* Ab usu *priorem* ait Groenewegius recessisse, *posteriorem* vero moribus esse receptam. Neutrum Hubero videtur. Nos distincte rem omnem exponemus, tum *Romano*, tum *Nostro* convenienter *Iuri.* Per Donationem Auctor eam intelligit, quae, quod acceptatione careat, proprio nomine *Pollicitatio* adpellatur, solius nempe offerentis promissum, *d. t. D.* Quae Deo facta *Votum*, in caussis piis; sed facta civitati in usus publicos, *Promissio* adpellatur; data ex utrisque in foro *actione*, ad praestandum quod ita promissum est; negatoque omni Iuris remedio in quibuscunque pollicitationibus aliis. Evidens ratio ab utilitate publica repetitur. An vero in *ambitus* crimen haec Pollicitatio incidat, quaeri video? mihi non videtur. Certe ob *honorem* quidem fieri dicitur, speratum, vel iam acceptum; at vero nulla cogente necessitate. Neque enim ob pollicitationem honor defertur, nullaque adeo munerum fit nundinatio. Denique publicae tantum utilitati, non lucro privatorum tota cedit. Quid? quod ex caussa *suffragii* promissum est, aeque valide peti possit, minus tamen sancte ut puto, *l. un. C. de Suffragio.* Ceterum in turpem haec abusum facile abire posse, dubitandum non est; proptereaque nunc merito cessasse ex Loisello scripsit Groenewegius, ad *t. D. de Pollic.* De Ambitu antiquo & hodierno non inerudita extat Diatribe *Mentcti Kettwigii.* Conf. sup. Auctoris querela, in *Orat. VII. p.* 151. *seqq.*

publicorum commisit *nundinationes* eorum impudenter exercent; vel Reges & Principes singulis honoribus pretia ponunt, nihilo secus ac aliis rebus, in promiscuo positis commercio.

16. Quod si illa pestis in hanc speciem corruptionis mutari ac ita tolli posset, ut iis tantum, qui honores ambiunt Reipubl. *donativa* fas esset offerre, sine prævia pactione, næ Rempubl. ego τῆς ἐυτιμίας ἐμακάριζον ἄν, & beatam prædicarem! Tantum abest, ut heic ullam Juris Romani abolitionem agnoscam. (10)

17. *Alterum* plus dubii habere videtur. Quid enim vetat, dicat aliquis, exercere liberalitatem erga Rempubl. perinde ac in privatos; & quis dubitet eam laudare judex? Sed ratio certa & clara est, *pollicitationem*, quæ acceptata non est, obligationem parere non posse; cum nemo sit, qui juris quicquam in se translatum exinde contendere possit; idque cum sit *Juris Gentium*, non potest non hodieque valere. Atqui nihil à veteribus aliud adfirmatum est, quam pollicitantes ex ejusmodi promissionibus nòn posse conveniri, *d. l.* 19. *h. t.* & *l.* 3. *ff. de pollicit.*

18. Cæterum, quod vinculum promissionis efficere non potest, id *æquitas*, & rei ipsius momentum impetravit; sicut in quasi contractibus sine conventione res ipsa parit obligationem; ita qui pollicitationem emisit ex *justa causa*, tenetur, ex eaque conveniri potest, atque etiam pro causa habetur, si quis jam facere cœperit id quod pollicitus erat, *l.* 1. §. 1. & *seqq. de pollicit.*

19. Nihil igitur causæ est, cur hac parte mores nostri à Jure Civili discrepent, præter quod tacentibus *Statutorum* libris regula communis obtinet. Enim vero id omni dubio caret, si donatio tra-

(10) Quando quidem non nisi in Republica Ideali, *Platonis* ac *Mori*, soli ad honores prae aliis idonei evehi; & vel gratiae, vel generi, vel pluto servire ubivis gentium honores solent; praestabit sane, ut *aerario publico*, quam privatae vel ambitioni, vel avaritiae, leges consulant; minuendorum quoque *tributorum* caussa, privatos fere & mediocris fortunae homines nusquam non opprimentium. Sique hic servetur *modus*, sordiumque macula infames legitimas *poenas* subeant, non video, quid multum reipublicae nocere tale institutum possit. Denique sive ex annuo quid detrahatur, sive pro munere certum quid statumque pensitetur, sive repraesentetur ab initio, parum hercle aut nihil interest. Vitia erunt, donec homines; & nulla absque naevis Respublica.

traditione perfecta sit, eam nullo modo posse revocari; textus enim *d. l.* 19. de promissione *vel* pollicitatione loquitur.

20. Sed illud *vel* estne disjunctivum, an exegeticum? arbitror posterius; (11) nam & in titulo *de pollicitationibus* passim, promissio & pollicitatio promiscue usurpantur; alioqui promissio supponit acceptationem & conventionem; sed quia leges è pollicitatione tantum negant actionem, non etiam ex promissione *acceptata*; dicendum est, donationes mutuo consensu perfectas etiam respectu Reipubl. valere; *acceptatas*, inquam, ab his qui Rempubl. repræsentant; nam universitates etiam contrahere, imo delinquere posse, dictum & doctum est alibi, ex *l.* 9. §. 3. *ff. quod met. caus. arg l.* 15. §. 2. *Quod vi aut clam.*

21. Plura habent Autumnus, & Groenewegius ad *hunc tit.* quæ *moribus hodiernis* à positionibus Juris Romani discrepare volunt; sed ex ungue leonem. De reliquis idem esto judicium, quod de superioribus approbatum est.

22. Unum superest è *Statutis* nostris, quod minores annis 25. donare prohibentur immobilia, vel ejusmodi bona donationis titulo gravare, ad augendos Curatores suos, Custodes, vel Administratores, eorumve liberos, vel concubinas, *lib.* 1. *t.* 7. *art. ult.* sed ne hic quidem articulus abit à Jure Cæsareo. (12)

23. Nam minores annis 25. nihil prorsus alienare possunt *l.* 3. *C. de restit. min.* immobilia vero nequidem, si *veniam ætatis* impetraverint

(11) Quae de particula *vel* Auctor notat, a ratione Iuris Civilis in hac quidem materia videntur aliena; siquidem *Reipublicae* intuitu promiscue vocabula *promissionis & pollicitationis* ponuntur, in caussis aliis non item, *sup. not.* (9) Deinde nec Groenewegius alias hic donationes, sive promissiones, quam *acceptatas* intelligit; adeoque & sine alia ulla caussa, sed ex mera liberalitate factas; itidem atque inter privatos. *Romae* vero favor reipublicae efficiebat, ut semper acceptare Civitas ex iusta caussa videretur, vel ex opere sponte inchoato; si modo factam serio pollicitationem fuisse, evinci rite posset: quo iure *hodie* non utimur, quum a ratione abeat naturali, quidquam adquiri a non acceptante posse. Vid. Grotius *d. lib. II. cap. XI.* §. 14.

(12) Quas Auctor ex anterioribus editionibus *Concubinas* vocat, scil. *Sacerdotum*, (ut qui soli olim literarum periti negotiis omnibus, tutelis quoque & curationibus, non inviti intererant. Unde tritum illud: *Quidquid agit mundus, monachus vult esse secundus.* Utinam vero nec nobis saepe Clerici obessent πολυπραγμονες!) hodie uxores Curatorum sunt. Vid. *Iurisp. Hod. lib. II. cap. XXVII.* §. 24. *seqq.* & Ampl. Hamerster ad *Statuta d. l.* Novum infra exemplum, *cap. seq.* §. 2.

verint, nec alienare nec obligare, inquam, hypothecæ *l.* 3. *C. de his qui ven. æt.*

24. Unde liquet, hanc prohibitionem, quod ad donationes *inter vivos* attinet, nihil inferre novi ſuper interpretationem Juris Civilis. Uſus ejus major eſt, in *ultimis voluntatibus*, de quibus nunc *agendi* tempus & ordo eſt.

C A P U T X.

De Teſtamentis Ordinandis. (*a*)

1. SEquebatur *Legatum*, ut tertius acquirendi dominii modus ſpecialis, ſed quia hoc relinquitur in Teſtamentis; nec intelligi poteſt, ita ut debet, niſi præmiſſâ Teſtamenti explicatione; ideo id occupabimus, ut etiam fecit Juſtinianus, cujus veſtigia porro legemus.

2. Quod ad ordinationem Teſtamenti attinet, agnita fuit ab anno 1542. *conſuetudo*, qua Teſtamentum manu Paſtoris loci, duorumque teſtium, ad id rogatorum, confirmatum valere ſtatuebatur, *lib.* 1. *Stat. tit.* 16. *art.* 1. (*b*).

3. Sed quia mos Juris Civilis exinde magis invaluerat, compilatores *Statutorum*, anno hujus ſeculi ſecundo dubitaverunt, an illa conſuetudo ita recepta eſſet, ut vim legis tueri poſſet, ideoque tutius viſum eſt Ordinibus, edicere, ut in ordinandis teſtamentis *Jus Scriptum* Friſii ſequerentur *d. tit.* 16. *art.* 2.

4. Unâ re exceptâ, ne *ſignacula* requirantur, ſolâ ſubſcriptione teſtatoris & teſtium ſufficiente,

(*a*) Vid. *Iurispr. Hod. lib. II. cap.* 12. *ſeqq.*

(*b*) *Conſuetudo*, ex Iure profecta Canonico, integro amplius ſaeculo ante Ius Romanum in foris recepto, *cap.* 10. *&* 11. *X. de Teſtam.* Praeluſerant huic minori numero Impp. Graeci poſt Iuſtinianum, Baſilius & Leo. Vid. *Nov. Leonis XLI. & ſeq.* Arcanum politicum ditandi cleri ex faciliore teſtamentorum confeſſione recte repetit Thomaſius *ad Lancell. lib. II. tit. XXIV. §. 5. p.* 1095. & ante eum Connanus *lib. IX. Comm. Jur. Civ. cap. II. §.* 4. Conf. Vir. Cl. Ev. Otto *ad Boekelm. Diſſ. cap. XXXIII. §.* 4. *p.* 167. *ſeqq.* & in primis illuſtris Böhmerus in *Vſu Mod. Decr. lib. III. tit. XXVI. §.* 4. *ſeqq.*

(*c*) Secus atque in *Imperio*, ex Max. I. Ordin. Notar. anni 1512. contra quam viſum Pragmaticis Belgarum, ipſique Voetio, *ad tit. Inſt. de Teſtam. ord. §.* 4. *num.* 4. *p.* 621. Adi ſis Hoppium, aliosque *ad d. §.* 4. *Inſt.*

te, *d. art.* 2. quam exceptionem res ipsa flagitavit; quia *Sigillorum* usus in nostrâ plebe rarius, ideoque testamenti factio per hoc requisitum nimis impedita fuisset.

5. Eadem usus frequentia fecit apud nos, ut notæ, vel symbola, quibus imperiti literarum suum consensum exprimere solent, pro subscriptionibus habeantur, modo addita *Tabellionis* manu significetur, cujus id signum sit, aut è testibus id constet; & hoc scripturæ imitamentum, æque in testibus ac in testatoribus toleratur, jamque pridem innumeris rebus judicatis approbatum est. Nec dubium, quin hic sit recessus à Jure Civili, *l.* 21. *C. de Testam.* (*d*)

6. Non valent igitur Testamenta, quæ coram Notario duobusque vel tribus testibus fiunt, ut alibi Europæ passim receptum est; tametsi Groenewegius ad *pr. h. t. Inst.* inter auctores, qui tradunt testamenta eo modo condita valere moribus hodiernis, *Statuta* quoque nostra laudet, *d. tit.* 16. pari fœlicitate, qua Sandium modo vidimus adductum *tit. præced.*

7. Rectius dixisset, Testamenta in iis locis, ubi viget ista consuetudo, etiam à Frisiis hominibus condita vim & effectum habere in *Frisiâ*, non modo respectu mobilium, sed etiam immobilium rerum, in hac Provinciâ sitarum; ut Sandius docet, & rationibus luculenter adstruit *lib.* 4. *tit.* 1. *def.* 14.

8. Hoc ita, si Frisius homo testatus sit apud exteros more loci, in quo moratur eo tempore; Quid autem, si Frisius ad exteros proficiscatur, ibique testetur more patrio? Distinguitur, utrum mos Frisicus in eo loco sit prohibitus, an diversus mos simpliciter receptus sit; veluti in *Hollandia* sic juris est, ut Testamenta coram Notario duobusque testibus celebrentur; sed ratio testandi quæ Jure Romano præscribitur & à nostris probatur, ibi non prohibetur, *Grot. l.* 2. *Introduct. part.* 17.

9. Si vero Frisius more nostrate testetur in ejusmodi loco, ubi sic non licet testari; verum ubi alia forma præcise observanda est: Ibi testamentum ejus, more Frisico vel Cæsareo factum, inde ab initio

(*d*) *Traiecti* vero peritia literarum in testibus requiritur, adeo ut, altero duorum forte literas nesciente, opus sit tertio, qui scribere valeat. Vid. P. Voet *ad Inst. d. l. p.* 620. *fin.*

initio vitiosum est, nec in ipsa Frisiâ valere potest, ne quidem respectu bonorum illic sitorum. Rodenburg *tract. de jur. quod or. è stat. diverf. cap.* 3. *tit.* 2.

10. Ratio est, quiâ Statutum vel Consuetudo præscribens solemnitates Testamenti, non adficit res Testatoris, neque ejus personam, sed ipsam *dispositionem*, quæ fit in loco Statuti, vel consuetudinis, verba sunt Sandii *d. def.* 14. & quicunque reperiuntur in jurisdictione *Statuentis*, legibus & institutis ejusdem parere coguntur, si acta sua civilem effectum habere cupiant, *arg l.ult. ff. de jurisd.*

11. Atque inde ita juris est, ut in cujusvis actus solemnitate inspiciatur *consuetudo loci*, ubi is, inquam, actus celebratur, etsi qui celebrat actum, ibi larem fixum non habeat, ait iterum Sandius *d. loco.*

12. Quando quis igitur condit Testamentum coram septem testibus, in provincia, ubi non aliter liceat testari, quam apud *Acta Judicii* certa formâ, clarum & certum est, eam dispositionem contra leges factam, esse ipso jure nullam, *l.* 5. *C. de L. L.* (*e*)

13. Jam quod semel ab initio est invalidum, id ex post facto convalescere non potest, ideo effectum habere nequit in iis locis, ubi testamenta coram septem testibus recte fiunt fierique debent: Nam Statutum *alterius Provinciæ*, in quâ Testator fuit, cum ita disponeret, inde *ab initio affecit ipsam dispositionem*, nec potuit aliter afficere, quam leges prohibentes aut præcipientes ubique faciunt, ut id quod contra leges geritur vitiosum sit atque nullum, *d. l.* 1. Sandius in *d. def.* 14. agit quidem de casu, quo Frisius testatur secundum leges loci in quo agit; sed rationes, quibus utitur, æque in alteram speciem conveniunt.

14. Disputatur his diebus de testamento Frisii hominis, facto in *Transisulaniâ*, secundum leges & ritus Frisicos, seu juris scripti; de quo ante decisionem Amplissimi Senatus religio est dicere quicquam; nec disceptatio Juris in thesi, præjudicium facere potest causis, quæ in facti circumstantiis versantur.

15. Porrò Statutum nostrum, una exceptione illa de *signaculis*, evidenter firmat omnes reliquas Justiniani positiones, quas ad Institutiones & ad Pandectas vidimus.

(*e*) Vid. Io. Voet in *Comm. ad t. D. Qui testam. fac.* §. 27. & §. *ult.*

mus. Hinc de quaesito, utrum *mulier* posset esse testis in Codicillo, non audiam Groenewegium adfirmantem ad §. 6. *h. t.* Jure Civili mulieres, in Codicillis testes adhiberi posse, moribus autem secus. Ego id apud Juris scripti interpretes scio controversum esse; ideoque, prout judices nostri de sententia juris Romani persuasi fuerint, ita Codicillum, in quo mulieres sunt testes, probaturos vel improbaturos esse crediderim; denique, posse feminas in Codicillis ut Testes admitti, liquidâ ratione probavimus ad *tit. Inst. de Codicill. posit.* 4. & 5. *ibique in praelect.* (*f*)

16. Idem ferè de *legatariis* & *fideicommissariis* esto judicium, quos Jure Civili ad testimonium in testamento perhibendum admitti, nota res est, §. 11. *Inst. d. leg.* à moribus hodiernis id alienum esse putat Groenewegius ad *d.* §. 11. *n.* 7.

17. Forte ratione earum gentium, quae testamenta eodem modo celebrare solent, quo contractus aliaque inter vivos acta, non male; Nobis à Caesare discedendi hac parte nulla caussa videtur, nec adeo in caeteris testamenti partibus.

18. In aliis gentibus soli *Tabelliones* sive *Notarii* testamenta, sicut alia instrumenta, scribendi habent facultatem; apud nos, à qua persona scriptum sit testamentum, non attenditur, modo septem testes uno contextu sint adhibiti; quin ipse quilibet paterfamilias voluntatem suam seorsim scribere, testibusque offerre potest subscribendam. (*g*)

19. Nec id à Jure Civili discrepat, quo nusquam requiritur, quod sciam, ut testamentum à persona publicâ scribatur; vocatur quidem Instrumentum publicum, *l* 2. *pr. ff. testam. quemad. aper.* sed hoc ideo, quia publice omnibus quorum interest, copia describendi & inspiciendi danda est,

(*f*) Contrarium satis abundeque ostensum a Reinoldo in *Var. cap.* 8. Vid. Papiani *Resp. XLIV. l. ult. C. de fideic. l.* 1. *C. Th. de testam. & cod. ibiq. Jac. Gothofr.* & Scholiastes Harmenop. *lib. I. tit. VI.* §. 53. & *lib. V. tit. I.* §. 33.

(*g*) Hinc vero larga litium seges, verbis non e *Iure*, sed ex *trivio* petitis, ambiguaeque saepenumero significationis; ut adeo praestaret periti opera Notarii uti; immo publicae potius testamentorum formulae essent praescribendae, ut spatia tantum *nominibus*, *numeris*, idque genus aliis, pro arbitrio testatorum, vacua relinquerentur. Sed forte pia magis quam sperata haec desideria videbuntur.

est, non ratione compositionis & formæ. (*b*)

20. Tabelliones, qui plerumque tamen & apud nos adhibentur, in more positum habent, ut si qua legata à testatore relinquantur, ea primo loco referant, heredis institutio sequatur; qui mos etsi innoxius, tamen est contra naturam negotii, cum heredis institutio sit basis & fundamentum Testamenti; adeo quidem ut olim nihil ante heredis institutionem positum valeret, §. 34. *Inst. d. Legat.* quod utcunque tam rigide jam non servetur, vult tamen ratio Juris, ut basis ante reliquam structuram collocetur.

21. Est & hic mos perpetuus, ut cum testamenta per scripturam composita sunt, testibus *exordium* & *conclusio* prælegatur, reliquis testamenti capitibus silentio pressis, quod minimè est insolens, cum hæc ipsa sit testamenti scripti proprietas, quod ideo *Mysticum* vocatur, nec adeo necesse fuerit unum verbum prælegere; sed ut mos erat veterum, Testator tabulas testamenti clausas manu tenens ita fari potest, *His ego tabulis meam voluntatem ultimam inscripsi, cujus rei vos testes esse volo, rogo. l.* 21. *C. d. testam.* (*i*)

22. Sed nostri Tabelliones, quasi testes nescio quid occulti aut nefarii

(*b*) Scriptor testamenti, *Testamentarius*, olim vel ICtus, vel quicunque alius, *l.* 88. §. 17. *D. de leg.* 2. *l.* 15. §. *ult. l.* 22. §. 10. *D. de L. Corn. de fals.* Pro reo etiam falsi ex L. Corn. *Testamentarius* accipitur. Cicer. *lib. III. Offic. cap.* 18. Medio aevo uti *testamentum* pro quolibet tum testimonio, tum *instrumento*, in primis *publico*, apud du Fresne in *Gloss. Lat. h. v.* ita quoque & Testamentarius tam pro *Notario*, quam testamenti executore, & piarum donationum dispositore, ac veluti procuratore, sumebatur. Vid. du Fresne *d. l.* & Cl. Heineccius in *Antiq. Germ. tom. I. p.* 484. & 404.

(*i*) Origo *Mystici* testamenti inde arcessenda, quod testator vitandarum insidiarum caussa per aes & libram alii manciparet hereditatem, alii ceris clausis relinqueret; secus atque primis post XII. temporibus, auctore Theophilo, *ad* §. 1. *Inst. de Testam. ord. innc.* §. 3. *de Pup. subst. eod.* Hinc & postea perpetuus fere mos invaluit, ut scriptum testibus signandum testator offerret, non praelectum. Haec illa *μυστικὴ διαθήκη*, & *διατύπωσις*, apud Harmenopulum *lib. V. tit. I.* §. 34. *seqq.* ex Leonis *Nov. LXIX.* Vid. D. Gothofredus in *Nomencl. Graec. Iur. dict. ad calc. edit. Harm. h. t.* Neque alio sensu passim Veteres *Secreta* voluntatis, *Secreta* iudicia, &c. adpellitarunt, *l.* 1. §. 38. *Depos. l.* 41. *D. ad L. Aquil.* & *l.* 70. *D. de Her. inst.* Hinc & actio iniuriarum adversus eos, qui dolo malo arcana testamentorum evulgassent, *d. l.* 1. §. 38. & *d. l.* 41. Immo & alio deficiente remedio agi de dolo poterat, *l.* 35. *D de Dol. mal.* vel etiam falsi accusatio institui, si testator superesset, *l.* 1. §. 5. *D. de L. Corn. de fals.* Quare & maximam subiit infamiam Augustus, recitato pro concione vivi Antonii testamento, Plutarcho, Dione, & Suetonio auctoribus, Vid. Casaubonus *ad Suet. Aug. cap.* 17. Add. inf. §. 51. *hui. cap.*

farii subesse vererentur, solent adjicere stipulationem, ut testator *caveat* testibus, de eo, quod ignorantes argumentum testamenti, tamen ei subscribant; & hoc Testatores sæpe ita satagunt, ut hypothecam suorum quoque bonorum adjiciant, seque ea gratia Curiæ Supremæ subjiciant.

23. His nugis nihil ineptius neque indignius est hominibus Juri Civili adsuetis; nec enim modo superflua sed & contraria sunt naturæ testamenti. *Superflua*, quia testes non subscribunt in approbationem eorum, quæ testamento disposita sunt, verum in id quod testatorem *audivere* dicentem & declarantem, iis tabulis contineri suam voluntatem, *d. l.* 21.

24. *Contraria*, quatenus nihil inimicius unitati contextus, quæ testamento essentialis est, in Jure habetur, quam si actus extraneus ei inseratur, *l.* 21. §. 1. *ff. Qui testam. fac. poss.* & pro exemplo rei extraneæ evidentissimo habetur *contractus*, *arg. l.* 20. *d. V. S.* quem illa cautio infercit Testamento, & quidem, si accedat hypotheca, duplicatum. (*k*)

25. Addere solent *clausulam codicillarem*, eamque amplificatam hoc modo; si testamentum non valeat modo solenni, ut subsistat non modò jure Codicilli, sed etiam ut Testamentum nuncupativum, vel donatio mortis caussa; quæ extensio in Jure nusquam legitur, nisi tu sub his generalibus verbis eam intelligas, *aut alio omni meliori modo*, quæ sunt in *l.* 29. §. 1. *Qui test. fac. poss.* (*l*)

26. Sed

(*k*) Haec & huius capitis alia pleraque repetit Auctor in *Praelect. ad tit. D. Qui testam. fac.* §. 6--12. *&* *seqq.*

(*l*) Pluribus haec omnia persequutus est Auctor in *Praelect. Instit. de Codic.* §. 4. *&* 5. nihilque etiam dubii, quin uti praeteritio filiifam. ita & postumi, in vim fideicommissi inflectatur, secus ac vulgo Dd. & Gailius *lib. I. Obs. Pract. cap.* 114. An vero & si ignoraverit testator, uxorem praegnantem esse? Non putem, quod argumento militaris testamenti, & auctoritate Papiniani, in *l.* 11. *D. de Jure Codicill.* item Marcelli, in *l. pen. D. eod.* ostendit Illustris Cocceius in *Iure Controv. ad eund. tit. qu.* 7. Ceterum quasi ab intestato valebit tale testamentum, intuitu legatorum a fratre postumi in codicillis relictorum, *dd. ll.* Vno verbo: quia Codicilli fieri possunt ab intestato, idcirco si memorata clausula adiecta testamento fuerit, & requisita adsint Codicillorum, iure omnia pro fideicommissis & legatis valebunt, velut relicta ab intestato. An vero & *omissa* a testatore isthaec formula *tacite* semper adesse videatur, ex praesumta ipsius voluntate, ut exitum omnia quae iussit habeant potius quam perdant, ego adfirmare non ausim, *arg. l.* 41. §. 3. *D. de V. & P. S.* Atque hanc ipsam sententiam, contra communem Pragmaticorum Scholam, ab Hubero quo-

que

26. Sed additio *Nuncupativi* non potest usum habere, nisi quando testamentum à capite ad calcem testibus est *prælectum;* vel quando ipse prius viva voce coram iisdem testibus, quid suæ voluntatis esset, enuntiavit: Alioquin implicat contradictionem, ut vim nuncupativi testamenti habeat, quod nullo modo nuncupatum est.

27. Etenim eâ gratiâ *Nuncupatio* instituitur, ut cum vis rapida morbi scribendi moram non admittit, convocatis subito hominibus Testator iis coram voluntatem suam declaret, omniaque dispositionis secreta verbis palam expandat, §. *ult. Inst. h. t. ibiq. Vigl.*

28. Proinde, si Testamentum *clausula Nuncupativi* sit adjuvandum, non potest id aliter obtinere, quam concurrentibus hisce terminis habilibus; scil. nuncupatione per Testatorem, vel prælectione totius Testamenti per actuarium facta; si Testator antequam omnia in scriptum sint redacta, testesque, vel ipse subscripserint, spiritum exhalet, tum is casus extitit, quo clausula nuncupativi vim vigoremque obtineat.

29. *Pragmatici* tamen & tunc eam habere virtutem volunt, quando Notarius nuncupatam Testatoris voluntatem *solus* excipit, eamque redigit in scripturam, vel quando testator tabulas clausas offert Notario, coramque ipso & testibus declarat, eam quæ charta clausa continetur esse suam voluntatem, quam declarationem Notarius dorso Testamenti inscribit; ita P. Voetius ad *d* §. *ult. Cap. de Moribus.* multa Practicorum auctoritate munitus; quos inter Viglius noster ad *d.§.fin.*

30. At hic quidem nihil aliud docet, quam quod nos antea posuimus; Agit de eo, quod testibus omnino prælectum est; nec aliter Schneidewinus, ab eodem Voetio laudatus, quam de nostro genere testandi, per scripturam nuncupationemque simul, loquitur; credo & reliquos auctores ita existimare, quos non fuit otium inspicere. Nam illa Nuncupativi usurpatio nimis à ratione abhorret. (*m*)

31. Ad

que nostro laudatam, *d.* §. 5. *Prael. ad tit. Inst. de Codic.* egregie est tuitus ὁ πάνυ Strykius, in *Diss. de Clausf. Codic. vol. I. Diss. XVIII.* §. 60. *seqq.* tum in Opere *de Caut. Testam. cap. XXIII.* §. 35. & in *Usu Mod. Pand. ad tit. de Iure Codic.* §. 9. *seqq.*
(*m*) Quod & visum Strykio in *cit. Diss.* §. 13.

31. Ad usum rei detegendum recenseamus aliquot casus: *Primus* sit, Quando Testator verbis enuntiavit totam voluntatem suam, etsi deinde redigatur in scriptum, non tam opus est hac clausulâ, quam universum testamentum est nuncupativum. Ideoque licet Testator ante finitam scripturam moriatur, testamenti vis eâ re nihil infringitur.

32. *Alter casus:* Testator scriptum testamentum facere voluit, attamen id totum prælegi jussit, tum si moriatur ante subscriptionem, clausula Nuncupativi faciet, ut voluntas sustineatur.

33. *Tertius casus:* Testamentum est scriptum neque prælectum testibus; sed testator dixit, sibi id esse prælectum, eamque suam esse voluntatem; expiravit autem priusquam subscriberet. ipse vel testes, numquid *clausula Nuncupativi* effectum habebit? Dicet aliquis, habere debere; quid enim interest, enuntiaverit quod volebat, an dixerit se velle, quod in tabulis suo jussu conscriptis positum est? (*n*)

34. Non valere tamen Curia censuit in caussa Egberti à Someren contra Æmilium Jensma *die* 27. *Octobr.* 1664. Sixtus Terwischa testamentum scribi jusserat, etiam dixerat, *sibi id esse prælectum*, suam esse voluntatem quicquid in eo scriptum erat, ipse in hoc erat ut subscriberet, & ferme absolverat, utcunque tremulâ manu; defecit subito coram testibus: hi dein subscripserunt, addito, quomodo res gesta esset; judicatus est *intestatus* decessisse Terwischanus, & quidem φιλονομικῶς.

35. Sunt enim *distinctæ* species Scriptum & Nuncupativum testamentum, nec adeo confundi jura convenit, ut is qui scriptum facere voluit, absque nuncupatione nuncupativum fecisse dicatur. (*)

36. Accedit, quod is qui non absolvit, cœpisse magis testari, quam testatus esse videtur, & adhuc *pænitere* potuit; quod in hoc testatore non abhorrebat à suspicione veri, qui antea sæpe sollicitatus ad testandum constanter dixerat,

(*n*) Recte auctor alterutrum requirit, praelectionem, vel declarationem, rite coram testibus factam, ut Nuncupativum testamentum habeatur. Ceterum sufficit mentio *Codicillorum*, omissis ceteris Notariorum clausulis. Strykius *d. l.*

(*) Nuncupatum tamen coram *quinque* vel *sex testibus* valet instar Codicilli, quod ad legata & fideicommissa, non vero quod ad *institutionem*, si clausula deficiat. Vid. Huberus Filius *tom. II. Obs. For. cap.* 18. & *sup.* ad *not.* (*l*)

dixerat, non placere; *vid. l. 25. ff. qui test. fac. poss.*

37. Faciendum igitur Notariis, ut quando periculum in morâ scribendi esse vident, contractis raptim hominibus, testatori suadeant, ut nuncupet voluntatem, quâ re *Parentem meum p. m.* narrare memini, se januam praxeos sibi aperuisse, cum novus in foro id in simili casu instituisset, stupente vulgo, homine mortuo testamentum scribi posse; nam id memoriæ caussa digressis testibus factum erat, & expedit. tum *scriptura* est instrumentum probationis, non forma testamenti. (*o*)

38. Quod attinet ad ampliationem *Clausulæ per donationem mortis caussa*, hæc non modo supervacua, quatenus Codicilli mentio sufficeret, sed & adversa naturæ testamenti videtur; Nam magis est, ut donatio mortis caussa in Testamento consistere nequeat, quia fit per duorum consensum, *l. 38. ff. d. donat. m. c.* talia verò à testamentis abesse debent, ne subtilissima unitas contextus offendatur, ut diximus *ad tit. Inst. de Test. ordin. n. 18. ibique Prælect.*

39. Non potest, inquam, *donatio* perpetrari in ipso actu testandi; ita ut declaratio donantis & acceptatio donatarii conjungantur, sed quominus Testator declaret se donasse Titio centum, nihil vetat, nec etiam vero, se jam donare; sed tum aut à *legato* nihil distaret, aut acceptationem deinceps accedere oporteret. *Vid. ad d. tit. Inst. posit. 19.* (*p*)

40. *Quæsitu* dignum est, an per donationem plene perpetratam, adeoque per quemlibet contractum, testamenta penitus vitientur? De Jure non videbatur ambigendum, quin extraneus actus, cujusmodi & contractus habetur, unitatem contextus violet, perniciemque testamento adferat, *l. 28. in pr. C. d. Testam.*

41. *Textu* tamen *illo* aliisque consideratis, non video quid cogat, ut id de contractu intelligamus, modo nihil clam testibus & seorsim celebretur, id enim vetat, *d. l. 28.* Utique ita dixerim, si contractus obiter fiat, & à ma-

(*o*) Parenti suo *Zachariae Hubero*, Dongriae Occidentalis Secretario, suas auctor Digressiones nuncupabat anno 1670. Familiam & illustres maiorum ex Helvetiis Frisiisque imagines in Laudat. Fun. retulit Vitringa Pater.

(*p*) Quin tamen donatio confirmari Codicillis possit, haud ambigitur, vitii inter vivos forte commissi purgandi caussa, uti recte Lyserus in *Meditt. ad Pand. Spec. CCCLXXVIII. p. 861. seqq. tom. V. & VI.*

à materiâ testamenti non sit alienus, cujusmodi est illa *stipulatio* de indemnitate, quamlibet inepta, qua testes sibi cavent de occulto testamenti argumento, idemque de *donatione mortis caussa* existimem; non puto, nos fore tam valide Theoreticos, ut ob ejusmodi conventiones testamentum vitiari statuamus.

42. Si vero *contractus* à Testamento planè sit alienus, non video quid nos absolvat ab observatione Juris Civilis, quod per extraneum actum unitatem contextus violari dictat, & *Statutum* suffragatur huic rigori, omnia Juris Civilis requisita per unicam exceptionem præcise adfirmans & inculcans. (*q*)

43. Noli tamen exinde colligere, si dum Notarius describit id quod Testator dictavit, aut dum testes inter se colloquuntur, haustuloque vini recreantur, *interim* ipsi inter se, vel Testator cum aliquo ex illis nescio quid contrahant, eo statim vitiari testamentum; etsi contractus ille nihil commune cum materia formave testamenti habeat.

44. Non ea mens est hujus requisiti; sed contractus abesse debet eo temporis articulo, quo Testator conscriptis perfectisque Tabulis declarat compellatis testibus, in iis suam contineri voluntatem, eosque ut attestari velint rogat, simulque tum ipse testesque subscribunt. Hoc est illud momentum, quo *unitas contextus* religiose conservanda est, ut docuimus *ad tit. Inst. de Testam. ordin. n.* 23. *& sequ. ibique in Prælect.*

45. Proinde, quæ prius & quæ postea fiunt, innoxia habenda sunt. In illo autem momento hoc unum agendum, & *nihil extraneum*; ne falsis occasio detur fabricandis, quæ olim circa testamenta frequentissime excogitabantur; adeò ut lex Cornelia de Falsis per excellentiam *Testamentaria* dicta fuerit, §. 7. *de Publ. jud.* (*r*)

46. Non est igitur faciendum ut scita Juris Civilis utcunque subtilia, putemus absurda, licet earum ratio nobis sit obscurior: credendum Veteres, experientia subtilis-

(*q*) In *d. tit. XVI. art.* 1. ubi sola testium obsignatio remittitur. Vid. *sup.* ad §. 4. *not.* (*c*)

(*r*) Quemadmodum ab alio capite *Nummaria*. Vid. *l.* 2. §. 32. *D. de O. I.* Cicero in *Verr. I. cap.* 42. Suetonius in *Aug. cap.* 33. & Coll. LL. Mos. & Rom. *tit. VIII.* §. 7. Conf. ss Interpp. ad *Paul. lib. I. Sent. tit. XXV.*

tilissimarum falsitatum, in his etiam institutis excogitandis acutiores esse debuisse. Absit igitur, ut cum D. P. Voetio *ad* §. 10. *Inst. audacter adseramus*, ita ille, *posse heredem quandoque esse testem in testamento moribus hodiernis; idque ideo, quod testamentum non necessariò testibus prælegatur, verum clausum iis exhibeatur.* Nam id æque Jure Civili notum & cautum est *l.* 21. *C. de Testam.* ut aliquoties dictum, nec ulla ratio hac parte suadet, à Jure scripto ut recedamus. (*s*)

47. Indigna est, inquam, vox Icto, *abrogandum censeo*, & similia; sed quæ revera, ipsoque facto abrogata sunt, hæc observemus. Tale est, sine dubio, præceptum Juris, quod est in *l. pen. ff. qui testam. fac.* ubi traditur; singulos testes propriis chirographis, sive subscriptionibus nominum suorum, addere debere, *cujus* testamentum signent. Certum enim & clarum est, id nunquam fieri, nec idcirco testamenti valorem in dubium vocari. (*t*)

48. Est etiam hoc manifestò receptum, ut *duo cives* in iisdem tabulis singuli proprium testamentum condere possint, adeoque duplex sit revera testamentum in eadem chartâ, quod in foro Romano fuisse inauditum, Jurisque rationi adversum esse, probavimus in Præl. ad *d. tit. Inst. n.* 9. *pag.* 251. idemque Viglius & Vinnius *ad* §. *pen. Inst. d. t.*

49. Agnoscit quidem Cæsar *quodammodo* duplex testamentum in eo, quod habet substitutionem pupillarem, ut alterum patris, alterum filii intelligatur, §. 2. *Inst. d. pupill. substit.* sed ejus longe dispar est ratio, cum unus ibi sit Testator nec filius interveniat: est tamen duplex aliquando contextus in ea specie, ut apparet ex *l.* 16. §. 1. *ff. d. vulg. & pupill. substit.* sed quia specialis illa est exceptio, & unica toto jure, fortius inde colligitur exclusio reliquorum, Vid. *Vigl. d. loc. num.* 3.

50. Quin imo duplicitas illa pupillaris revera unum facit & præstat Testamentum, quia pupillare Testamentum pars & sequela paterni est, §. 5. *d. t. Inst. d. pup. subst.* Proinde si paternum sit vitiosum, fieri nec potest, ut pu-

(*s*) Plerique etiam Dd. cum Auctore faciunt, & merito. Vid. Groenewegen ad *eund.* §. 10. *Inst.* & Ioannes Voet, Pauli F. ad *tit. D. Qui testam. fac.* §. 9.

(*t*) Et frequenti Doctorum suffragatione probat Groenewegen *ad* §. 4. *Inst. eod.* utroque Voetio hic silentibus.

pupillare subsistat, *d.* §. 5. *in fin.*

51. At cum duo Testatores, sibi invicem vinculo patriæ potestatis non conjuncti, in eadem charta testantur, tam ratione formæ, quam inspecto eventu, duo revera & ipso actu Testamenta sunt, ut ex his effectis validius pateat, illam conduplicationem Juri Cæsaris esse contrariam.

51. *Primo*, ait Viglius ad *d.* §. *pen. num.* 3. absurdum est, tabulas altero testatorum adhuc superstite publicari: cum testamentum nisi post mortem effectum habere non possit, & incivile sit, de vivente palam fieri, quid post ejus fata sit futurum. Quo nomine malè audivit olim *Augustus*, quod Antonii quamlibet inimici testamentum pro concione recitasset, ut Dion testatur. (*u*)

53. *Dein* potest fieri, ut ejusmodi testamentum respectu unius Testatoris valeat, respectu alterius rumpatur, aut injustum declaretur. Quid enim, si alter testes rogaverit, ille actum extraneum admiscuerit, hic puro unoque contextu usus sit, eveniet res inepta, secundum regulas Cæsarum, ut è scriptura testamenti, non jure completa, solemnibusque defecta, hæres existat.

54. Quin imo Testamentum alterius, per posterius singulare testamentum jure factum rumpi potest, dum id quod alter fecit adhuc subsistit, quæ res iterum veteribus Ictis visa fuisset enormis, nec in ipso casu pupillaris substitutionis locum habere potuit, *d.* §. 5. *I. d. pup. subst.*

55. Et hæc res supponit aliud *ἀπροσδόκητον*, quod ubi *duo conjuges*, aut *amici*, in eadem charta testati sunt, seque mutuo heredes scripserunt per quandam conventionis speciem, alter alterum fæda machinatione decipere possit, nova testatione, socio ignaro consignata; nam hoc licere, sequitur ex eo, quod duo penitus diversaque testamenta sint. Gail. *lib.* 2. *cap.* 117. *n.* 2. *aliique citati à D. Voetio ad d.* §. *pen. n.* 5. Peck. 1. *de Testam. conj.* 43. *& l.* 3. *c.* 1.

56. Scio, qui apud nos putent, conjunctionem illam duorum testamentorum non nisi *inter Conjuges* habere locum; inter alios si fiat, standum esse Jure Civili; sed nec ratio, per quam ita sentiunt, nec usus naster id evincunt. (*x*) Ra-

(*u*) Memini huius rei *sup.* §. 21. *hui. cap. not.* (*i*)

(*x*) In novissimis tamen Statutis nonnisi *Coniugibus* eodem instrumento testari permissum est, *d. tit. XVI. art.* 5.

Ratio est ex Novella *Valentiniani tit. de Testam.* (*lib. II. tit. VI.*) quæ de Conjugibus agit; sed notum est, hujus Principis constitutiones non facere partem Juris Justinianæi, nec esse receptas in Europa: *carent*, inquit Viglius, ad d. §. pen. n. 3. in fin. *omni auctoritate*, *nec in judicio recitari possunt*; adeo ut hæc consuetudo non à Valentiniano, sed à disputatione Interpretum, & opinione Doctorum invaluerit. (*y*)

56. Atque in Senatu meo tempore jus dictum est è *testamento reciproco* duarum sororum Schwartzenburgicarum; etsi partibus in mentem non venerat, ut de hoc articulo disceptarent, tamen non erat dubia mens Senatus, valere testamentum; *omnique die* propinqui, convictores, amici, in animos induєunt, ut pariter ultimas voluntates componant, neque de valore dubitatur. (*z*)

(*y*) Perpetuam tamen consuetudinem non fuisse, locuples auctor est Ampl. Hamerster, in *Comm. ad Stat. Fris. d. l.* ibique citatus uterque Huberus.

(z) Idemque in *Codicillis* iuris est, quod ad coniuges, hodie. Vid. Zach. Huber *part. II. Obs. For. cap.* 12.

C A P U T XI.

De Testamentis Privilegiatis.

1. E Testamentis Privilegiatis primum est *Militare*, quod apud nos tam libere & effuse exercetur, ac *Jure Communi* indultum legitur, adeò ut approbatum à Curiâ nostra sciam Testamentum Centurionis, manu ipsius scriptum, at nulla subscriptione confirmatum. (1)

2. Qui hostium potitus est miles, non habet testamenti factionem Jure Civili, *l.* 10 *de Testam. mil.* quia servus hostium fiebat, quæ ratio cum cesset *bodie*, non est dubium, quin milites etiam in vinculis hostium rectè testentur, ut consultus aliquando *respondi* de Testamento, quod à milite Friſio

(1) Vid. Auctor in *Iurispr. Hod. lib.* 11. *cap.* 13. Neque aliud in provinciis reliquis iuris esse testatur uterque Voetius *ad Inst. & Pand. de Testam. mil.* Neque Iuris peritiam obesse privilegio recte adfirmat Gailius *lib. II. Obs. Pract. cap.* 118. frustra repugnante Acacio Enenkelio *de Privil. Mil. lib. II.* § 20. Imperitia enim caussa privilegii tantum accessoria est, praecipua vero expeditionum necessitas.

sio conditum erat incondite apud *Chelseij* carcere infami in Anglia, tempore primi cum Rege belli. (2)

3. Post Militare, præcipuum inter Privilegiata, testamentum *parentis inter liberos* habetur, de quo nihil ferè singulare habemus, servatur enim apud nos, ut sancitum est in *l. hac consultissima.* 21. *C. de Testam.* Adde Sandium *lib.* 4. *t.* 1. *def.* 6. & *seqq.*

4. Verum circa *revocationem* Testamenti Parentis inter liberos, quæritur, an adhuc obtineat, quod est in *Nov.* 107. *cap.* 2. & *Auth. Hoc inter liberos d. t. C. d. testam.* ubi constituit Justinianus; si Parens velit derogare priori testamento, quod jure privilegiato fecit inter liberos, eum condere debere perfectum testamentum, in eoque id *expressim* significare, quod revocet prius testamentum inter liberos factum.

5. Hinc duæ res intelliguntur: *Primo* Testamentum Parentis inter liberos privilegiatum non tolli per aliud privilegiatum, sed per solenne duntaxat; *secundò*, non tolli illud ipsum per generalem clausulam derogatoriam, multo minus tacitè per testamentum posterius, utcunque solenne perfectum, sed requiri specialem revocationem.

6. *Neutrum* apud Hollandos, aliasque gentes servari, testatur Groenewegius ad *tit.* 6. *d. testam. l. Hac Consultissima;* non *prius*, quia, cum illic Gentium, testamenta coram Notario duobusque testibus fiant, eodem modo revocari posse intelliguntur; non *posterius*, quia sic non visum fuit Curiæ Hollandicæ, ut relatum est apud Coren *observ.* 39.

7. Nos ex generali *principio* sæpe laudato non dubitamus, quin hoc utrumque præceptum circa revocationem Testamenti Parentis inter liberos, sit observandum.

8. Facile tamen crediderim, apud Judices nostros locum inventuram esse limitationem Baldi, *in l. ut liberis. C. de Collat.* probatam à Sichardo, ad *d. l. hac consultissima de sec. nupt. num.* 7. & ab Rittershusio *in Jur. Justin. part.* 6. *cap* 2. *num* 11.

9. Qui censent, istam anomaliam placuisse Justiniano in *favorem*

(2) Ab anno 1665. ad a. 1667. de quo Aitzema *lib. XLV. p.* 368. & *lib. XLVII. p.* 53. Duriorem captivorum tractationem idem memorat *lib. XLVI. p.* 848. Caussas huius Belli, Pacemque sequutam Bredanam, publicis sermonibus laudarunt *Hogersius* & *Beaufortius*.

rem liberorum, proinde, si posterius Testamentum sit favorabilius pro liberis, aut nulla parte iniquius, ad revocationem prioris nihilo plus requiri, quam in aliis omnibus ultimis voluntatibus infirmandis requiratur: Adeoque Cæsarem illam rigidiorem observantiam instituisse contra extraneos, quibus parens in præjudicium liberorum posteriore testamento voluit consultum. Non est in textu hæc limitatio, nec tamen ei repugnat, & habet æquitatem.

10. *Tertium* & *quartum* in ordine Privilegiatorum testamentorum est, quod *Principi oblatum*, & *Actis insinuatum* est; utrumque nihil aliud solennitatis desiderat, quam conscientiam Principis, & insinuationem in actis publicis *l.* 19. *C. d. testam.*

11. Moribus Frisiæ hoc genus testandi inusitatum, & credo inauditum est, nec ideo tamen abolitum censeri debet. Quin si tu velis *Ordinibus* in Comitio congregatis, qui Principem repræsentant, offerre tuum testamentum, vel id ipsum Actis Curiæ insinuandum exhibere, non puto repulsam te laturum; & eodem jure gaudebis, quo qui optimo jure fecit testamentum coram testibus septem. At cum posterius longe sit expeditius, nemo de privilegiis illis exercendis cogitat, Observa interim, solam *desuetudinem* non sufficere ad jus abrogandum.

12. Hæc sunt privilegiata Testamenta, quæ *omnibus* legum requisitis eximuntur. Sunt etiam, quæ *certis* tantum solennitatibus liberantur; ut testamenta *Agricolarum*, quæque tempore *pestis* fiunt. De Agricolis est textus in *l. ult. C. d. Testam.* cujus apud nos etiam usus perquam rarus est, siquidem & in Pagis assiduo fere servatur, ut septem testes adhibeantur, sic tamen ut pro litteratis subscriptionibus admittantur *signa picta*; at hæc res non habet usum privilegii, cum id jam in omnibus testamentis promiscuè sit receptum sicut antea demonstratum est. (*cap. X.* §. 5.) (3)

13. Sed Privilegium Testamenti *tempore pestis* facti habet ampliorem apud nos usum, quam lege Cæsaris præscriptum est, in *l. casus majoris.* 8. *C. de Testam.* Apud Batavos omnesque eos, qui testamenta faciunt coram Notario

(3) Ceterum tamen praeter Testamenti scriptorem duo e testibus recte subscribant necesse est. Vid. *Statuta lib. I. tit. XVI. art. 2. ibiq. Ampl. Hamerster.*

rio duobusque testibus, huic privilegio vix ullus datur locus aut usus. (4)

14. Dubitant illic Prudentes, an coram duobus testibus valitura sint testamenta, quæ tempore pestis fiunt; moresque Batavicos ea parte obscuros esse narrat Grotius *Introduct. lib. 2. part. 17. in fin.* desiderans eam quæstionem definiri ab iis, quorum ea potestas est. *Adfirmativam* placuisse Curiæ Hollandiæ testatur Groenewegius ad *d. l. casus.* 8.

15. Cæsares nihil aliud in hoc Testamento remiserunt, quam quod ob *timorem contagionis* necesse non sit, ut testes, qui ad testamentum sunt vocati, eodem omnes tempore socientur & in unum conveniant, verum sufficiat, si alii post alios accedant, testamentumque signent, ita tamen, ut legitimus testium numerus *ea lege* non sit sublatus, in verbis, *non etiam convenientis numeri eorum observatio sublata est.*

16. Hæc Constitutio satis perspicua est, sed Doctores sequentium sæculorum, quibus horror pestis in immensum crevit, animosque hominum penitus insedit, in alia omnia iverunt, testamentumque tempore pestis factum, *quovis modo* valere voluerunt, adeoque pro absolute privilegiato id habent, in quo nihil aliud requiratur, quam ut satis constet de voluntate testatoris; adeoque testes *duo* vel *tres* in eo sufficere creduntur, ut videre licet apud Gailium *lib. 2. Observ. 18. n. 12.*

17. *Frisiis* non videtur sat fuisse caussæ ab Imperatorum præscripto recedendi; quia nostri homines non subacti sunt tam indomito timore pestis, qualem in aliis gentibus regnare videmus; nec enim apud nos officia charitatis & vicinitatis inter cives præciduntur; nihilo magis quam apud veteres factum fuisse legimus; quorum historiæ nusquam referunt tam deformes effectus formidinis illius à contage, quales hodie in Christianis populis conspiciuntur. *Nostrates* veterem modestiam, fiduciamque divinæ providentiæ, sine temeritate tamen, observan

18. Sandius tamen in *lib.* 4. 1. *def.* 4. refert Senatum jux communem hanc sententiam D ctoru

(4) Non de pestilentiae lue passim grassante, sed de cuiuslibet metu contagio ita constitui, peculiari *ad cit. l.* 8. dissertatione evicit Iac. Gothofredus. Quo nus tamen, immo magis multo, & de pestis tempore accipi debeat, nulli, pu ambiguum videbitur.

ctorum judicasse; quod nec dubito, quin jam pro jure certo receptum, inque futurum sit observandum.

19. Idem accidit in Testamento, quod *ad pias caussas* factum est; Huic Iure Romano nullum privilegium datur, sed *Pontifices* illud absolutè volunt esse privilegiatum, ita ut contenti sint duobus testibus omni exceptione majoribus, *cap. relatum.* I. *X. d. testam.* ubi ratio è sacris litteris, *quoniam scriptum est, in ore duorum vel trium testium stat omne verum*, cui sententiæ in materia piarum caussarum nolunt derogari.

20. Æquitas hujus exceptionis merita quoque est omnium Interpretum calculos, & Sandius testatur in *d. l.* 4. *tit.* I. *def.* 13. Senatum ita censuisse, *quæstionem hanc non esse decidendam ex Romano, sed ex Jure Canonico.* (5)

21. Sed an *exemplum*, quod ibi commemorat esse judicatum, est ejusmodi, ut ejus definitio ex Jure Canonico petenda fuerit? Erat ejusmodi: Quidam ab hæredibus suis ab intestato successuris, fratre nempe & sorore præsentibus, pauperibus Ecclesiæ Reformatæ in pago N. reliquit centum florenos. Nonne hoc Jure Civili constat; quando Testator præsentes hæredes rogat aut jubet aliquid præstare, quod tum hi teneantur ad id præstandum, etsi duo tresve testes duntaxat adfuerint, imo etsi nullus adsit, modo constet, eos esse rogatos, aut ipsi confiteantur, §. *ult. Inst. de fideicomm. hær. l. ult. C. d. fideicomm?*

22. Plane, si Testator verba ad hæredes ipsos direxisset eosque rogasset, ut pauperibus centum darent, obligati fuissent omnino *per illos textus.* Verum, si præsentibus quidem illis, centum legaverit pauperibus, non rogaverit autem eos, ut præstarent, cessabat ejus legis sanctio; quæ nititur affectione verborum, ad hæredes præsentes. (6)

C A-

(5) Non itaque penitus apud nos abolitus *Iuris Canonici* in foro usus, quatenus puriori doctrinae, novisque Reipublicae & Ecclesiae rationibus non adversatur, inque subsidium tum Patrii, tum Civilis Iuris. Argumento est ipse *procedendi* modus, ex Decretalium secundo libro: ne de Beneficiis Ecclesiasticis, de testamentis, matrimoniis, divortiis, aliisque caussis loquar. Et responderi Paulo Voetio, in *Diatr. de Usu Iur. Can. & Civ. cap. V.* facile potest ex iis, quae plena manu attulit Ampl. Otto in *Prael. Can. I. sub fin.*

(6) Quia vero discrimen omne legata inter & fideicommissa a Iustiniano penitus sublatum est, *l.* 2. *C. Comm. de Leg.* & § 3. *Inst. eod.* nihil omnino referre existimem,

CAPUT XII.

De His qui Testamentum facere non possunt. (*a*)

1\. Quicunque *maximam* vel *mediam* capitis diminutionem passi sunt, testamentum facere non possunt, legibus Justiniani. Sed utraque specie diminutionis obsoletâ, sequitur & has prohibitiones ab usu esse remotas.

2\. Nisi quod is, qui *hostis Patriæ* declaratus est, adhuc hodie *mediam* capitis diminutionem pati, nec ideo testamenti factionem habere censetur *l.* 5. § 1. *ff. d. cap. dimin.* Sand. *d. lib.* 4. *tit.* 1. *def.* 2.

3\. Idem judicandum de his qui ob delicta *proscripti* sunt publicè, omnibusque impune occidendi permittuntur, qui & *maximâ* capitis diminutione damnati videntur. (*b*)

4\. Sed quod de *filiis familiarum* Romanis visum fuit, exactè apud nos servatur, licet alibi Europæ vix uspiam id obtineat, & scio filiosfamiliarum extitisse locupletes quinquaginta natos annos, quorum legata relicta etiam modica, rebus judicatis, nulla pronuntiata sunt. Vid. Sand. *d. lib.* 4. *tit.* 1. *def.* 1. (*c*)

5\. Dantur & vitia *corporis* atque *animi*, quæ testamenti factionem impediunt, Ætas impubes, furor, & dementia; bonorum interdictio; denique surdi, muti; *Cæci* vel plane, vel secundum quid prohibentur, ut docuimus ad *tit. Inst. quib. non est. permis. fac. testam.*

6\. De *Prodigis* id solummodo notandum, quod Sandius habet *in d. tit.* 1. *def.* 3. Interdictio bonorum procurata erat à propinquis, qui jam habebant testamentum, ut volebant; hac fine, uti ne Testator facultatem haberet mutan-

stimem, ad heredemne verba, an ad legatarium, aut fideicommissarium, particularem nempe, directa fuerint; neque in foris nostris ad haec attendi putem. In *optionis* tamen & *electionis* legato secus esse Iure Civili, dixi in *Lect. Iur. lib. II. cap.* 10.

(*a*) Iurisprud. Hod. *lib. II. cap. XV.*

(*b*) Vid. Gailius *lib. II. de Pac. Publ. cap. I.* Boeckelman *de Banno Imperii.* Pfeffinger *ad Vitr. tom. III. p.* 552. *seqq.*

(*c*) Conf. dicta superius ad *lib. I. cap. VI. § ult.*

mutandi testamentum. Mutaverat ille tamen, institutis etiam hæredibus aliis cognatis æque propinquis, auctisque pauperibus aliquot legatis. *Approbatum* est hoc posterius testamentum à Curiâ.

7. Ratione gravissimâ, quod hæres primus fatebatur, se curasse Testatori bonis interdici, ut amitteret testamenti factionem. Id enim *in fraudem legis* & æqui bonique factum pro non facto haberi debebat.

8. Sandius addit rationem *aliam* ex Novellâ *Leonis* Philosophi XXXIX, qui reprehendit veteres, quod acta gesta mortis caussâ, vel inter vivos, prodigorum indistinctè nulla esse voluerint. Ipse disputat hujusmodi servandum esse moderamen hac parte, *si quid*, ait, *inutiliter gestum sit non admittere, in quo vero aliqua utilitas vertitur, id suscipere oportet.* (*d*)

9. Sic Imperator Philosophus, longe aliter quam antiqui Jurisprudentes, qui jura condiderunt generalia & stabilia, neque pro casuum varietatibus aliter ac aliter usurpanda; ne quidem, etsi *ratio* Juris introducti in certis casibus evidenter cessaret. (*e*) Ecce;

10. *Impuberes* non possunt facere testamentum, *quia nullum eorum est animi judicium* § 1. *h. t. Inst.* Detur impubes qui multo solertior sit quam alius pubes, non poterit tamen facere testamentum. *Minorum bona non possunt alienari* nisi ex caussa æris alieni, aliâve præcise necessariâ *l.* 22. *C. d. admin. tut.* lata hæc lex est in eorum utilitatem. Quid si detur occasio vendendi res minoris cum utilitate insigni, valetne alienatio? Non valet, ut Sandius ex sententiâ Curiæ recte differit in *lib.* 2 *tit.* 9. *def.* 14. idque religiosè in Senatu & abscisse servatur. (*f*)

11. *Ratio*, quia cum semel ita con-

(*d*) Dixi hac de re ad *Chass. Parat. Inst. lib. II. cap. XII. p.* 94. Confer sis Casp. Achat. Beckium *de Usu & Auctor. Novell. Leon. cap. II.* § 28. *p.* 95. *seqq.*

(*e*) Ratione cessante legem cessare, perpetuum est, uno eo excepto, si certam lex *quantitatem*, *numerum*, *spatium*, definiverit, sicut in nuptiis, tutelis, curis, aliisque id genus, *arg. l.* 3. & *seq. D. de Legib.* Vid. Lectiones Iuris *lib. II. cap.* 5.

(*f*) Quin tamen caussa cognita *rata* haberi talis alienatio possit, ego quidem nullus dubitem; pariter atque ab initio permitti, *d. l.* 22. *C.* Certe *exempli* tantum caussa aeris urgentis alieni mentio iniicitur. Vid. *l.* 12. 66. *seqq. D. de Transact.* Conf. Sandius *lib. II. tit. IX. def.* 21. & praecipue in *Tract. de probib. rer. alien. part. I. cap.* 1. § 4. *p.* 10. *seqq. Opp. Omn. tom. I.*

constitutum est, ut prohibitiones ejusmodi cessent, ubi cessat ratio in his aut illis casibus, nihil certi juris habemus, sed totum à judicum arbitrio pendet. Verissimum in his omnibus est illud *Taciti*, quod legi applico; Omnis lex *habet aliquid ex iniquo, quod utilitate publicâ contra singulos rependitur*. Sufficit, Legem in universum Reipublicæ esse utilem, si quando certis in casibus *durior* videtur, id utilitate constantis observantiæ superatur. (*g*)

12. Videndum ne non idem de alienationibus prodigorum per testamenta vel contractus, (de utrisque *Leo* differit) eventurum sit; valent, si bene utiliterque, non valent, ubi secus consultum fuerit. Standum potius *Jure Civili*, quod rectum & æquabile est; nisi alia juris merita & circumstantiæ conspirent. (*h*)

13. Solennitas, quæ in testamento *Cæci* observanda est secundum *l.* 8. *C. qui testam. fac.* moribus earum gentium, quæ Notario, duobusque testibus contentæ sunt, non habent usum; sed ibi Cæcorum testamenta celebrantur in forma communi, teste Groenewegio ad § *ult. Inst. b. t.*

14. Apud nos ad amussim retinetur forma *d. l* 8. habetque locum etiam in Testamento *Parentum inter liberos*, Sand. *lib.* 4. *tit.* 1. *def.* 8. Proinde Cæcus pater potest facere Testamentum quomodo vult & quomodo potest, sicut indultum est Parentibus inter liberos disponentibus. Quid Ergo?

15. Pater cæcus fecit Testamentum in forma communi, ut apud nos amat fieri. Testibus septem prælegitur initium & epilogus testamenti, argumentum voluntatis non significatur, sed affirmat Testator tabulas sibi esse prælectas, & reliqua testamentorum solennia observantur; valetne testamentum? Non valere judicavit Senatus non ita pridem *inter liberos Olphardi Hindema*, *Consulis Franequerani*. Ratio, quia testamentum cæci nuncupari debet, hactenus saltem, ut è testibus duobus tribusve constet, quod ita

(*g*) Ita vero est, si lex clara atque aperta est, *l.* 12. § 1. *D. Qui & a quib. manum. lib. non fiunt*. Dubia si fuerit, aut iniquior visa, authenticam iudex interpretationem petet, *l.* 1. *C. de Legib.*

(*h*) Ceterum tamen Iuris ratio Civilis, in testamento recentiore, secundum constitutionem *Theodosii II.* penitus iam cessat, sublata hereditatis per aes & libram mancipatione, qua prodigo erat interdictum. Vid. Vlpianus *tit.* XX. § 13. Neque adeo tam temere Ius vetus mutasse Leo dicendus est.

ita voluerit testator; Nuncupationem enim *lex* 8. requisivit, quia caecus scire non potest, an id quod sibi prælegitur sit illud ipsum, quod in tabulis testibus exhibitis continetur. (*i*)

16. Postremo de *capite damnatis* quæritur habeant ne testandi facultatem? Jure veteri non habuisse certum est *l.* 8. § *ult. ff. qui testam. fac. poss.* sed multi id aliter se habere putant jure novo, postquam pœnæ servitus *Nov.* 22. *cap.* 8. & postremo bonorum publicatio sublata est *Nov.* 135. *cap. ult.* Quæ cum apud nos æque sit abolita, poterat videri capite damnatis restitutam esse Testamenti factionem; cum istæ fuerint rationes, propter quas olim prohibitio instituta fuit.

17. Sed verius est, jus antiquum hac parte non esse mutatum, quia *bonorum publicatio* remissa quidem est descendentibus & ascendentibus damnatorum in eorum gratiam, minime vero ut ipsis consulatur damnatis, eorumque jus augeatur. Possent illi propinquos exhæredare vel præterire, si haberent testamenti factionem, quod est diserte contra scopum legislatoris. Nec scio praxin esse contrariam à *nostratibus* receptam: ideoque veram Juris scripti sententiam heic obtinere existimaverim. (*k*)

(*i*) Vid. *Iurisp. Hod. lib. II. cap. XV.* § 18. *seqq.*
(*k*) Quibus vero casibus cessat publicatio, quin integra sit damnatis testamenti factio, dubium non videtur. *Iurisp. Hod. d. l.* § 23.

CAPUT XIII.

De Exheredatione liberorum. (*a*)

1. IUre civili etiam novissimo cautum est, ut si filius aut filia familias nec heres institutus, neque exheredatus, aut exheredata sit, testamentum sit ipso jure nullum; emancipati liberi per ejusmodi silentium *præteriti* habent bonorum possessionem contra tabulas; *exheredati* movent querelam inofficiosi testamenti, § 5. & *sequ. Inst. h. t.* ut latius probatum est *ad d. tit. & ad tit. ff.*

(*a*) Iurispr. Hod. *lib. II. cap.* 21.

ff. d. lib. & posth. instit. vel exhered. (*b*)

2. *Priores* non egent remedio actionis, aut rescissionis, nam τὸ μὴ ὂν, non capit terminos habiles rescissionis; verum *posteriores* actu judiciali infirmare debent testamentum, per petitionem bonorum possessionis, aut querelam inofficiosi. *Priores*, inquam, recta viâ petere possunt hereditatem, de quâ testamento nullo aliter dispositum erat; *posterioris* non prius quam resciderint tabulas testamenti, *dd. ll.* Sand. *lib.* 4. *decis. tit.* 2. *def.* 2. (*c*)

3. Sed ut viæ nullitatis, quæ Jure Latino præscriptæ sunt, moribus hodiernis exiguum habent usum; ita in hac specie plerisque locis Europæ cessat nullitas; eo quod *jus Suitatis*, unde filiifamiliarum præteriti testamenta simpliciter nulla dicunt, passim ferè sublatum est: Ideoque liberi utriusque sexus tam emancipati quam sui, præteriti atque exheredati, Testamentum, in quo male habiti, vel neglecti sunt, promiscuè per Querelam Inofficiosi expugnant. Grot. *introd. Iur. Hol. p.* 18. *n.* 11. 12. 13. Gudelin. *de jur. noviss. l.* 2. *c.* 5. *vers. posterior in fin.* Autumn. *Confer. in Auth. novissimâ C. de Inoff. testam.* Groenew. *in pr. ad h. tit.*

4. Sed in Frisiâ, ut effectus patriæ potestatis omnes pene manent integri & usitati sunt, ita hac parte nihil de Jure Civili mutatum agnoscimus; sed liberi in potestate constituti testamenta parentum, in quibus sunt præteriti pro nullis habent, & talia dicunt. Sand. *lib.* 4. *tit.* 2. *def.* 1. & 2.

5. Sed, cum res & constitutiones Civiles effectis æstimentur, quæri debet, an hoc discrimen conspicua quædam vestigia fori habeat. Dicemus, ita; nam cujus favore testamentum est ipso jure nullum, is *immediate* potest hereditatem petere, cum reliquis in antecessum opus sit rescisso testamento, sicut antea diximus.

6. Sed hæc discrepantia magis in verbis quam in re consistere videtur. Nam *dicere nullum* testamentum

(*b*) Omne illud discrimen penitus abolitum fuisse ab Imp. in *Nov.* 115. *cap.* 3. recte post alios evicit Thomasius in *Nov. Additt. ad Prael. Institt. de Exhered. libb.* & in foro hodie non attendi ipse Auctor confitetur, in *Iurispr. Hod. d. l.* § 2.

(*c*) Ita ut uno tamen remedio possit & rescissio peti, & hereditas, si nempe institutus heres hereditatem, vel aliquid ex ea possideat; sin minus, distincta utique erunt remedia, tum *querela*, tum *petitio*. Ad liquidum haec perduxit Illustris Coccius in *diss. de Dupl. Iud. Resc. & Resciss.*

mentum æquè in judicio fieri debet ac *rescindere* ibi fiat; declaratio enim judicis super nullitate & in eum finem judicialis instantia necessaria est in foro; nec adeo multum refert ad compendium adipiscendi bona, quo genere actionis experiaris: Nam etsi *nullum dicere*, forte non sit actio; est tamen judiciale remedium, quod in foro ad instar actionis redigitur. Denique, sicut is qui nullum dicit simul petere potest hereditatem, ita & is qui habet querelam in effectu idem facere potest; siquidem *in unâ eademque conclusione* peti potest rescissio testamenti & heredis declaratio hereditatisque restitutio, ut omni die videmus. Quid igitur in summâ refert, utrum subtilitate juris nullum esse dicam testamentum, an, quod praxis alibi vult, per querelam rescindatur?

7. Sunt tamen effectus differentiæ notabiles; Nam in querelâ disputatio *ingratitudinis* vertitur, quæ facti circumstantiis intricatior est, nullitatis vitia plerumque palpabilia sunt. Querela solam heredis institutionem rescindit, reliquis testamenti capitibus salvis, *Nov.* 115. *c.* 3. § 13. *vers. sed hæc quoque* & § *ult.* Testamento nullo cuncta labuntur, ne legatis quidem fideique commissis valentibus *l.* 4. *C. de lib. præt. pr. I. de Exhered. lib.* denique Inofficiosi querela quinquennio finitur *l.* 8. § 5. *ff. de Inoff. testam.* Nullitatis remedia nullis in Jure spatiis circumscripta leguntur, nisi longissimi temporis, *l.* 3. & *l.* 7. *C. de præscr.* 30. *vel* 40. *annor.* (*d*)

8. Amplius, ante rescissionem per querelam, Testamentum valet; ubi nullitas arguitur, perinde habetur ac si inde ab initio, nihil dictum, factum esset; hæc enim toto jure notissima τȣ̃ *rescindi* & *nullum esse*, differentia constat.

9. Hinc duobus testamentis factis, si posterius sit ipso jure nullum, prius valet, heredesque in eo scripti hereditate potiuntur *l.* 16. §. 1. *ff. de vulg.* & *pup. subst.* quod si posterius querelâ rescissum fuerit, prius testamentum non valet, sed testator ad causam intestati

(*d*) Vno facile argumento & hae, & aliae omnes differentiae convelluntur; a sublato nempe discrimine suos inter & emancipatos, agnatos item & cognatos, mares denique & foeminas; idque non in legitima solum successione, sed in omni, *Nov.* 118. *cap.* 4. Quae itaque sola iam obtinet *actio nullitatis*, quod ad institutionem, quia civilis est ex nova lege, longissimò tantum tempore excludetur.

testati redigitur *l.* 6. § 1. *ff. de Inoff. testam.* Usum & exemplum vide apud Sandium *lib.* 4. *tit.* 2. *def.* 1.

10. Præteritionem matris avique materni pro exheredatione haberi notum est *ex* §. *ult. Inst. h. tit.* sed quærit Sandius *tit.* 2. *def.* 2. *vers. illud expeditum est*, si avia nepotem præterierit, nulla certâ causâ expressâ, querelæ tum locus sit, an vero testamentum sit nullum? Plures utriusque sententiæ Auctores laudat Sandius. Curiæque sententiam refert pro nullitate, tametsi ipse in diversam partem inclinare videatur, *verb. multi probabiliter disputant.*

12. Sed reverâ Auctores illi non agitant controversiam de præteritione matris avique materni; sed de ipsa exheredatione, quam Justinianus in *Nov.* 115. *c.* 3. vult fieri cum expressione certæ causæ; quâ omissâ, existimant multi, exheredationem utpote contra legem factam esse nullam *arg. l.* 5. *C. de LL.*

13. At in præteritione videtur hæc quæstio carere terminis habilibus; nam præteritio per silentium committitur, ut passim videas; *silentio præterierit*, ut est in *pr. Inst. de Exhered. lib.* Idcirco abs re videtur, in præteritione velle requirere certarum causarum expressionem, quæ exheredationi tantum conveniat. Auctores etiam, quos Sandius citat, quæstionem illam de exheredatione solâ tractant, inquam, & præteritionem maternam ei per consequentiam annectunt; hoc modo;

14. Qui sentiunt, exheredationem sine causâ factam querelâ excipiendam esse, statuunt idem de præteritione materna simpliciter; Qui volunt, testamentum exheredatione sine causa nullum fieri, statuunt idem de præteritione matris; nec applicant ei discrimen expressæ vel non expressæ causæ. Verum tamen est, id aliquando aliter se habere. Nam præteritus non modo dicitur, de quo Testator plane siluit; sed quicunque non est institutus heres vel non est exheredatus, *pr.* § 1. *& tit. Inst. ff. de Exhered. liber.*

15. Proinde, cui Legatum solummodo relictum est, hic etiam quasi præteritus habetur; atqui tum causæ, propter quas tam tenuiter adspersus est, addi possunt: quanquam rursus verum est, quando Mater avusque maternus exponendis causis, cur liberos heredes non fecerint operam dant, fieri vix posse, quin verbis exheredandi vim habentibus utantur, & qualiacunque verba modò clara, tam ad exheredationem quam ad insti-

institutionem hodiè sufficiunt, *l.* 15. *C. de Testam.*

16. Summa tandem huc redit; Vera juris civilis sententia est, exheredationem à Patre vel præteritionem à matre factam locum facere querelæ inofficiosi, quæ per *Nov.* 115. *c.* 3. *&* 4 minime est abolita, cum passim infirmationis, rescissionis, evacuationis, quæ verba nullitati non conveniunt, meminerit. Verum si causa non sit expressa, rescissio cum effectu indistinctè procedit, ex novissima Justiniani Lege, *d. Nov. c.* 3. *in pr.* Adjecta causa, de veritate ejus & probatione quæritur, ac inde pendet successus querelæ, quam alii Doctores, hoc solo casu usum habere volunt. *(e)*

17. Horum sententia in Curia nostra prævaluit olim infinitisque judiciis approbata est; consequenter, exheredatione *sine certa causa* facta, testamentum erit ipso jure nullum, jure, quod in Frisia valet: idem in casu præteritionis. Causa *expressâ*, Querelæ judicio locus est, de qua latius *infrà*; scilicet in casu exheredationis; in præteritione vix est, ut expressio causarum fiat, est tamen ut id accidere possit aliquando.

18. Hactenus igitur nihil recessimus à Jure Cæsaris: nam quod in Curia prævaluisse diximus contra veriorem Juris doctrinam, id ex opinione Juris interpretum est ortum, qui Justinianum eo sensu interpretantur, cum nec ratio probabilis ita disputandi deesset. Superest, ut de emancipatis, de postumis, & de adoptivis videamus.

19. Emancipati præteriti habent bonorum possessionem contra tabulas Jure Prætorio § 3. *h. t.* quam nulla fere pars Europæ agnoscit, bonorum possessionibus dudum inusu detritis, toto Jure Prætorio cum Jure Civili in unum confuso, testibus omnium Gentium, quos citant Vinnius *ad tit. Inst. de bonor. poss. in fin.* Vœtius *ibid. & ad fin. hujus tit.*

20. Imo non desunt, qui Jure Civili novissimo discrimen hoc inter suos & emancipatos sublatum esse putant, auctore summo viro Cujacio *in not. ad Ulpian. tit.* 10. quem & ratio non spernenda movet; eò quod emancipatio non sit hodiè capitis diminutio, quod nos etiam probavimus *lib.* 3. *digress. cap.* 6.

21. Sed res inde non pendet; verum

(e) Omnia ista sponte sua corruunt, sublato praeteritionis & exheredationis, filiique familias & emancipati discrimine, *sup. not.* (d)

verum à *suitate*, quæ oritur è patriâ potestate *pr. Inst. h. t.* & § 2. *Inst. de Hered. qual.* & *diff.* atqui hoc respectu differentia emancipatorum à liberis, qui in potestate sunt, *etiamnunc* manet; etsi enim emancipatio maximè non sit capitis diminutio, sine dubio tamen est modus solvendi patriam potestatem. Rectius igitur plerique alii discrimen hoc præteritionis hodieque tenent, quos inter Perez. *ad tit. C. de lib. præt. n.* 4. vix alios ut noverim dissentientes. (*f*)

22. Apud nos an æquè abolita sit *bon. possessio* ac apud alios ferunt, quæstio insignis momenti, neque minoris, ut mihi videtur, difficultatis est, momentum in eo consistit; si abrogata sit, testamenta, in quibus emancipati liberi sunt præteriti, erunt ipso jure nulla, quod habere magnam sequelam, modo intelleximus; si adhuc obtineat, emancipati præteriti non habent annos triginta, sed unum, ad rescindenda patrum suorum testamenta § 4. *Inst. de bon. possess. l.* 1. § 12. & *sequ. ff. de bonor. poss.* (*g*)

23. Difficultas in rationibus utriusque se prodentibus elucet. Pro abolitione. I. bonorum possessio est jurisdictionis Prætoriæ, quæ apud Romanos à Jure Civili more ac ratione discrepabat; *hodiè* nulla ejusmodi differentia superest, ut omni Europâ, ita nec apud nos. II. Quod Vinnius scribit ad *d.* § *ult. In his regionibus utimur tantum aditione sive agnitione hereditatis civilis: bonorum possessionis nullus usus*, æque apud nos visum iri plerisque, nullus dubito; nec adeo dubitabunt adfirmare, qui in foro versantur; id nec aliter in judiciis nostris servari, bonorum possessiones usu constanti in & cum hereditatibus esse resolutas. III. Videtur & in Statutis aliquid esse, quod huc pertineat, *lib.* I. *tit.* 17. *artic.* 3. ubi *heredibus datur facultas, occupandi hereditates in quas successerunt, non expectatâ judiciali immissione in possessionem illorum bonorum.* Atqui bonorum possessiones, etsi per legem Constantii solennitatibus antiquis exemptæ sint, judicis tamen

(*f*) Verum haec disertissimis verbis *Nov.* 118. *cap.* 4. repugnare, plus semel iam diximus.

(*g*) Quum ipse hanc differentiam sustulerit Iustinianus, proque *Civili Iure* omnia veteris Iurisprudentiae capita habeantur, omnes quoque Iuris olim Praetorii effectus hodie civiles sint necesse est, *duabusque* e *Novellis*, vel *tribus*, caussae omnes hereditariae definientur, nempe 115. 118. & 127.

men aditionem & auctoritatem hodieque requirunt, *l. ult. C. Qui admitt. ad bon. poss.* cujusmodi judicis interventus & hoc Statuto tollitur, & plane ab usu nostro remotus esse videtur.

24. Ad hæc pro diversa parte responderi potest; 1. Non ex eo, quod jurisdictio Prætoria non distinguitur amplius à Civili in nostris foris, sequi juris quoque Prætorii capita esse sublata; argumento sit abstinendi beneficium, quod est Juris Prætorii, nec ideo minus hodieque usitatum, § 3. *vers. sed his prætor. Inst. de Hered. qualit. & diff.* Quin tempore Constantini ordo ille forensis Prætoriæ jurisdictionis obsoleverat, *arg. l. 2. C. de judic. pedan.* nec tamen ideo minus possessiones bonorum erant in usu quotidiano.

25. Ad 2. Quod nomen *hereditatis* hodiè solum in foris nostris frequentatur, nihilo magis infert, omnes bonorum possessiones esse sublatas; nam apud ipsos Romanos etiam ante Justinianum bonorum possessio, *hæreditas* vocabatur; Ita Verres Prætor apud Ciceronem *act.* 3. edixerat, *secundum tabulas testamenti hereditatem dabo*, nec obscura ratio hujus abusus, cum satis constet, hereditatem, bonorumque possessionem nihil in effectu discrepare, *l.* 119. & *l.* 138. *d. verb. sign.* (*b*)

26. Accedit hæc ratio, quod pleræque bonorum possessiones Jure Justinianæo sublatæ sunt. Nam quæ ab intestato dabantur per *Nov.* 118. abolitæ sunt, exceptâ *unde Vir & uxor*, quæ apud nos hodieque locum habet: Atqui ab intestato possessiones faciebant majorem numerum & quæ secundum tabulas erat, ab exercitio Prætoriæ jurisdictionis pendebat, quâ sublatâ & ipsum tolli necesse fuit: ut vix plures quam duæ in universum superesse queant, una in casu testati, *contra tabulas*, altera ab intestato *unde vir & uxor*; quæ proinde facile, accedente alterâ causâ, sub *hereditatis* appellatione latere possunt.

27. *Tertia* ratio bimembris est, nititur enim aut verbis Statuti, aut consuetudine manifestâ. Verba Statuti parum ad rem facere videntur; primo enim agitur in *toto illo tit.* de successione ab intestato, circa quam bonorum possessiones sublatas esse jam diximus ipso

(*b*) Verba ex Edicto Siciliensi, *lib. I. in Verr. cap.* 45. de possessione hereditatis agunt, non de hereditate ipsa. Et ita quoque legendum esse *d. l.* monuit Fr. Hotmanus *lib. I. Observ. cap.* 2.

ipso Jure Civili. & posito, quod in *d. art.* 30. habetur, etiam ad hereditates testamentarias produci posse, ut non valde recusem: quid immissio in possessionem commune habet cum datione bonorum possessionis? quis nescit triplicem esse possessionem; unam de quâ agitur *in tit. de Acquir. poss.* alteram in *tit. Quib. ex caus. in possess.* Tertiam, *in tit. de bonor. possess.* singulas toto genere discrepantes? Statutum hoc vult: Eos quibus hereditates evenerunt ab intestato (concedamus etiam è testamento) possessionem, id est, detentionem rerum suo marte vindicare posse, nec opus esse judiciali immissione in possessionem, à Magistratu faciendâ de bonorum possessione, id est, de ipso Jure Prætorio hereditatis ibi nulla parte agitur.

28. Dices, attamen indubitatum est, in successionibus tam testati quam intestati nullam judicis auctoritatem apud nos requiri, sed acquisitionem aditionemque solo heredis arbitratu fieri; at in bonorum possessionibus agnoscendis adhuc præsentia non quidem Prætoris sed alicujus Judicis necessaria est, *d. l. ult. C. Qui admitt. ad bon. poss.* Sublato igitur necessario bonorum possessionis requisito, ipsam quoque sublatam esse dicendum videtur.

29. Ne hoc quidem sufficit ad mutationem tanti valoris efficiendam. *Primo* enim, si ritus & solennitas quædam jurisdictionis sublatus sit, ideo non dixeris, ipsum jus, circa quod ille ritus versabatur, esse extinctum, ut in plerisque Juris Prætorii capitibus hodieque valentibus sine veteri ordine juris dicundi apparet. Nec quisquam concesserit, hac ratione, possessionem *Unde Vir & uxor*, adversus quam æque valeret, esse abrogatam. (*i*)

30. Quin imò; Filius emancipatus contra tabulas testamenti paterni usurus Jure Prætorio, vix est, ut etiamnum contra scriptum heredem bona vindicare possit, nisi apud judicem declaraverit, agnoscere se bonorum possessionem contra tabulas: ut adeò nihil absurdi traditurus sit, qui hoc requisitum Juris Civilis hodieque servandum dixerit; idemque respectu conjugis statuat, ut nec is sine Iudice bona defuncti con-

(*i*) Controversia omnis tantum de *nomine* est, *reapse* discrimen nullum, eodem in utrisque & agendi modo obtinente, & effectu eodem.

conjugis occupare permittatur.

31. Hæc ita diſputari non erat abs re, cum apud nos ſuitatis & patriæ poteſtatis jura vim ſuam per omnia teneant, verum, quia *præteritio materna*, citra ſuitatem, teſtamentum in noſtro foro nullum reddit; difficile dictu eſt, non idem de præteritione emancipatorum obtinere. Sane, quemadmodum textus in *Nov.* 115. *c.* 3. *in pr.* generaliter à Doctoribus acceptus eſt, ita nec dubito, quin quod ibi dicitur, *non licere liberos præterire* etiam de emancipatis à noſtris intelligatur, cum eodem effectu nullitatis, quo Doctores volunt de liberis à matre præteritis. Cui accedit, quod altum ſine dubio ſilentium ſit & fuerit, ſemper de bonorum poſſeſſione contra tabulas apud noſtros Pragmaticos.

32. Sequitur de *Quaſi poſtumis*, hoc eſt, de nepotibus, qui poſt mortem patrum exiſtentium adhuc in propriorum patrum poteſtate, loco *ſuorum* Avis agnaſcebantur, ut habes *in* § 2. *Inſt. h. t.* hoc noſtris moribus æquè ac alibi abolitum eſſe certum eſt, quia nititur hæc Agnatio poſtumorum eo fundamento, quod patria poteſtas etiam poſt nuptias liberorum durabat: At cum *Iure noſtro*, liberi, nuptiis ritè contractis, exeant è patriâ poteſtate *ſuique* eſſe deſinant, ſequitur nepotes nunquam *ſuos* fieri poſſe reſpectu Avorum, cum ſint in poteſtate Genitorum; ſicut Romanis legibus nepotes è liberis emancipatis non recidebant in Avorum poteſtatem, § *penult. Inſt. de Adoption.*

33. Dicendum quoque de *Veris poſtumis.* Hi exheredati habent querelam, § 2. *in fin. Inſt. de Inoff. teſtam.* præteriti à patribus rumpunt teſtamentum agnaſcendo, §. 1. *h. t. Inſt.* à matre avoque materno præteriti queruntur etiam de Inofficioſo, *d.* § *ult. ejuſd. tit.* (*k*)

34. Hæc alibi ferè gentium exploduntur, apud nos ſine dubio valebunt, niſi quod de *præteritione* ſuperius dictum eſt, hoc effectu & diſcrimine à nullitate & reſciſſione; quod teſtamentum, in quo poſtumus, ſive filius necdum natus (in filiabus idem juris eſſe notum ex §. 5. *h. t.*) ſilentio præteritus eſt, ab initio valeat, neque

(*k*) Quum teſtamentaria inſtitutio, non obſervatis *Nov.* 115. clauſulis, ipſo Iure ſit nulla, & vero inter eas ſit *certae cauſſae* ab herede probandae nominata mentio, qualis certe in *vero poſtumo* deficit, nulla omnino ejus praeteritionem inter & exheredationem intercedere differentia poteſt, ſecus atque infra Auctor §. 38. *ſeqq.*

neque rumpatur, nisi postquam filius lucem salutaverit, quo eventu existente, testamentum sine ullo actu judiciali, contrâ quam in casu *Querelæ*, evanescit & vitiatur, ac si inde ab eo tempore nullum esset, *d.* §. 1. *Inst. Quib. mod. testam. infirm.*

35. Postumo igitur in partu vel abortu pereunte, manet validum, sicut erat, testamentum, secus ac in casu nullitatis accidit; imò si vivo testatore postumus non vivax, iterum expiraverit, jure Prætorio convalescit & vim suam recuperat testamentum, *l.* 12. *d. Injust. rupt. testam.* eoque eventu datur scripto heredi bonorum possessio contra tabulas *d. l.* 12. quæ proinde nostro quoque *Iure Frisico* etiamnum usurpanda erit, ita ut scriptus heres, si filius aut parens sit, intra annum, si extraneus intra mensem utilem, hoc est, quo experiundi facultatem & scientiam habuerit, bonorum possessionem judicialiter agnoscat, *d.* §. 4. *Inst. de bonor. poss.* & *l.* 1. §. 12. & *sequ. de Success. Ed. l. fin. C. Qui admitt. ad bon. poss.* (*l*)

36. Quod autem superius dictum est, *Agnatione postumi postumæve* testamentum ita rumpi, ut sine ullo actu judiciali jus ejus vitietur, id ita capiendum est, sicut antea dictum de nullitate; vi legis testamentum per se ac immediate exinanitur, habeturque pro eo quasi non esset; effectum tamen in foro postumus contra scriptum heredem invitum, adeoque possessionem hereditatis, sine judicis officio ejusque imploratione, non potest obtinere, quod res ipsa per se loquitur.

37. Adoptivi liberi hac in parte singulari jure gaudent, quod exponitur *in* §. 4. & §. 5. *in fin. h. t.* & §. 14. *Inst. d. Success. ab int.* Adrogati omnes & adoptati ab aliquo Adscendentium eodem modo sunt exheredandi vel instituendi, quo liberi naturales; ideoque præteriti jure nullitatis utuntur; sed ab aliis, qui hoc loco *extranei* dicuntur, adoptati impune silentio præteriri possunt. Usus differentiæ pendet ab usu vel inusu adoptionis; quam plerisque locis exolevisse, apud nos rarius quidem usurpari, minime tamen abrogatam esse diximus *in tit. de Patriâ potestate n.* 5.

38. Hæc

(*l*) Sicut Iure Iustinianeo remedia *Praetoria* omnia pro *Civilibus* habentur, effectibus antiquis manentibus; ita quoque *Bonorum* vetus *Possessio* nunc hereditas dicenda est, salvo tantum diverso temporum spatio, non vi *Edicti*, sed *legis* sanctione.

38. Hæc de liberis & de poſtumis, ſine differentiâ ætatis & ſexus, quod ultimum diſcrimen in §. 5. *h. & l. ult. C de lib. Præter.* ſublatum eſt, accipienda ſunt; adeò ut pueri quoque, poſtumique necdum nati, poſſint Exheredari hodièque, non modo jure noviſſimo Juſtiniani, ſed etiam moribus hodiernis.

39. Hoc Wiſſenbachius noſter capere non poterat, nec modo ut *παράδοξον* ſed ut *παράλογον* reſpuebat. Ita nos docebat, Jure Inſtitutionum, Digeſtorum, Codicis, impuberes & poſtumi poterant Exheredari, jure Novellarum non poſſunt, *diſput. ad Inſt. h. t. n. 9. & ad tit. ff. de vent. in poſſ. mitt. mirum eſt*, ait ibi, *Ius Civile talem exheredationem manifeſtè iniquam toleraſſe, hodiè ex juſtâ ingratitudinis causâ nominatim expreſsâ Nov. 115. c. 3. Exheredationem fieri oportet, in ventrem autem non cadit ingratitudinis cauſa, cui conſequens eſt, ventrem hodiè exheredari non poſſe.*

40. Non obſtante hac ratione, puto nec hodiè quidem aliter obtinere, quam quod Iure Veteri traditum fuit; infantes & poſtumos à parentibus inſtituendos eſſe vel exheredandos; ni alterutrum fiat, teſtamentum à poſtumis rumpitur agnaſcendo, ab infantibus nullum dicitur; ſi vero ſint exheredati teſtamentum valet tantiſper, dum per inofficioſi querelam reſcindatur.

41. Quod autem ingratitudinis cauſa, quæ hodiè requiritur, non cadit in poſtumos vel infantes, id efficit, ne de querelâ multum laborent, ut certo per eam obtineant hereditatem, & aliquanto certius quam olim. (*m*)

42. Veteres quoque Romani non ferebant, ut ſine causâ aliquis exheredaretur: id conſtat ex *l. 7. ff. de bonis damnat. l. 5. de Inoff. teſtam. l. 28. C. eod.* Sed hactenus teſtamenti tabulas, in quibus innocens exheredatus erat, valere volebant, dum querelâ judicialiter inſtitutâ eliderentur, non ut ipſo eventu bene meriti liberi opprimerentur. Atqui hoc ſenſu non eſt dubium quin hodieque recte dicatur, poſtumos, (ne rumpatur agnaſcendo teſtamentum) eſſe vel heredes inſtituendos vel exheredandos.

C A.

(*m*) Nullus vero hic *querelae* locus, cauſſa omni deficiente; *directe* igitur petetur hereditas, ſalvis tamen legatis, ceteriſque, *d. Nov. 115. cap. 3. fin.*

omnia scripta suum exitum habeant. (2)

5. Nititur hæc sententia falso fundamento, hoc uno, *quod Testamentum large sumpto vocabulo, sub se Codicillos comprehendit*, quod post Auctores à Sandiò productos etiam docet D. Schotanus in *Exam.* ad tit. *ff. Qui testam. fac. in pr.*

6. Probant id primo ex definitione Testamenti, *quod sit voluntatis nostræ justa sententia, de eo quod post mortem suam fieri velit*, *in l.* 1. *d. tit.* Quasi Jurisconsulti in ipsâ definitione jus testamenti confundere voluissent cum codicillis, quod abominantur §. 2. *Inst. de Codicill.* justa sententia significat solennibus legum requisitis conformem, *arg. rubr. & l.* 1. *ff. de injust. irr. test.* cujusmodi sensus non convenit Codicillo.

7. Adducit præterea *l.* 2. § 1. *ff. Quemadm. testam. aper. l.* 1. §. 2. *& seqq. ff. de Tab. exhib.* Ex quibus id nequaquam probatur. Absit, ut tam enormis confusio Juris antiqui conditoribus adscribatur, quæ si procedat, nullam vim habet hæc regula, *quod heredis institutio basis sit & fundamentum testamenti.*

8. Tamen hic error *Pragmaticorum* Ius apud nos fecit. Nam etiam meo tempore bis apud Curiam ex ejusmodi ultimis voluntatibus jus dictum est, quæ testamenta dicebantur in ipsis tabulis, & habebant septem testes, aliaque testamentis consueta, at sine ulla heredis institutione; semel in causâ *Tjalling Homme van Camstra in qualiteit cum soc. contra Edonem ab Eyssinga cum soc. Rursus*, in causâ *Rinse Abes cum soc. contrà Teye Idses ante Pascha* 1681.

9. Cæterum, caput de heredibus instituendis pertinet vel ad partes hereditarias, vel ad modum instituendi. De personis habemus Edictum de anno 1540. quod est insertum Statutis *lib.* 1. *tit.* 7. *art.* 6. non licere minoribus annis 25. donationem facere vel legatum relinquere rei immobilis, vel quo res immobiles graventur in perpetuum vel usufructu tenus, curatoribus suis vel administratoribus aut Inspectoribus (*Bewaarders*) nec eorum liberis aut concubinis, si quid ejusmodi relictum fuerit, id ipso jure nullum declaratur. (3)

10. Non prohibetur in hoc Statuto

(2) Hac de re supra egimus *lib. II. cap.* X. §. 25. (*l*)

(3) In Noviss. edit. Statutt. est *art.* 14. Vid. *Iurisp. Hod. lib. II. tit.* XXVII. §. 25. *seqq.* & Ampl. Auctoris progener Dom. Hamerster in Comment. saepius laudato ad *Statt. d. l.*

tuto heredis institutio sed titulus particularis; *gifte by testamenten*; quibus verbis legatum vel donatio mortis causa significatur §. 1. *Instit. de Legat.*

11. Igitur, si in hereditate nulla sint immobilia, certum est non prohiberi personas Statuto comprehensas scribi heredes, pecuniâque & omnibus rebus quæ moventur frui. Quid verò si & immobilia in hereditate reperiantur?

12. Si verba Statuti consideres, more loquendi juridico, non possunt de heredis institutione intelligi; quoniam hæc est universalis, *l.* 18. *in fin. d. hered. pet. l.* 24. *d. V. S. l.* 62. *d. R. I.* Tituli de quibus Statutum loquitur sunt mere particulares; *alle Giften by Testamente*, *Legaten*, *Giften by levende lyve*, *ofte in gevalle der doodt*.

13. Notum est, multa transire per universitatem, quæ sola non possunt alienari, ut est in *l.* 62. *ff. de A. R. D.* Unde videtur non sequi, Statutum prohibet quaslibet donationes testamento aut aliter; ergo & heredis institutionem; nam hæc sub donatione non comprehenditur.

14. Potest quidem opponi, hæc verba *alle Giften by Testamente*, poni seorsim à legatis & donationibus, ideoque sensum habere universalem & ad heredis institutionem pertinere: sed reponere licet; primò poni genus *alle Giften by Testamente*, omnes testamentariæ donationes; tum species enumerari, quæ sunt legata, donationes mortis causâ &c. ac ita institutio heredis adhuc excluderetur.

15. Hæc etsi probabiliter disputantur, vero tamen propius est, illis prioribus verbis significari quamlibet dispositionem testamentariam, adeoque si quis è personis hac prohibitione comprehensis, heres sit institutus, bona *immobilia* non obtinebit; nec aliter Sande *d. Decis.* 19. An & *mobilia*, hoc casu? Nihil video, quamobrem illa amittere debeat: nec enim utile per inutile vitiatur, & Testamentum pro parte valere, effectumque habere in materiâ Statutorum non est insolitum, ut Sandius docet *lib.* 4. *tit.* 8. *def.* 7.

16. Quæri potest, an sub voce *Curatorum* heic etiam contineantur *Matres*, quatenus sunt Legitimæ Curatrices bonorum quæ liberis competunt. Sandius remittit Lectorem ad Stephanum *decis.* 58. qui jam mihi non est ad manum. Sed nihil hærendum puto, quin ad matres hæc res non pertineat. Etsi enim plerumque verbum masculum etiam feminas complectatur, heic tamen secus est,

eſt, quia nomen *Curateurs* utrique ſexui non æque convenit, neque vocabulum *Administrateurs*; mulieres enim ad ejusmodi officia non eliguntur *l.* 1. *C. Quand. mul. tut. off.*

17. Imò Curatrices vel Adminiſtratrices Legitimæ nuſquam in Jure dicuntur, ſed Tutrices ſolummodo; nec uſquam extat Lex, quâ Matribus adminiſtratio bonorum, quæ ad liberos puberes ſpectant deferatur; ſed impuberibus tantum liberis præponuntur ſi velint, ita ut ne Tutela quidem publicum munus illarum reſpectu ſit. *l.* 2. *C. eod. tit.* moribus quidem adminiſtratio tempore pubertatis iis relinquitur, ſed non ideo ſub Adminiſtratorum nomine legitimo continentur.

18. Accedit reputatio cauſæ, quæ movit legiſlatorem ad hanc prohibitionem, quæ hæc fuit; quod minores magis *metu* & *reverentia* quam liberâ voluntate in favorem Curatorum ſuorum diſponere videantur; Inter matrem vero liberoſque tanta στοργῆς & affectus mutui pietas vertitur, ut ſiniſtræ ſuſpicionis nulla cauſa relinquatur.

19. Verbum *Bewaarders*, quod ſequitur vocem *Curateurs*, reddidimus per *inſpectores*, ut ſint quorum inſtitutioni cuſtodiæque juniores commendati fuere, quales ſunt Præceptores, Pædagogi atque magiſtri, inquit Sandius *lib.* 2. *tit.* 9. *def.* 19.

20. Quid igitur, an quilibet Præceptores atque Magiſtri adoleſcentum ſub hac prohibitione continentur? Mihi nec verba nec ratio ita ferre videntur. Non verba; quia nomen *Bewaarders*, Cuſtodum, non ſignificat Præceptores ſimpliciter, ſed eos, qui adoleſcentes in peculiarem cuſtodiam acceperunt, ſive in contubernium, ſive in ejusmodi inſpectionem, qualis eſt ea, de qua loquitur Lex Academiæ Franekeranæ XLV. *Profeſſores, quibus commendati erunt juniores, eorum inſpiciant mores & ſumptus; nec ſine autographis horum pecuniam Studioſus mutuator, aliusve huic mutuo fænorive dato.* Reliqui Profeſſores aut Magiſtri, qui ſimpliciter juventuti inſtitutionem impertiuntur, ſub nomine *Cuſtodum* non videntur comprehendi, maximè ſi opera generalis ſit, quam pluribus ſimul impendunt, ut fit.

21. Ratio quoque non videtur admittere, ut qui nihil aliud faciunt, quam præceptis eloquentiæ ſapientiæque juvenes reddere meliores, hac lege notari videantur, quaſi heredipetæ & legatorum captatores. Aliter Regulus ad

ad Nicostratum præceptorem scripsit; *quoniam*, inquit *& cum patre meo semper fuisti, & me eloquentiâ & diligentiâ tuâ meliorem reddidisti, dono tibi &c l. 27. ff. de donat.*

22. Sandius *in d. defin.* hanc legem vult accipi, de casu, quo jam donatarius Præceptor esse desierat; verum hoc non liquet. Regulus erat juvenis, ut ait Papinianus, & vox præteriti temporis *reddidisti* utique etiam de institutione adhuc durante potest intelligi; plane ejusmodi præceptores, qualis ibi Regulo fuisse scribitur, non videntur in hoc Statuto denotari.

23. Sed Pædagogi domestici, duces peregrinationum, Professores qui Studiosos in contubernium accipiunt, & denique inspectores ejusmodi, quales in Lege Academiæ nostræ demonstrantur merito sub titulo *Custodum* intelligi videntur.

24. Additur; *ofte andere beure Administrateurs.* Quales illi? num minor alios potest habere administratores quam Curatores suos? potest primô, si veniam ætatis impetraverit, tunc enim Curâ liberatur, & absentiæ causa, vel aliter, si velit, res suas alii administrandas dare potest.

25. Quid ergo, an & is qui *veniam ætatis* impetravit huic constitutioni subjectus erit? nonne, sicut ille in omnibus pro majore habetur, ita etiam heic minorum numero jurique videbitur exemptus? non videtur.

26. *Primò*, quia venia ætatis nihil aliud tribuit, quam ut minores patrimonia sua gubernare possint, *l. 3. in pr. C. de his qui ven. æt.* Est διοικεῖν, inter vives administrare, venia nihil ad testamenti factionem pertinet, quæ inde à pubertate libera fuit. II. In alienatione rerum immobilium venia ætatis non adjuvat adolescentes; heic autem de immobilibus alienandis agitur. III. Statutum nominans alios administratores, vel maxime ad eos qui constituti sunt ab his, qui veniam obtinuerunt, spectare videtur, cum minores plerumque non habeant nisi Curatores. (4)

27. Possunt tamen & alii administra-

(4) Et ita Auctor, item Ampl. Hamerster *dd. ll. in Jurispr. Hod. & in Comm. ad Stat.* Mihi vero tantorum pace Antistitum uno uti dubio hic liceat, *verba* nimirum *cum effectu accipi*; ut adeo fungentes cum maxime, non functi, intelligi debeant, eorumque tum uxores, tum liberi; certe in istos etiam solos quadrat *ratio*, ipsimet Auctori allegata, *sup.* §. 18. *metus* nempe, & *reverentia*; item *blanditiae* libertati noxiae.

nistratores esse minorum; veluti, cum quis adolescentem fecit heredem, & bonorum quæ reliquit ei, proprium statuit administratorem, quâ de re vide Sandium *lib. 2. tit. 9. def. 11.*

28. Sequitur in Statuto, *ofte van bare Kinderen*, quæsitum fuit, an & liberi emancipati hoc loco sub nomine *liberorum* contineantur, Ratio dubitandi, quod ex donatione factâ liberis emancipatis, patri nihil acquiratur, cum filiosfamilias facta donatio Patri usumfructum præstet. ita Cujacius sentit *Consult.* 41.

29. Sed rectè Curia nostra censuit, ex eo, quod in Statuto minimè expressum est, non licere generalitatem infringere verborum; præsertim quia non deest alia ratio, liberis emancipatis, perinde ac suis conveniens, *affectus paternus*, quo non minus pater emancipatis vult consultum ac filiisfamiliarum; unde par libertati minorum in testándo periculum, quo Statutum sine dubio respexit. Sand. *l. 2. tit. 9. def.* 20.

30. An & nepotes sub voce *Kinderen*, heic loci comprehendentur? non est de nihilo quod Gœddæus ad *l.* 84. *d. V. S. n.* 2. tradit, verba *Kinderen*, & *Zonen* en *Dochters*, ita differre, sicut in jure Latino *liberi* ac *filii filiæque*. Liberi vero comprehendunt nepotes, filii non æque, §. *ult. Inst. Qui testam. Tut. l.* 120. *d. V. S.* imo & filii quandoque nepotes continent, *l.* 84. *l.* 201. *l.* 220. §. *ult. d. V. S.* secundum hæc sub liberis etiam nepotes intelligendi forent. (5)

31. Et quidem Jure linguâque Romanâ non minus id obtinet in pœnalibus, quam in favorabilibus. Ita Sctum, quo tutor pupillam filio jungere prohibetur, etiam locum

(5) Alia atque alia *liberorum* in Iure adpellatio est, pro materiae diversitate. Ita in verbis ultimarum voluntatum, in tutelis v. gr. testamentariis, & in Iuris veteris exheredationibus, sub *liberis* non continentur *Postumi*, § *ult. Inst. Qui testam. tut. iunc. l. 6. D. de Testam. tut. & rubr. tit. D. de Libb. & postum.* strictae enim vocum propriaeque notioni hic studemus, quodque non diserte est expressum, non lege testamenti, sed Iure communi regitur, *l. 7. D. de Sup. leg.* In aliis vero caussis secus est, veluti in hereditatibus legitimis, in bonorum possessionibus, item exheredationibus Iure novo, *sup. cap. praec.* § 33. (*k*) denique in beneficiis, aliisque iuribus personarum, *l. 7. & pen. D. de Statu hom.* Quid? anne igitur & nostrum hoc Statutum ad *Postumos* porrigendum? Silet Huberus. Ego non dubito. Eadem enim in illis ratio, & saepe maior, quam in iam natis. Finge, *patrinum*, vel *matrinam* destinari, qui quaeve sub cura vel custodia est, lustralis doni emulgendi caussa; ut alia reticeam.

cum habet in nepote, *l* 59. *ff. de rit. nupt.* Commissum hereditatis, in quod incidit mater, quæ non petit tutorem liberis, locum etiam habet respectu nepotum, *l.* 2. §. 28. *ff. ad Sc. Tertull.* Sctum Macedonianum, quod prohibet filiosfamilias ex pecuniâ mutuâ obligari, extenditur & ad nepotes, *l.* 14. *ff. de Sc. Maced.*

32. Curia tamen nostra fuit olim in hac sententiâ, proprietate vocabulorum, *Kinderen*, non significari *Kindskinderen*, & ideo ad tollendam dubitationem, qui vult etiam nepotes complecti, operam dare debet, ut id verbis exprimat, Sand. *lib.* 4. *tit.* 5. *def.* 10. Adeoque potius est, ut vox *Kinderen* ad nepotes extendi non videatur.

33. Quò magis id in nostro Statuto ita accipiendum sit, facit, quod libertas testandi per hanc Constitutionem restringatur, cujus cum maximus favor sit, *l.* 1. *C. d. SS. Eccles.* non videtur faciendum, ut lex quæ illam coarctat interpretatione producatur: præter quod hæc Constitutio a Jure Civili diversa est, quo Curatorem licet heredem instituere, *l.* 28. §. 10. *ff. de liberat. leg.* sufficiente adversus vim dolumque lege, quae testamentum jubet esse nullum, si quis deceptus vel coactus sit ad testandum, *l.* 1. *C. si quis aliq. test.* Proinde, si quid minor Curatori suo reliquerit, id valere videtur. (6)

34. Unum mirari licet, quod in fine adjicitur, *ofte beure Concubinen*, nullâ uxorum mentione factâ, contra quas tamen eò major erat ratio, quo sanctior & arctior est affectus Curatoris erga legitimam conjugem, cujus respectu minori facilius erat insidiaturus, quam in gratiam concubinæ, præter quod uxores ipsæ Curatorum, sæpe non minus adolescentes adultasque habent in potestate, quam viri.

35. Accedit quod concubinæ in Frisia sunt rarissimæ; scilicet mulieres, quæ domi habeantur uxorum instar, sine titulo & dignitate uxorum, quomodo Concubinæ finiuntur. Nescio an absurde

(6) Ex ratione iam adlata *contrarium* dicendum est. Certe non ad familiam *accipientis*, sed solius utilitatem *dantis* Statutum respicit, ipsomet profitente auctore, *sup.* § 29. Ecquid vero interest, *nepos* Curatoris, an *filius* sit, in quem collata minoris liberalitas? quam tamen omnem, ut minori noxiam, prohibitam videmus. Et nonne idem in *nuptiis* pupillarum adultarumque cum suis quondam tutoribus, & curatoribus, omnibusque horum qui potestate continentur? *l. C. de Interd. matrim. &c.*

surde dixeris, eo tempore quo lex ista lata est, scilicet anno 1540. adolescentes crebrò commendatos fuisse *Sacerdotibus*, qui fere concubinarii erant. (7)

36. Quicquid sit, ut lex scripta est, ita nihil dubitandum, quin prohibitio ad uxores non pertineat. Indignum enim & absurdum foret, sub nomine Concubinarum uxores justas complecti, idque in constitutione pœnali & derogatoria Juris communis. Ideoque & à Curia probata est heredis institutio, qua minor honoraverat Curatoris sui uxorem. Sand. *l.* 2. *tit.* 2. *def.* 19. (8)

37. Est hoc exemplum ejus, quod in legibus interpretandis est servandum; ut tametsi mirum hoc & rationi adversum, quia tamen lex ita scripta est, standum sit verbis legis, *l.* 12. §. 1. *ff. Qui & quib. manum.*

38. In fine Statuti habetur sanctio; *Sullen wesen nul en van onwaarden.* Id est, dispositiones pro non scriptis habebuntur; ideoque *fisco* non vindicantur, ut fit in his, quæ ut indignis auferuntur, sed manent penes heredem scriptum, vel si nullum sit testamentum, penes heredes ab intestato, *l.* 3. *in pr. de his quæ pro non scrip.* (9)

39. Quod si clam personis in hac lege prohibitis aliquid in testamento relinquatur, tum fisco locus foret, secundum *l.* 1. *ff. de jure Fisci.* nec id mutatum Jure vel more Frisico; tametsi rarius accidat, ut fiscus hoc jus urgeat apud nos. Videatur Sandius *lib.* 4. *tit.* 4. *def.* 5. *vers. Et postea.* Rursus hac de re videbimus in *tit. de Legatis.*

40. Pertinet etiam ad hoc caput quod ante hac intelleximus è *tit.* 1. *Statut. lib.* 1. *n.* 6. *&* 7. si quis filiamfamilias minorem annis 20. duxerit in uxorem, vel si qua nupserit filiofamilias annis 25. minori, eum eamve non posse heredem scribi à conjuge, ne quidem si pater post concubitum adhibuerit consensum, secus si ante co-

(7) Superius hac de re egimus *tit. IX.* § 22. (12)

(8) Immo contra, tum ob analogiam, tum disertam *Vxorum* mentionem in Statutis Noviss. *d art.* 14. Et ita quoque ab Ampl. *Zacharia* editum in *Iurisp. Hod. lib. II. cap. XXVII.* § 32. & Illustri Hamersterrio observatum est in *Comm. ad Stat. d. l.*

(9) Videri possunt, quae de *Ereptitiis*, *Caducis*, & *Ademtis* monui, *lib. I. Lect. Iur. Civ. cap.* 26. *& in Omiss. p.* 280. Conf. sis Illustrem Lynckerum in *Diss. de Bonis Ereptitiis.*

copulam carnalem ratum habuerit matrimonium *d.* §. 7.

41. Idem quod ad heredis institutionem attinet, constitutum est in eos, qui puellas sub Curatoribus agentes, illis invitis aut ignaris, duxerint; vel qui adolescentes Curæ subjectos in matrimonium pellexerint §. 10. idque sine discrimine ætatis: sed ratio vult, ut quod de ætate filiorum filiarumque familiarum antea scriptum est, hic ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetatur, & adolescentibus adultisque applicetur; atque ita censuit Curia, & in foro servatur, teste Sandio *lib.* 2. *tit.* 1. *def.* 7. posteaque sæpius & constanter ita judicatum est.

42. Convenit hoc cum eo, quod Iure Civili institutum est, propter illicitum matrimonium nihil capi posse ex bonis viri vel uxoris, neque è testamento adiri posse hereditatem, aut peti bonorum possessionem, *l.* 1. *ff. unde vir & ux. l.* 13. *l.* 14. *d. his quæ ut ind. l.* 27. *d. usufr. leg.* atque ejusmodi hereditates fisco vindicantur, *exceptis tam viris quam feminis, qui errore non affectato, neque ex vili causâ decepti, ætatisve lubrico lapsi sunt*, *l.* 4. *C. de Incest. nupt.* Sand. *lib.* 4. *tit.* 4. *def.* 5.

43. Hæretici & Apostatæ Jure Civili non possunt etiam heredes institui, sicut nec facere testamenta *l.* 4. §. 1. *l.* 5. *de Hæret. l.* 3. *C. de Apostat.* Hæreticorum autem vocabulo continentur, *qui levi argumento à judicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare*, ut Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodosius definiunt *l.* 2. *C. de Hæret.* §. 1.

44. Tam rigidi non sunt mores nostri, nec in haereticis definiendis, nec in pœnis infligendis. Sane testamenti factio activa vel passiva religionibus non distinguitur, singularum utique personarum respectu; in Collegiis secus est; hæc enim jure personarum non fruuntur, nisi permissa legibus & recepta publicè, *l.* 1. *l.* 3. *& t. tit. ff. de Colleg. & corp.*

45. Ne quidem pauperibus hæreticorum hereditates aut legata relinqui posse, diximus in *lib.* 1. *cap. ult.* ubi & distinctio inter Collegia Religionum prohibita, permissa, tolerata; quæ ad hunc locum pro repetitis habenda sunt. (10)

46. Quod

(10) Alia est *publica*, sive dominans, apud nos Reformata, sive Dordracena; alia est *permissa*, veluti Lutherana, Remonstrantium, & Mennonitica; alia *tolerata*, qualis Romano-Catholica, & Congregationalis, item Quakerorum; alia denique *pro-*

46. Quid tamen adversus eos, qui capita Christianis omnibus credita, de Christo æterno Deo, & Spiritu Sancto, de solutione Christi pro peccatis mundi, similiaque præfracte negant, in contradictorio statuendum foret, non habeo adseverare. Credo tamen nostrates in hac sententia esse, Rerum divinarum persuasionem nihil commune habere cum acquisitionibus rerum & usu commerciorum, quæ fiunt inter vivos & mortis causâ. (11)

47. Pontificii soli, quia non creduntur amici esse præsenti statui Reipubl. & acrius in dissentientes animantur, paulò diligentius circumscripti sunt, placito Ordinum *d.* 10 *Decembris* 1655. quo prohibetur, ne quis testamento disponat in favorem personarum, sive marium seu feminarum, quæ ulla professione Ecclesiastica Pontificiæ religioni devinctæ sunt; *Geestelyke*, *Kloppen*, *Nonnen of andere Paus-gesinde Geordende Personen.*

48. Si fiat, dispositio nulla declaratur, decerniturque bona pertinere ad eos, qui secundum jus & mores Frisiæ in casu mortis ad ea jus habere deprehendentur, *aan de genen die na Costume en Rechten van den Lande*, *by versterf*, *daar toe soude mogen wesen gerechtigt.* (12)

49. Hinc quæsitum est, si legata relinquantur ejusmodi Pontificiis hominibus professis, utrum ea maneant penes heredem scriptum, an ad heredes ab intestato pertineant. Dixerim, penes heredes scriptos remanere; quia sic Iure communi cautum est, legata quæ personis incapacibus palam relinquuntur, penes heredem scriptum manere, si testamentum existat; deficiente testamento, ad heredem ab intestato, *l.* 3. *in pr. ff. de*

probibita, sicut Jesuitica & Sociniana. Vid. *Iurisp. Hod. lib. I. cap. IV.* § 47. *seqq.* De tolerantia diversarum Religionum peculiari opusculo disseruit Vir Summus, *Iust. Henning. Böhmerus*, ut alios praeteream.

(11) Ita est, quod ad *Vnitarios*, incolas nostros, non dogmatizantes; *Exteri* vero, aliique Conventiculares, perpetuo exilio, Ordinum placitis, proscribuntur. Vid. *Pleidoy over Deurbofs Job*, *p.* 20. *seqq.* Memorabile exemplum hominis Sociniani, a Curia absoluti, in *Prael. Pand. tit. de Extr. Crim.* § *ult.*

(12) Vid. Statuta *lib. I. tit. XVI.* § 6. *sqq.* Conf. Placita Ordinum Traiect. apud Ampl. van de Water, *tom. I. p.* 405. *seqq.* Neque abludunt leges Hollandorum, aliorumque Belgarum Foederatorum, apud Ampl. Praes. van Bynkershook, *lib. III. Quaest. Iur. Priv. cap.* 1. & 2.

de his quæ pro non script. nec enim heres legitimus quicquam juris habet, ubi extat vel speratur heres è testamento, *l. 39. ff. de Acquir. hered.*

50. Nec obstant verba, superius posita, quia non nisi generalia & ad dispositionem juris communis relativa sunt. Testamentaria successio non minus Iuri moribusque Provinciæ consentanea est, quam utique legitima, & verbum, *by Versterf* Pertinet ad casum mortis testatoris, & respicit eum, qui tempore mortis habebit jus in hereditatem defuncti.

51. Eodem edicto cautum est, ne parentes Pontificii liberos orthodoxos minori ex parte heredes instituant, quam quibus plurimum relinquunt, nisi parentes alias graves causas Judici probare queant, sufficientes ad ingratitudinis notam atque pœnam. Non abludit ab hac parte, quod habetur in Græcâ constitutione, Justiniani an Justini, *l. 13. §. 1. C. de Hæret. Orthodoxi filii hæreticorum, qui nihil deliquerunt in parentes, illibatum accipiant & indeminutum, quod eis ab intestato competit, & adversus hæc facta ultima voluntas infirmatur, &c. Si vero quid deliquerint in parentes, accusantur & puniuntur.*

52. Imo liberi, pontificiis ordinibus religiosis addicti, heredes à parentibus scripti, legali fideicommisso quasi gravati intelliguntur, quo bona proximis suis agnatis & cognatis post mortem suam restituere coguntur, vers. *ende belangende.*

53. Est & aliud singulare in eodem Edicto. Quae collegis Pontificiis sub arcano fideicommisso relinquuntur, ea secundum Ius commune redigenda forent in fiscum, *citatâ l. 1. ff. de jur. fisc.* ex hac constitutione pertinent ad heredes legitimos, quibus fideicommissarii isti prohibiti inventarium exactum, omniaque instrumenta, fide jurata tradere debent, sub pœna quadrupli ejus quod suppresserint, inter delatorem, pauperes & fiscum dividendi, & infamiæ, cum pœna insuper extraordinaria. Quod etiam ipsis proprio nomine relictum fuerit, similiter ad heredes ab intestato pertinet, cum usuris & fructibus; *vers. om alle andere quaadt &c.*

54. Præterea inter incapaces personas Iure Civili habentur etiam liberi perduellium, quem rigorem, utpote rationi æquitatique contrarium, multi volunt obsoletum esse vel abrogandum, quos vide apud Ant. Matthæum *Disp. fin. de Success. n. 15.* Verum sola ratio & æquitas Interpreti vel Judici

ei non potest auctoritatem præstare, leges claras & certas habendi pro abrogatis, ut sæpius observatum est.

55. Habuimus, quod de personis heredum Iure nostro singulare proditum est. In articulo de partibus hereditariis tanta copia non est. Primo quidem solennis distributio assis in duodecim uncias more linguaque nostra non habet usum, sed testator in tot partes hereditatem dividit quot ipsi veniunt in mentem; ut alioqui Iure Civili potest etiam facere, si velit §. 5. *in fin. Inst. de Hered. inst.*

56. Vix est igitur, ut hodiè locus sit quæstionibus, quæ in §. 6. 7. 8. *Inst. d. tit.* tractantur, scil. quid juris sit, cum testator quasdam partes assis reliquit vacuas, aut ultra assem multiplicavit. Imo verò etiam suo modo possunt usu venire. Quid enim si quatuor scripserit heredes è parte tertiâ singulos, vel tres è quartis; Quid si insuper aliquem sine parte scripserit, nonne juris idem erit, quod *in dd.* §. §. à Justiniano exponitur?

57. Is regulam ponit fundamentalem, quod nemo pro parte testatus & ex parte intestatus decedere possit; nisi sit miles, cujus sola voluntas in testando spectatur §. 5. *d. tit. l.* 7. *ff. de R. J.* Reliqui cives legibus obligati sunt, quibus ita constitutum, heredis institutionem esse titulum universalem, heredemque repræsentare defunctum, ita ut pro unâ eademque personâ habeantur; non posse pro parte heredem scribi; debere testatorem ita inducere in animum, ut vel de omnibus suis bonis disponat, vel omnia legis ordini relinquat. & hæc sententia in foro Romano sic invaluit, ut in naturam disciplinæ verterit, earumque rerum naturaliter inter se pugna credatur esse, testatus & intestatus, ut ait Pomponius *in d. l.* 7. (14)

58. Adversus hæc Groenewegius ad §. 9. *h. t. Generali consuetudine passim receptum ait esse, ut unicuique partim testato, partim intesta-*

(13) Quam perperam vulgo *lex Quisquis*, 5. *C. ad l. Iul. mai.* de vero perduellionis crimine, eiusque poena, a Pragmaticis capiatur, *Iac. Gothofredus*, & *Cl. Gundlingius*, peculiaribus diatribis ostenderunt. Quid? quod biennio post, ab iisdem Impp. ea abrogata rursus fuerit, *l.* 22. *C. de Poenis.*

(14) Non unam tamen speciem occurrere, qua simul utroque Iure, testamento nempe & lege, succedi soleat, vel ex *l.* 14. *D. de Transact.* notum est, cum *l.* 3. eiusd. *tit.* a me conciliata, *lib. II. Lect. Iur. Civ. cap.* 6.

testato decedere liceat, idque multâ auctoritate Scriptorum variarum gentium confirmat; quibus ita videtur, subtilitates Iuris Romani, quæ nullum aliud æquitatis fundamentum, nisi quod ita veteribus placuit, habent, moribus hodiernis negligi. (15)

59. At sæpe dictum & approbatum est, in Frisiâ quælibet Iuris Romani capita certa & indubitata, neque rationi contraria, vel Statutis abrogata, valere servarique: & inter ea numerandam esse hanc regulam, nullus dubito; non dubitat etiam Herbajus noster, qui de *Rebus usu quotidianis* scribens, eam positionem pro fundamento totius disputationis, quam habet in *cap. ult.* tradit & usurpat.

60. Hinc nihil ambigendum, si quis duos heredes è triente scripserit, quin idem sit, ac si duos è semisse scripsisset, vel si unum è semisse, alterum è quadrante, perinde est, ac si primum è besse alterum è triente fecisset heredem, juxta doctrinam §. 7. *Inst. b. t.* ex quo sic ait Herbajus, in *d. cap.* Si *qua pars assi desit*, *ea omnibus heredibus pro portionibus hereditariis accrescit.* Nec audiemus ideo Voetium adfirmantem in *comment. ad d.* §. 7. *n.* 4. moribus hodiernis cessare *jus accrescendi.*

61. Ex eadem ratione sequitur, eum, qui ex rebus certis heres institutus est, detractâ rei certæ mentione, heredem ex asse videri, perinde ac si rerum mentio facta non esset, §. 3. *Inst. Quib. mod. testam. infirm.* §. 1. §. 4. *l.* 9. §. 13. *l.* 10. *ff. de hered. instit.* Sicut etiam, si quis plures è diversis partibus scripserit, perinde erit, quasi sine partibus scripti fuerint *d. l.* 9 *&* *l.* 10. tradente rem hanc ut quotidianam, hoc est, moribus nostris usitatam Herbajo, *d. cap. ult.*

62. Quod si Testator disertis verbis prohibuerit, ne scriptus heres plus quam partes aut res expressas haberet, ἀποτομία, id est, abrupta juris Romani subtilitas, vult nihilominus, ea accrescere cuncta per *l.* 55. *ff. de Legat.* 1. sed difficile dictu est, tantum rigorem seculo nostro ferri posse, ideoque tanquam ex argumento Iuris Romani concedendum credimus in sententiam Viglii nostri *ad. d.* §. 5. cui Bachovius etiam sub-

(15) Verum recentior haec Iurisprudentia non aliunde, quam ex vulgari Doctorum axiomate arcessi debet, *omni testamento*, *licet expressa non sit*, *tamen tacite clausulam codicillarem inesse praesumi.* Vid. *sup. cap.* X. § 25. (*l*) & § 4. *hui. cap.*

subtilissimus *ibid.* adsentitur.

63. Ea haec est; scriptum quidem heredem vi juris ex asse heredem fieri, sed respectu voluntatis testatoris eum cogi ad restituendum partem iis, in quorum gratiam testator eum parte designata contentum esse praecepit, qui sunt heredes ab intestato, *arg. l. 69. in pr. ff. de legat.* 2.

64. Hoc temperamentum minus dubii habet, si testamento adjecta sit *clausula codicillaris*, utpote, cujus haec vis intelligitur esse, ut heredem scriptum quasi fideicommisso onerare videatur, ad implendum voluntatem, quae directè per leges effectum habere non poterat, ut infrâ videbimus *lib.* 4. *tit.* 2. *def.* 2. (16)

65. Sed an vi hujus clausulae non tenebitur heres, scriptus ex re vel parte certâ, reliquam hereditatem indistinctè proximis cognatis restituere? Non videtur, nisi appareat Testatorem enixè voluisse, ne scriptus heres plus quam testamento dictum est obtineret; nam alioqui cum heredis institutioni certae partis aut rei mentio adjecta est, censeri potest negligenter & abundanter adjectum, nec aliter velle testatorem, quam quod Ius commune dictat. Etenim *jus accrescendi* nititur etiam tacita voluntate defuncti, qui partes vacantes creditur potius delatas voluisse heredi scripto, quem nominavit, quam iis, quos nulla mentione in supremis tabulis honoravit, ut apparet è doctrina juris accrescendi, quae traditur in *l. 1. C. de Caduc. coll.*

66. Plane, si dixerit, se reliqua bona legitimis heredibus suis relinquere velle, tametsi non usus sit titulo *institutionis*, non est tamen dubium, quin illis jure debeantur; quoniam recentiori Iure qualiacunque verba, testatoris animum satis explicantia, sufficiunt ad effectum heredis institutionis, *l. 15. C. de hered. instit.*

67. Quod etiam diximus, rei certae mentionem videri posse ex abundanti adjectam, non habet locum, si testator accuratè sollicitèque res certas enumeraverit; sicut factum erat in testamento *Friderici de Verwou*, super quo non ita pridem disputatum est inter *Bernardum à Coenders & Heronem ab Ockinga*, Viros praenobiles; & restricta quidem fuit institutio ex rebus certis, ad eas res tantum; At cum decisioni non interfuerim, dicere nec habeo, quid Amplissimum Ordinem moverit,

(16) Haec omnia sub finem deficiunt. *Inf. cap. XVI.* § 19.

verit in eâ facti specie; nedum ut inde colligere liceat, displicuisse regulam Iuris Civilis fundamentalem. (17)

68. Transeamus ad *modum institutionis*, qui potissimum in conditione, vel in die spectatur. Quod attinet ad conditionem, bene habet, quod pragmatici nostri Iure Civili hac parte contenti sunt, ut testatur, pluribus ὁμοψήφοις citatis, D. Voetius ad §. 11. *Inst. h. t. n. 2.*

69. Non tamen ita visum plerisque, si conditio sit *impossibilis*, qualis est, si cœlum digito tetigeris, si Oceanum ebiberis; volunt enim vitiari heredis institutionem, ut idem testis est, cum Iure Civili impossibilis conditio pro non scripta habeatur, institutione heredis illibatâ, *d.* §. 10. *Inst. l. 1. l. 6. l. 20. ff. de condit. inst.*

70. Groenewegius *ad* §. 10. *d. tit.* solenne suum, *abrogandum censeo*;

(17) Omnis haec disputatio *a favore ultimarum* pendet *voluntatum*, qui maior multo est recentiori, quam antiqua lege, *arg. l. 1. C. de SS. Eccl. iunc. §. ult. Inst. de Fideic. hered. & Nov. I. cap. 1.* Certe veteri in Pandectis Iure, duo pluresve, e rebus certis heredes scripti, semper Iuris auctoritate *coheredes* sunt, rebus istis in legata velut praecipua, sive *praelegata*, conversis. Et, si unus eorum in re certa institutus sit, ceteri simpliciter, vel ex parte quota, idem necessario dicendum est; quippe quod ad *heredis* titulum, iusque hereditatis consequendum, nullis bonis opus videatur. Sine *rebus* esse hereditas potest, sine *iure* esse non potest. Ponamus, unum e *mobilibus*, alterum ex *immobilibus*, institutum esse; *incorporalia*, cum neutro vocabulo contineantur, utriusque erunt coheredis, una cum Iuris hereditarii effectibus omnibus. Vid. *l. 1. §. 4. l. 9. §. 13. & l. 35. pr. D. de Hered. instit. & l. 86. pr. de Leg. 2.* Praxin sæpe contrariam Auctor observat sequiturque in *Praelect. ad tit. Instit. de R. D. §. 2.* cui & Thomasiana Scholia tandem suffragantur. Mihi tamen secus videtur, praxinque illam erroneam esse nullus dubito. Quaeso enim, numquis sanus *Nomina*, credita nempe, *actien en crediten*, quae neque mobilium neque immobilium sunt accessoria, alterutro genere comprehendi, intelligique dixerit, contra vocum illarum in Iure proprietatem, tam religiose in testamentis servandam? Vid. *sup. ad* § 30. *not.* (5) Ita Iure antiquo. Imperatores vero, maxime Christiani, & Iustinianus in primis, non solum sine testamento valere Codicillos voluerunt, sed *fideicommissa* quoque omnia, & proinde *legata* quoque, etiam sine Codicillis, solo testatoris rogatu, relinqui posse voluerunt; immo ad hereditatem, ne ultima periret voluntas, legatarios quoque, & quemcunque alium certo ordine, ac modo, admittendos censuerunt, *dd. ll.* Vid. Balduinus in *Comm. ad Nov. I.* Hisce omnibus Pragmatici Codicillorum praesumtionem, uti plus semel diximus, liberaliter adiecerunt; ex quo etiam fonte omnia, quae Auctor hic memorat, derivanda esse, nemo non videt. Ceterum quibus in foris ista praesumtio exulat, alia quoque omnia obtinebunt. Sup. *hoc cap.* § 4. & *lib. II. cap. X.* § 25. *not.* (*l*)

seo, inculcat, haud tamen sine ratione; *nam cum omnis suprema voluntas interpretari*, sic ait, *debeat & soleat*, secundum id quod verisimilius est sensisse testatorem, cujus sola voluntas in conditionibus primum locum obtinet, in *l. 19. in pr. d. condit. Inst. ideo hujusmodi institutionem pro ridicula & nulla habendam censeo.* Addit ex Grotio *l. 2. cap. 18. n. 32.* quia *Romani in cæteris quoque causis intellexerunt, impossibiles conditiones id quod agitur reddere nullum*, §. 11. *Inst. de Inutil. stipul.*

71. Bene est, quod in hoc articulo præeuntem habeo D. Voetium *ad d.* §. 11. *n.* 1. qui sic disserit, ut de Moribus idem, quod de Iure Romano judicandum esse putet: nam, inquit, *cum Romani heredem excusari voluerint, si aut non fecerit, aut fieri non curaverit quod erat injunctum, & per naturam impossibilis conditio per modum faciendi, dandi, præstandi*, non possit impleri, *necdum satis dispicere possum, quo jure, licet non existat impossibilis conditio, à petitione hereditatis repellendus sit heres, l. 13. ff. de condit. inst. &c.* Addit, *ut quamdiu nec rationibus justis, nec rebus perpetuo, vel ut plurimum similiter judicatis convincar, in Iure Romano merito acquiescam. val, zal.*

72. Nos similiter in rebus constanter eodem modo judicatis contrâ Iuris Latini sententiam ita acquiescimus, ut secundum eam praxin fori regendam esse fateamur; *constanter* inquam; τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς; *quod semel aut bis accidit*, non facit jus, *l. 6. ff. de LL.* Rationem hactenus contrà Ius Romanum ad praxin faciendam admittimus, si quid bonis moribus aut religioni adversum in legibus antiquis reperiatur; alioqui rationibus contendere adversus dictata legum, est ex Iurisprudentiâ philosophiam facere, id est, ex certa scientiâ rixosam & incertissimam. Ubicunque igitur Jus Romanum valet ut Ius, ibi quod Neratius scripsit in *l. 21. ff. de legibus*, servandum fuerit; *Rationes eorum quæ constituta sunt inquiri non oportet: alioqui multa ex his, quæ certa sunt, subvertuntur.*

73. Tamen hac in parte non deesse rationem, uti vix unquam, bene Voetius demonstravit: sed dissentientes volunt, hanc definitionem pugnare cum voluntate testatoris, quæ tamen in testamentis utramque facit paginam. Id igitur videndum, utrum magis alienum sit à voluntate testatoris, ut conditio impossibilis nulla sit, an ut heredis institutio, cui adjecta est impossibilis conditio, vi-

tietur? ICti veteres prius crediderunt. Testator condit supremam voluntatem *nunquam redituro arbitrio*, forte in extremis agens, sine dubio de exitu è vita cogitans, vocat septem testes, rogat eos specialiter velint attestari, cuncta solennia, quæ nusquam majora, religiose servat; adspersit in tabulis testamenti conditionem naturâ impossibilem; pone jocandi gratiâ fecisse, ut sunt hominum ingenia quorundam; nunquid hic lusus verborum innocuus faciet, ut reliqua omnia, tam graviter, tam prolixè serioque ordinata, collabantur? nonne probabilius & civilius est, cum duntaxat impleri noluisse, quod nullo modo fieri posse sciebat? (18)

74. Quod autem in *Contractibus* iidem ICti voluere, conditiones impossibiles vitiare totum negotium, inde repugnantiam ipsorum inter se arguere vanum est. Nam adeò ineptos fingere velle conditores gravissimæ artis, ineptiæ absolvi non potest. In contractibus non adhibentur solennia, non convocantur, non rogantur specialiter testes, non versatur ob oculos mortalitas; quæ res in testamento cumulant præsumptiones, quod Testator minime voluerit, nihil agi. Præterea in contractibus duorum voluntas conjungi colligarique debet, ut obligatio nascatur; sed promissio & acceptatio impossibilis conditionis vinculo non possunt copulari atque in unum jungi: ideoque in nullitatem abeunt; Ita fere in *l.* 31. *ff. de oblig. & Act.* ratio hujus sententiæ redditur; *Quia in eá re, quæ ex duorum pluriumve consensu agitur, omnium voluntas spectatur; quorum proculdubio in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existiment, appositâ eâ conditione, quam sciunt esse impossibilem.*

75. Est & hæc ratio, in Contractibus non injungitur alteri partium, ut faciat quod impossibile est, sicuti fit in testamento; quare cum summo judicio veteres JCti sic docent, impossibilem conditionem explicari semper in favorem ejus cui injuncta est, quoniam ei non potest imputari, quod in implenda conditione defecerit. Ubi hæc ratio cessat, ibi intel-

(18) Impossibilis conditionis in Testamento *nullitatem* idem favor, quem dixi, expressit. Reapse enim non vult qui impossibile vult. Atque ita in pactis, ceterisque negotiis *Iuris Gentium* omnibus; in *Civilibus* vero caussis, mutuo consensu non indigentibus, quales sunt ultimae voluntates, contraria placuerunt omnia.

intelligunt, conditionem impoſſibilem facere nullum quod conſtitutum eſt, perinde in Contractibus.

76. Ergo, ſi legatum ſit relictum ſub conditione impoſſibili adjectâ *heredi*, legatum evaneſcit & manet penes heredem; quod deberetur, ſi conditio impoſſibilis jure vel facto adjecta fuiſſet *legatario*; ob eandem rationem, quod ipſi non poſſet imputari negligentia haud impletæ conditionis, *fin. Inſt. de Legat.* & ſic manifeſto apparet, quanto judicio caput hoc Iuris Romani ſit conſtitutum, & quam ſine ratione Reformatores Iuris id abolitum velint. (19)

77. Conditionibus affines ſunt *Pœnæ*, de quibus nihil à Iure Civili diverſum habemus; quam quod ut plurimum pœnæ non tam ex enixa teſtantium voluntate, quam ex ſtylo Notariorum adjici ſolent: veluti hæc; *ſi quis meæ voluntati ſe in aliquâ parte opponet, is excidet eo quod ipſi relictum fuerit.* Ideoque magna Judicum indulgentia in illis exercendis erga eos, quibus impoſitæ ſunt odioſæ: in his, quæ Teſtatores expreſsâ intentione poſuerunt, eadem facilitas uſurpatur; cujus rei exemplum vide apud Sandium *lib.* 4. *tit* 6. *def.* 1. *ſub fin.* (20)

78. Videamus de *die*, ſive de *tempore* heredis inſtitutioni adjecto. Romano Iure ſic obtinet; diem adjectum haberi pro ſupervacuo, ut perinde ſit, ac ſi pure heres inſtitutus eſſet, §. 9. *d. t. Inſt.* ut tamen dies incertus loco conditionis habeatur, *l.* 75. *ff. de condit. & demonſtr. l.* 34. *ff. de hered. inſt.*

79. Nititur hæc poſitio geminâ ratione, quæ tamen in unam reſol-

(19) Non tamen hanc ego *diverſitatis* eſſe cauſſam puto; nunquam enim imputari cuiquam poteſt impoſſibilis conditionis non impletae eventus, ſive ex contractu, ſive ex ultima voluntate. Quid? quod hereditatis, legatique agnitio ex negotio teſtamenti *μονοπλευρῳ* retro *διπλευρον* efficiat, interveniente *Iuris fictione*, eodem momento adquiſitam hereditatem, legatumve, quo exſpiravit teſtator; uti vel tironibus notum eſt. Non aliam igitur rationem allegari poſſe arbitror, quam *ultimarum voluntatum* prae contractibus *favorem.*

(20) Senſum § *ult. Inſt. de Legat.* aliter in Opuſculo Ampl. Bynkershoekius, aliter Gundlingius in *diſſ. de Principe herede;* aliter denique Ampl. Otto, *add.* § *ult.* reddiderunt. Fruſtra autem & iniuria vapulare Tribonianum nullus dubito. *Legatum* enim *poenae* ideo olim improbatum, quod non ex benevolentia erga legatarium, ſed odio adverſus heredem proficiſci videretur; ut adeo diverſum penitus ſit a conditionali.

resolvitur; *prima*, quod heredis qualitas Iure Civili indelebilis est, neque temporarium characterem recipit, *l.* 88. *d. hered. inst. altera*, quod nemo paganus simul testatus ac intestatus mori potest, *l.* 7. *ff. de Reg. Iur.* quæ ratio prioris quoque rationis est ratio; nam si heres cum die non sit heres ante diem, defunctus foret intestatus ante diem, postea testatus.

80. Quare, qui jam abdicarunt hanc regulam ut obsoletam, quod testati ac intestati qualitas sit irreconciliabilis, his quoque religio non est adfirmare, quod ex certo tempore ad certum tempus hodiernis moribus heres scribi possit, explosâ hac in parte Iuris Civilis subtilitate. Ita Grotius *lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 34. *& seqq.* aliique plures, quos citat Groenewegius *ad d. locum Grot. & ad d. tit. Inst.* adde Voetium ad §. 9. *d. tit. n.* 2. (21)

81. Hic etiam addit Viglium quasi ita sentientem, posse nunc heredem ex diè vel in diem institui cum effectu, laudato ejus loco *ad* §. 9. *d. tit.* sed tantum abest, ut ille Nostras ita tradat, ut etiam contra Bartolum invaluisse testetur, *ne expressâ quidem Testatoris voluntate, quâ se dixerit nolle Titium esse heredem, nisi ad certum tempus, impediri posse, quominus pro supervacuo adjectus dies habeatur;* nec video quicquam esse causæ, quominus id apud nos ita juris esse statuatur.

82. Tu dices; etiam apud nos paterfamilias potest mori testatus & intestatus diverso respectu, ut videre licet apud Sandium, *lib.* 4. *tit.* 8. *def.* 7. Quidni igitur sublatæ sint ejus regulæ consequentiæ, quæ in mera subtilitate consistunt? Ego vero, non cessat, *inquam*, regula apud nos, nisi quatenus ad hoc institutis aliarum gentium redigimur, ut quando Frisius homo agros habens in Omlandiâ testatur; quod ad hos attinet, intestatus mori debet, quia non licet de rebus ibi sitis immobilibus testari. Ejusmodi exempla Iuri Frisico nihil derogant vel obrogant.

83. Verum, quid si absurdi contrarietatisque non potest absolvi illa Juris antiqui subtilitas, an ne sic quidem Frisii ab illa recedemus? Quid enim interest, dicat aliquis; heredem sub conditione scribam, si uxorem duxerit, an, post quinquennium? si tu

(21) Ex eadem recentiorum hypothesi, de hereditate per *fideicommissum* tacite relicta, praesumtaque Clausula Codicillari, hoc arcessendum videtur. *inf.* § 86. *seqq.*

tu dices, hoc casu ante quinquennium intestatus sit, ego regeram, perinde casus intestati est, antequam duxerit, ac testati postquam duxerit uxorem.

84. At hic scrupulus ejusmodi est ut eximi possit. Nam in casu conditionis adjectæ accidit, ut hæc vel deficiat, vel existat. Si deficiat, simpliciter casus intestati est; si existat, testati; tunc enim perinde habetur, ac si ab initio heres fuisset & conditio retrahitur, *l. 26. ff. de condit. Inst.* pendente conditione neuter status erat, utique non intestati, quia sperabatur heres è testamento, *l. 39. ff. de Acquir. hered.* verum si adjectio diei effectum haberet, ante vel post diem vere atque historicè non esset heres è testamento, & die veniente vel durante, foret heres, quæ res efficeret status oppositos καὶ ἀσυστάτους.

85. Cæterum, si contingat Testatorem usque ad tempus certum, heredem scribere, & ejusmodi verba sint, è quibus colligi possit, enixam esse testatoris voluntatem, ne post eam diem bona penes scriptum heredem maneant, dicemus idem, quod modo de institutione ex parte, vel ex re certâ, monuimus, videri heredem illum *tacite* rogatum, ut post id tempus bona restituat legitimis heredibus.

86. Quod multò proclivius erit, ubi *clausula codicillaris* adjecta fuerit, quippe cui vim fideicommissi ad omnia, quæ testator contra leges voluit inesse communis Schola statuit ac obtinuit, ut sæpe dictum, & inferius *ad tit. de Codicill.* amplius dicetur.

87. Si vero Testator, sicut plerumque fit, dicat, se post id tempus bona relinquere legitimis heredibus, eo casu non tam diverso tempore fit testatus, quam fideicommissum apertum constituit, ut perinde *superius* dictum.

88. Quid autem, si ex die certo scriptus sit heres? per clausulam codicillarem rursus eveniet, ut in ea specie heres legitimus videatur rogatus, hereditatem eo tempore elapso restituere scripto heredi, & quiâ vel clausula codicillaris *usu fori nostri* intelligitur inesse, licet omissa; vel saltem imperfectum testamentum pro codicillo habetur, ut *supra* diximus, hac viâ talis voluntas, utique diserte expressa, semper effectum habet; die vero simpliciter obiterque adjectâ magis est, ut heres scriptus statim heres fiat ex legum præscripto. *Vid. quæ dixi th. 62. & seqq. & th. 85.* Quid autem intersit, utrum heredis institutio

directè

directè obtineat, an per clausulam codicillarem vim fideicommissi adipiscatur, *inferius ad tit. de Codicill.* videbimus. (22)

(22) Interest sane, quod posteriore casu detrahi possit *Trebellianica*, priore non item. Vid. Auctor in *Prael. Dig. tit. de Iur. Codicill. sub fin.*

CAPUT XVI.

De Vulgari & Pupillari Substitutione. (a)

1. UTrumque titulum de vulgari & de pupillari substitutione una liturâ delet Groenewegius; & quidem de priore tribus verbis nec pluribus ita ait; *non est in usu*; de alterâ sic infit; *moribus hodiernis, singulari illâ patriâ potestate, quae Romanorum civium propria fuit, ejusdemque peculiaribus effectibus obsoletis, pupillaris & exemplaris substitutio in desuetudinem abiit.* (b)

2. De Vulgari miror, qui id Jurisconsulto in mentem venire potuerit; cum nihil in eâ sit, quod hodiernis moribus aliter obtineat quam Iure Romano traditum est. Quid enim vetat ita dicere in testamento, *uxor heres esto, si heres non fiat, vel si ante me moriatur, frater heres esto*, vel simili formulâ? non modo nihil obstat, sed omni diè sic etiam instituitur, nec id fideicommissum est, uti mox videbimus.

3 D. Voetius, etsi non autumat usu fori vulgarem substitutionem esse sublatam; id tamen se lubenter agnoscere fatetur, raro his diebus fieri substitutiones, nec amplius opus iis esse, cum per fideicommissa consequamur idem, quod Romani per substitutiones agebant, ad *fin. tit. Inst. de Vulg. subst. & ad tit. sequ.* §. 9. *n.* 5.

4 Atqui fideicommissa non formâ, sed etiam usu effectuque ab utrâque specie substitutionis differunt. Nam Vulgaris fit in casum heredis primi non existentis, *pr. Inst. h. l.* 8. *de Impub. success.* Fideicommissaria substitutio, in casum, si primus heres fiat, ut tum post tempus, vel post mortem bona ad alium perveniant, § 2. & 3. *Inst. de fideicomm. hered.*

5. Pu-

(a) Iurisp. Hod. *lib. II. cap.* 17. *seq.*
(b) Auctor in *Prael. D. de V. & P. S.* § 9. *seqq.*

5. Pupillaris fit hoc modo; *Filius heres esto; si ante pubertatem moriatur, Alius heres esto;* Fideicommissaria nunquam fit hac forma, *ut Alius filio sit heres*, sed ut *bona* testatoris à primo ad Alium *devolvantur.*

6. Hinc oritur differentia in usu & effectu, *primò* inter Vulgarem & Fideicommissariam. In illâ substitutus non succedit primo heredi, verum Testatori, quia primus heres qui scriptus erat, in hac hypothesi non fit heres; substitutus non admittitur, si primus adierit hereditatem; Vulgaris enim substitutio per aditionem extinguitur, *d. pr. Inst. ibique omnes Interpp. l. 5. C. de Impub. subst.*

7. Ex adverso in Fideicommissariâ secundus semper succedit heredi primo, neque secundus admittitur, nisi primus acquisiverit hereditatem; fideicommissarius enim suum jus à fiduciario conse qui debet; Fideicommissum ita fert, ut bona devolvantur & perveniant de fiduciario, sive primo, in secundum heredem, quod fit mediante restitutione; hæc autem intelligi non potest, nisi primus heres bona sit adeptus. Sand. *l.* 4. *tit.* 5. *def.* 1.

8. Quapropter, si fideicommissarius excedat è vivis ante fiduciarium, à quo bona ad ipsum pervenire devolvique debebant, ipse nihil juris obtinere potest, cum vulgaris substitutio tum demum vel maxime usum effectumque habeat, ut diximus in *Lect. Contr. ad tit. Inst. de fideicomm. hered. pos.* 8. *& seqq* (*c*)

9. Discrepantia Pupillaris substitutionis à Fideicommissariâ in hoc est evidentissima; quod pupillariter substitutus fiat heres pupillo, proinde cuncta ejus bona adipiscatur, non modo quæ à patre Testatore habet, sed etiam materna, aliaque adventitia; cum per fideicommissum Testator de suis tantum bonis disponere possit, §. *ult. Inst. de pupill. substit.*

10. Sed discrepantiæ priores, quibus substitutio Vulgaris à Fideicommissariâ distinguitur, ita comparatæ sunt, ut non videam quo pacto negare possint homines, qui vim utriusque substitutionis intelligunt, Vulgarem adhuc usum habere in judiciis. (*d*) Tu dices, non-

(*c*) Omnino legendum in contextu sub init. *Si ante fideicommissarium excedat e vivis fiduciarius, a quo, &c.*

(*d*) Quum vero hodie ex *Nov. I. cap.* 1. Substitutioni *Fideicommissariae* expressae tacite *Vulgaris* insit, haec tanquam inutilis in desuetudinem abiit, secus atque Auctor *sup.* § 8.

5. Teutonicus hic antagonista, quantum & in stylo verbisque sesquipedalibus, & in argumentis, quibus nihil tumidius & inflatius est, à simplicitate deflectit, tantumdem à veritate & à justitia manifestus aberrat. Maneat igitur simplicitas Camminganæ Deductionis & judicet lector, quo pacto cum simplicitatis præconio congruat, quod mox in eadem *pag.* 7. scribitur, *de impudentia*, *pravitate*, *calumniis*, *& falsis*; *quibus tota Deductio fit composita*, *ut quinta quasi essentia & concursus sit injuriarum*, *vanitatum & absurditatum*, quemadmodum idem Teuto nihil demonstrans, loco citato, debacchatur.

6. Præterea, quod *de Sacratissima Majestate Cæsarea*, *Consilio Aulico Imperiali*, *aliisque scribere non erubuisse* dicitur, in eodem loco; id quam vanum & ineptum sit, facile patebit inspectis locis, ad quæ Teuto lectorem suum able-

ablegat; primo scilicet, ad paginam Deductionis *primam*, numero *tertiam*; ubi *inimici* dicuntur *abusi bonitate & ignoratione Cæsarum*, in causa videlicet præsenti: quasi Cæsares ægrè ferre deberent, si quis injuria pressus adversarios suos dicat eorum bonitate & ignoratione abusos, cum nihil tritius sit in constitutionibus Principum Romanorum, quæ exstant in Codice Iustinianæo, quam quod ipsimet hanc licentiam ubique civibus præbeant & inculcent; imo rescriptis suis parere vetent, nisi impetrantium *preces veritate nitantur*: qua de re vide, sis, *l.* 3. *C. si cont. jus. vel util. publ. l. ult. C. de divers. rescript.* quin nec ipsi Pontifices Romani suas sententias tanquam per abusum latas recusari indignantur, qua de re videatur Imbertus in Enchiridio suo in principio. In *pag.* 17. Deductionis nihil est aliud, quam *Zubmium investituram Amelandiæ tam facile, in eâ quâ vellet formâ impetrasse, ut probabile sit eum vel plures impetrare potuisse.* In *pag.* 22. habetur, *intolerabile esse, quòd ex peregrinis regionibus præcipui cives communis patriæ, invadantur ac patritis avitisque bonis exuantur.* *Pag.* 26. sic colligitur, *si Amelandiæ præscriptione immemoriali tuta esse nequeat, tunc & Frisiæ totique Belgicæ investituras Cæsareas esse metuendas.* *Pag.* 28 in fine dictum fuit, *rem duram esse, quod respublica Belgarum Cæsaris amicitiam non nisi impensa ruinaque suorum civium colere deberet.* *Pag.* 31. habetur, *Dominum Amelandiæ non magis se Imperiali judicio sistere debuisse quam coram Senatu Parisiensi aut Mechliniensi.* *Pag.* 33. & *seq.* *Optandum fuisse, ut judicium Imperiale Aulicum in hac caussa tantum prudentiæ ac moderationis adhibuisset, quantum Illustris Hollandiæ Westfrisiæque Curia adhibendum putaverat; alioqui Cæsares Domus Austriacæ, nominatim tres posteriores, longe benigniores, generosiores, justioresque fuisse & esse, quam ut Cammenganos nulla re male de ipsis meritos patrimoniis suis evolvere vellent. Nec benè Majestati Imperiali consuluisse, qui auctores fuissent tam inexspectatæ invasionis, quâ naves armatæ cum mandatis cruentis etiam adversus Belgicos homines, in maria vadaque reipublicæ tam arcte fœderatæ essent ablegatæ: siquidem ejusmodi deformes agendi modi à justitia & generositate tanti Principis, nec minus ab humanitate & liberalitate Comitis Koningseckii penitus alieni viderentur.*

7. Hæ sunt injuriæ, quas auctor Deductionis scribere non erubuit,

buit, & quibus graviorem aliquando censuram præsens scriptor interminatur. Dominus Amelandiæ ejusmodi hæc esse putat, quæ retulisse tantundem sit ac defendisse, lectoremque pro æquitate sua facile credit existimaturum, ea quæ superius sunt prolata, non potuisse parcius & verecundius ab eo, qui jus suum tueri in animum induxisset, collocari. Quæ præterea scriptor idem antagonista, in eadem *pag.* & *seq.* tanquam vanitates ex Deductione citat, tam vana atque jejuna, tam confuse ac interrupte proposita sunt, ut refutationis nec indiga & indigna sint: quæ proinde benevolo lectoris judicio securè committentur.

CAPUT IV.

Quo de statu Amelandiæ ante Diploma Cæsaris Maximiliani agitur, eoque tempore nullam fuisse Imperii Romani in Amelandiam potestatem probatur.

I. Conjunctio Amelandiæ cum Frisiâ. 2. Libertas Frisiæ, quam Carolo M. acceptam fert, & obiter de famoso Diplomate Carolino. 3. Frisios Imperio Germanico subjectos non fuisse. 4. Ne quidem ubi à Carolo V. circulo Burgundico adscripti sunt. 5. Nihilo magis Amelandiam. 6. De fide Scharlensis & Flieterpii super antiquitate Camminganæ ditionis in Amelandiâ. 7. Amelandiam Frisiæ subditam fuisse non esse verisimile, quia jurisdictiones subordinatæ & hæreditariæ in Frisiâ nullæ unquam fuere. 8. De titulo Amelandicæ independentiæ. 9. Responsio ad argumenta, quibus Amelandia negatur fuisse independens. 10. Probatur denuo, Cæsarum in Amelandiam dictis temporibus nullum fuisse jus.

I. Amelandia modico & vadoso freto, quod pedibus sæpe trajicitur, à Frisiæ littoribus distincta magis quam avulsa satis evidens argumentum præbet, si vel historiæ tacerent, eam olim fuisse partem adjacentis terræ, Frisiæ, non Orientalis, quæ jam dicitur, & cui nomen ab *Embdæ* civitate frequens Imperiique, Ger-

 manici

manici pars est, sed ejus quæ inter *Flevum* & *Lavicam* sita vocabulum hoc, sine additamento, distinctum ab Orientali & Occidentali servavit, ut nomen ferat adhuedum, quod Romanis habuit temporibus nihil immutatum: quod nescio an ulli in Europa nationi præter hanc unam adscribi possit. Exigui ambitus est Amelandia tres continens vicos piscatoribus habitatos, qui moribus & linguâ Frisiis adeo sunt similes, ut ejusdem eos esse gentis solo adspectu & auditu intelligatur. Nec quisquam aliter animum inducere potest, quam eandem hujus insulæ sortem, eadem fata fuisse ab omni memoria, quæ Frisiæ identidem contigerint: quemadmodum & hic adversarius, ejusmodi Amelandiæ *adhærentiam ad Frisiæ territorium* etiam quoad juris consequentias supponit, *in pag. 4. in princ.*

2. Frisiam à Carolo Magno armis belli subactam esse notius est, quam ut probari debeat. Constat etiam, & doctorum hominum disceptationibus sæpe ventilatum fuit, ejusdem Caroli diploma, quo Frisiis ob præclara merita pulcherrimasque res gestas plenissimam tribuit libertatem, ita ut nulli imposterum domino vel externæ potestati subjecta foret, nec unquam subjiceretur. Verum nos quæstionem de veritate hujus diplomatis non faciemus nostram, nisi quod hoc juste videamur adseveraturi, priscam simplicitatem Frisicæ gentis fuisse tantam, ut ab ea tale figmen ullum proficisci potuisse, quale multi in hoc diplomate vulgando credunt intervenisse, nullo modo sit verisimile: Sed interim historias sequentium temporum legenti passim occurrit, Frisios ejus sententiæ animique semper fuisse, ut ejusmodi libertatem, qualis eâ magna chartâ memoratur, sibi deberi contenderent, armisque fortiter adversus omnes tuerentur; proinde, quæ donationes à secutis Imperatoribus in alienigenas principes factæ leguntur, eas nunquam probare, sed cunctis viribus iis obsistere semper in animum induxerunt.

3. Agnoscebant quidem Romanum Imperatorem, ut libertatis suæ auctorem, sed ei nullum tributum pendebant, jussa Cæsarum legesque Conventuum Germanicorum non accipiebant, quemadmodum nec reliquæ nationes Belgarum Fœderatorum iis temporibus fecere, sicut historiæ passim loquuntur, nec à Germanici juris vindicibus in contrariam partem unquam probabitur: unde

unde Hugo Grotius *in lib. I. Annal. Belg.* ut rem notissimam scribit, *Belgas Germaniæ leges & conventuum Decreta jam à multis retro sæculis non agnoscere.*

4. Carolus quidem Cæsar, Quintus, deinde circulo Burgundico Belgicas Provincias adscribi passus est, ad hoc, ut imperii protectione gauderent, eaque gratia tributi quoque onus, quod communi nomine totius Imperii aliquando modicum solvitur, dictæ provinciæ participarent, verum sub expressa stipulatione, se, hoc excepto, easdem provincias jure domestico proprioque retenturum, *salva*, inquit, *exemptione & jurisdictione dictarum Provinciarum, quæ propriis legibus & institutis relictæ sunt*, ut scriptum est in Recessu Imperii de anno 1548. § 6. Solutionem tributi solam non arguere subjectionem sub alieno Imperio notum est, & probatur à Grotio *lib. I. de jur. bel. ac pac. cap. 3. num. 22.* Denique certa res est, Belgicas nationes ab eo tempore nihilo magis agnovisse Germaniæ leges & Conventuum Decreta, quam alias unquam. Etiam Caroli Cæsaris filium nepotesque postea, nomine dictarum Provinciarum, nullam petiisse ab Imperatoribus investituram, nec in aliis rebus Imperio Germanico se tulisse subjectos, notum & in confesso est.

5. Igitur tali cum libertate Frisia gauderet, Amelandiæ, quæ à tergo ejus latebat, ejusque fortunam sequebatur, nihilo magis Imperatorem Romanorum agnoscebat; nec ullus apex dicti vel scripti profertur aut proferetur ab adversariis, quo constet, illis sæculis Imperatores Germanos Amelandiam ut sibi subjectam vindicasse, vel, pœne dixerim, nomine suo ullatenus cognovisse. Nec tamen ita illis temporibus sub Frisia continebatur, ut sub ejusdem jurisdictione dici queat comprehensa.

6. Nam scriptores eorum temporum, quorum fidem secutus est Pierius Winsemius, auctor gravis & celebris, cujus loca vide citata in Deductione *pag. 6.* testantur, jam anno octingentesimo septuagesimo sexto fuisse Dominum Amelandiæ *Hajonem à Camminga*, & anno sequentis sæculi decimo ibidem vixisse memoratur *Taca à Camminga*, qui de familia Dominorum Amelandiæ fuisse laudatur. Demus Occam Scharlensem, Johannem Flieterpium aliosque eorum temporum scriptores, fuisse mortales obscuri nominis, etiam minus à fabulis, quam historicam scribendi pro-

fessionem deceret, alienos; ast nemo, opinor, tam iniquus eorum censor unquam fuit aut futurus est, qui sic existimaverit, eos de rebus sui temporis nulli dubiis & lippis atque tonsoribus, ut est in proverbio, notis ausos fuisse mentiri. Demus eos antiquissimas gentis origines & prima ducum atque regum spatia poëticis miscuisse figmentis; nihil hactenus eos ab aliarum gentium & quidem cultissimarum exemplis alienum instituisse nôrunt omnes, qui Græcorum & Romanorum, ne de aliis Europæ Septentrionalis gentibus dicam, initia scripto tradita legerunt; sed quoniam res nobis est cum acutis atque nasutis censoribus, age, relinquamus illa singularia, quibus fidem Winsemius habuit in medio, idque sumamus duntaxat, quod nemo sana mente præditus recusare queat, eo tempore quo vixerunt illi scriptores, scilicet, Occo Scharlensis, & Johannes Flieterpius, fuisse Dominos Amelandiæ Camminganos, aut utique eos, ex quibus illi sunt orti. Nam si hominibus ejusdem ævi, quibuscum ipsi vivebant de rebus ante oculos suos positis aliter constitisset quam ipsi tradebant, quis tantam in ullis hominibus vecordiam præsumere possit, ut ejusmodi mendaciis se ludibrio exponere voluerint?

7. Quod si tu dicas; etsi temporibus illis fuisse Dominos Amelandiæ statuamus, nihil tamen esse quod jubeat, eos credere liberos ab aliorum subjectione fuisse; enim vero etsi nobis ad præsentem caussam sufficit, Germaniæ Cæsarumque potestatem super hanc insulam, perinde ac in Frisiam, tum temporis incognitam fuisse; Nihilominus id serio velim expendi, dominos territoriorum peculiares, & jurisdictiones hæreditarias in Frisica gente nullas nec illis neque secutis temporibus exstitisse; quanquam alibi Germaniæ & Europæ, exceptâ Angliâ, passim reperiuntur; quo inter alia argumento Eques Tempelius comment. *de Republ. Fœder. Belgii, cap. de Frisia*, probat Saxones Anglos inprimis ortu Frisios fuisse, quod nostri annales adfirmant. Jam cum posteri independentem Amelandiæ libertatem sine dubio cognoverint, ratio vult, ut eam in altitudinem temporum sui similem esse credamus, quamdiu superioritas notis temporum non demonstratur.

8. Si quis vero ab ipsis Amelandis desideret, ut titulum suæ potestatis originalem proferant & ostendant, sine invidia respondere lice-

licebit, tanto nobilius & præstantius habendum esse jus, quanto in vetustatem memoriâ carentem se altius extendat & quasi recondat. Confirmationem tamen Amelandicæ libertatis non deesse, probavimus in Deductione vernacula *pag. 6. & 7.* ubi productum fuit exemplum Decreti Ordinum Frisiæ congregatorum apud Hertwert *Anno* 1405. festo decollationis S. Johannis, quo sic in perpetuum constituerunt, Amelandos esse debere liberos & immunes ab omni jurisdictione & *pertinentiâ* (sic Frisicum BERNTHE corruptum forte an à *pertinentia* interpretatur Maximilianus Cæsar in suo diplomate) omnium jurisdictionum in Frisiâ, ita ut æquè libere penes se ipsos judicarent, ac Schellingani facere solerent.

9. In Deductione sæpe monstratâ dedimus rationes, quamobrem illa declaratio sic explicari non possit, ut tantum exemtio à subjectione particularium territoriorum contineatur, minime vero à superioritate totius Frisiæ. Nihil attinet, ea, quæ tunc dicta sunt repetere, sed uni alterique argumento ibi intactis breviter satisfaciendum est. Primum erit, quod inscriptio sive initium illius Decreti non conveniat Ordinibus Frisiæ, qui tanti momenti exemptionem concedere potuerint. Sed qui sic argumentantur, iis non bene perspectus est mos eorum temporum, quo satis constat decreta rerum maximarum, etiam fœdera tum temporis & aliquandiu postea non habuisse alias inscriptiones vel auctoritates; quemadmodum videre licet apud Winsemium libro octavo ad annum 1427. ubi privilegium civitatis Leovardiensis titulo styloque plane simili ac illud Hartwertense decretum legitur conceptum. Similiter instrumentum pacis initæ anno 1429. sic incipit, ut lex Hartwertensis, RIOCHT UND RÆD &c. Ratio altera, qua negatur independens Amelandiæ libertas, hæc est; quod absoluta superioritas nulli tribuenda sit, quam qui se ipsum defendere possit. Hanc rationem intelligit Amelandia validam & prægnantem esse, verum sensu Politico, non Juridico; nam lex nulli dominium rei suæ propter imbecillitatem virium adimit; sed Camminga lubenti gratoque animo fatetur, se incolumitatem suam insulæque suæ debere justitiæ & abstinentiæ Celsorum & Illustrium Belgii Fœderati Ordinum, nominatimque Frisicæ gentis, à quibus etiam porro continuationem benevolentiæ justique patrocinii,

quod

quod civibus suis, inter quos ipse gaudet esse, solent impertiri, submissus exspectat.

10. Jam ex Hartwertensi Decreto id sine dubio luculenter apparet, Imperatorem tum temporis nihil habuisse juris in Amelandiam, saltem Frisiis hoc non fuisse cognitum (& à quibus nosceretur si proximos lateret?) nam absurda res fuisset de Feudo Imperiali alios quam Cæsarem ferre leges, nec magis meminisse Cæsaris, ac si non fuisset in mundo: ut hæc quidem ratio manifestius se prodat, quam ut amplius approbari aut illustrari postulet.

CAPUT V.

De statu Amelandiæ paulo ante & post Diploma Maximiliani, & de tempore ipsius Diplomatis.

1. Frisia à Sigismundo lege tributi obstricta. 2. Irrito successu. 3. Arctius devincta à Maximiliano. 4. Eâdem necessitate Petrus à Camminga involutus. 5. Qui tamen cautione usus est, non petendo investituram, sed confirmationem decreti Hertwertensis, quam impetravit. 6. Ex eo diplomate Amelandiam non probari esse feudum nec Emphyteusin. 7. Necessitate coactos fuisse Cammინganos ad temporariam illam submissionem. 8. Unicum hoc adversariorum telum nihil quam plumbeus pugio.

I. Vix duodecim annis post Hertwertense Decretum res accidit in Frisia memorabilis & viam parans ad præcipuum hujus controversiæ momentum, de quo sic loquitur summatim Winsemius *lib. octavo Chronicorum ad annum* 1416. *verba Winsemii e vernaculo transposita.* Sigismundus Caroli IV. filius Imperator; animadvertens, Frisiam intestinis factionibus scissam esse, dedit operam, ut Frisiis persuaderetur, nullum aliud discordantis patriæ remedium fore, quam si imperium externo Principi deferretur, missis in eam rem legatis, *Nicolao Brantslovio*, & *Henrico Clantio*, per quos Frisiis honorificas offerebat conditiones, *fere eas-*

dem,

dem, quæ à Carolo Magno fuerant indultæ, vel ab illis temporibus erant usurpatæ; excepta lege tributi, quam Frisii tum primum à multis sœculis acceperunt, quemadmodum ex ipso Diplomate Sigismundi, quod exstat apud Winsemium *loco citato* plenius intelligi potest.

2. Verum, quia Sigismundo major erat auctoritas quam potentia, nec quicquam inde Frisia in extinguendis factionibus proficiebat, nihil illa conventio, nihil illud Diploma, vel ad pacem vel ad vim Imperii Sigismundo stabiliendam prodesse potuit; adeoque nec Amelandiæ libertas tum temporis interpellata fuit; sed in Frisia conatus Imperii proferendi substiterunt atque consumti sunt.

3. Verum annis paulo minus octuaginta postea, vis gravior Frisiis incubuit à Maximiliano, qui per nuptias Mariæ Burgundicæ vicinâ formidabilis potentiâ non momentaneum, sed duraturum, ut videbatur, imperium in Frisiâ constituit, exacto à Proceribus juramento fidelitatis, quod exstat apud Winsemium, *libro undecimo, ad annum millesimum quadringentesimum nonagesimum quartum.*

4. Petrus à Camminga, qui tum temporis Amelandiæ Dominus erat, Frisiam videns stabili subditam Imperio, facile animadvertit, fore; ut Amelandia, prædium à tergo Frisiæ adhærens, non posset evitare, quin & ipsa Maximilianum quovis modo sibi placatum & faventem reddere deberet. Ipse nihilominus tanta cum prudentia necessitati se accommodavit, ut major in eo rerum articulo præstari vix potuisset, Cæsare forsitan ipso non nimis acute advertente, qua ratione tam pauperis insulæ Dominus suam Majestatem agnosceret.

5. Non petiit enim, sicut mos est Germaniæ subjectorum, investituram Amelandiæ, velut Feudi Imperialis; sed nihil aliud supplicatione comprehensum fuit, quam ut Imperator decretum sive sententiam Hertwertensem benigne *ratificaret*, approbaret & confirmaret, quemadmodum locuples in eâ re testis est ipse Maximilianus Cæsar in Diplomatis sui textu; qui non gravatus est ipsum quoque Hertwertense Decretum verbotenus recensere, ac ita ut erat recitatum, *ratificare*, & quemadmodum loquitur, *auctorisare* & confirmare; consequenter jurisdictionem tam meri quam mixti Imperii, jus Publicum littoris ac venandi, aliaque

emo-

emolumenta Petro à Camminga ejusque ſucceſſoribus concedere ſe declarat, Denique poſt ſanctionem pœnalem adverſus violatores profitetur ſe omnimodo proviſurum, ut dicta ſententia Hertwertenſis robur ſuum obtineat, quæ omnia videri poſſunt in apographo prædicti Diplomatis, quod adverſarius ſub littera B. ſuo libro ſubjecit.

6. Hoc ſane palam eſt, nihil iſtis litteris contineri, quod novam qualitatem adjiciat Amelandiæ, præter id quod Hertwertenſe Decretum tribuerat: Feudi ſane characterem nemo inde ſine cavillis elicere poteſt, quemadmodum & Imperator Ferdinandus II. in diplomate ſuperius exhibito, quo Zuhmio concedit inveſtituram, non ait, Amelandiam fuiſſe Feudum, ſed prædium Imperii liberum appellat; nulla quoque apud Maximilianum Feudi, nulla inveſtituræ, directi Dominii, ſucceſſionis maſculinæ, nec ulla ſervitiorum mentio, ſine quibus tamen rebus Feuda non conſiſtere docent eorum auctores. Una res nova, *tributum* ſcilicet, idem, quod Friſia tota penderet, à Maximiliano acceſſit. Atqui conceſſio alicujus rei, licet immobilis, ſimpliciter facta ſub præſtatione annua, non facta mentione Feudi, appellationem quoque Feudi non recipit, ut Dd communiter ſtatuunt, teſte Vultejo *lib.* 1. *de Feud. cap.* 8. *num.* 88. Noſter homo adverſarius ad Emphyteuſin inclinare videtur, *in fin. pag.* 3. *& princ.* 4. tametſi & accidentale Feudi eſſe tributum contendat; Ita quidem Feudorum Magiſtri tradunt, ſi de Feudo & inveſtiturâ conſtet, tributi mentionem non tollere penitus Feudalitatem; at Feudi nomine naturaque non expreſſa, ut hic minime factum, penſionis annuæ ſola adjectio non modo non facit, ut Feudum fiat, ſed imo ne in dubio tale eſſe videatur, efficit, ut *ibidem Vultejus.* Emphyteuſeos autem proprietates jure communi cognitæ, in hoc diplomate nullæ apparent, uti nec adverſarius audet eam applicare Amelandiæ.

7. Cæterum, etſi concederetur, Amelandiam in illo diplomate, ut agnoſcentem Imperatoris Majeſtatem fuiſſe conſideratam, ratione ejus confirmationis, veriſſimum tamen eſt, eam ſubmiſſionem neceſſitate inevitabili, quemadmodum Friſiæ toti, Camminganis expreſſam fuiſſe, juxta quam ſubmiſſionem faciendum fuit iiſdem Camminganis, ut, cum ad inferius Friſicum tribunal voca-

vocabantur, ne penitus ab omni gradu libertatis dejicerentur, ad Imperatorem velut ad Supremum Frisiæ Amelandiæque protectorem, ut tunc erat tempus, provocarent: quo pertinet exemplum commissionis Cæsareæ, quod adversarius sub littera C. inter suas probationes recensuit: quid enim facerent, aut quo se converterent tam ancipiti necessitate circumventi? Maluit immediatus Imperii Romani ad tempus videri Petrus à Camminga, sub spe recuperandæ libertatis avitæ; quam se demittendo infra Prætorem Ferwertensem, servitio semet implicare, propinquitate gravi, & dum Amelandia Frisiæ adhæreret, duraturo.

8. Atque in hac necessitate, cui etiam Deos cedere dixerunt veteres, adversarii proram & puppim suæ caussæ collocant; nihil est aliud aut in priori, aut in sequenti intervallo, quod ullo prætextu in sui patrocinium torquere possint. Et tamen hoc ipsum necessitatis telum per ea, quæ in sequentibus proferentur, excutietur illis de manibus. Hæc interim dicta fuerint ad ea, quæ adversarius *pag.* 2. 3. *&* 4. prolixe super hoc diplomate disputat, quæ insuper ex eo, quod infra dicetur, in cassum, inquam, & in irritum cedent. Cæterum Alberti Saxonis Diploma, quod adversarius sub littera D. exhibuit, nihil à Maximiliano diversum continet. Eandem Confirmationem, tanquam Gubernator Hereditarius Frisiæ nomine Imperii, *Petro* impertitur: Nihilo plus igitur difficultatis inferre potest.

CAPUT VI.

Quo ſtatus Amelandiæ poſt Diplomata Cæſaris & Saxonis & continua libertatis poſſeſſio per annos 126. exponitur.

1. Libertas Amelandiæ turbata non extincta. 2. *Petrus à Camminga poſt annum* 1510. *repetit ſuum jus priſtinum.* 3. *Adeoque tum renovata fuit profeſſio independentiæ.* 4. *Quæ à poſteris continuata.* 5. *Carolum V. aut Philippum non vindicaſſe Amelandiam.* 6. *Teſtium in hac re depoſitiones.* 7. *Nec ulla hujuſce poſſeſſionis interpellatio à Cæſaribus facta.* 8. *Idque firmatur ex ipſo Cæſaris diplomate.*

I. Libertas Amelandiæ jam olim à proximis agnita, Cæſaris & Imperii Germanici ignara, Maximiliani & Alberti Saxonis potentia per annos ſedecim juxta univerſam *Friſiam* interpellata vel adumbrata fuerat, extincta non fuit; nam in Friſiam ne Adverſarii quidem hoc ſuum telum vibrant; etſi nulla ratione diverſum jus Friſiæ Amelandiæque hac parte, quod imaginari queas, inferre poſſint.

2. Verumenimvero non fuiſſe eam voluntariam Amelandiæ ſed neceſſitate temporum expreſſam ſubmiſſionem laudatus ſæpe Camminga aperto velo ſignificavit & præ ſe tulit, poſtquam Cæſaris & Saxonis terror in ulteriorem Germaniam ſubmotus eſt. Nam exinde confeſtim ille reſumpſit animum, uſumque priſtinæ & abſolutæ libertatis, quemadmodum hic ipſe noſter antagoniſta utcumque maledicus fatetur, & ex profeſſo narrat *in pag.* 9. *juxta litt. N.* ubi ſic loquitur; *Idem tamen Petrus à Camminga, ſicuti ab initio & tempore Maximiliani primi & Alberti Saxonis Feudalitatem ſuam Imperialem Amelandiæ oſtendere anxius laboraverat; mox tamen degenerans in contemtorem Cæſaris & Imperii, documenta hæc publica clandeſtinis artibus ſubvertere curavit, ut clare evincitur ex profeſſione poſterorum Watzonis in advertiſſemento ſupra K. & filii præſentis detentoris in* De-

Deductione pag. 10. in princ. Decem namque ab hisce annis post præstitum Alberto juramentum fidelitatis, idem Petrus à Camminga testes quosdam nonagenarios coram Pastore Amelandiæ deponere jussit, quod ultra ipsorum eorumque majorum scientiam & memoriam humanam, ut verba sonant testium, Cammingæ habuerint Dominium in Amelandiam; quod interpretatur, independens absque alicujus oppositione & impedimento. Quod dicit anxie laboratum esse à Petro Camminga, ut Feudalitatem suam Imperialem ostenderet, falsum est, ut ex ipsis Maximiliani & Ferdinandi III. Diplomatibus liquet.

3. Sed manifestum est, ut hic homo bene narrat, licet maledicat, Petrum à Camminga, decennio post præstitum Saxoni Homagium, cum ejus potentia per Gelrica & civilia bella labasceret, erexisse semet, possessionemque libertatis sibi antiquo jure debitæ repetiisse, quemadmodum & ipse pari licet maledicentia fatetur adversarius, in eadem *citatâ pagina, & quid quæso*, inquit, *opus erat tum temporis depositionibus testium, cum Diploma Maximiliani primi amplius concesserat exercitium regaliorum? verum hoc Diploma coluit tenebras, ne infestarentur primordia Monarchiæ Cammingana.* Quo jure quâve injuriâ mox erit dicendi locus. Nunc sufficit, in confesso haberi, quod ab anno decimo superioris sœculi, Petrus à Camminga repetierit usum professionemque libertatis antiquæ & independentis.

4. Hunc animum & hanc possessionem Petrus ejusque posteri deinceps continuaverunt, sicuti fidem facere possunt eorum testamenta, quæ super dominio & successione Amelandiæ reliquerunt, quemadmodum in Deductione *pag.* 13. meminimus testamenti, quod idem ille Petrus fecit *die* 20. *Novembr. Anno* 1521. ut & Wytso filius ejus *die* 25. *Octob.* 1541. & hujus iterum filius Petrus, primo Septembris 1570. nec aliter plerique subsecuti Amelandiæ Domini; quemadmodum vetustis etiam temporibus ante Diploma Maximiliani mos ille testandi prioribus Dominis frequens fuerat: nam & Ritsko Jelmera testatus est anno 1450. juxta reliquam hæreditatem, etiam de facultatibus Amelandiæ; quæ dispositiones testamentariæ super ipsa Amelandiæ successione cum proprietate Feudi nullo modo conveniunt *in pr. de success. Feud. cap.* 1. §. *donare, qual olim feud. alien.*

G 3 5. Fri-

5. Frisia quidem postea concessit in ditionem Caroli V. ejusque Filii Philippi, cui imperium deinde abrogatum est; sed nulla sunt acta, nulla monumenta aut probationis vestigia, quod Amelandiam sibi vindicare voluerint. Semel tantum compellatus dicitur Wytzo à Camminga Amelandiæ Dominus & evocatus *Anno* 1550. *die* 10. *April.* ad præstandum Philippo regi Homagium, ut Teuto noster in prædicta *pag.* 19. sub finem narrat ex ipso Watzonis à Camminga advertissimento, quod vocat; sed Punica magis quam Teutonica fide; nam sic refert Camminga, *Carolum Cæsarem Wytzonem una cum reliquis Frisiis citari curavisse ad juramentum Philippo filio præstandum; unde Camminga valide argumentatur, Wytzonem non fuisse Carolo Cæsari ut vasallum Imperii obstrictum atque subjectum, cum ad dicendam regi Hispaniarum ut Frisiæ Domino fidem citatus fuisse dicatur.*

6. Cui rei validius adstruendæ, simul ut Philippi superioritatem legitimis mediis refutaret idem Wytzo, quem diximus *die* 6. *Mart. Anno* 1551. novendecim illos testes grandævos & fide dignissimos examinari curavit, secundum ea quæ in Deductione *pag.* 10. & 11. collocata sunt: quorum summa est; & se, videlicet testes, meminisse & à parentibus suis accepisse & hos de suorum parentum relatione testatos esse, quatenus omnium eorum memoria ferret, semper aliquem ex Jelmeranis aut Camminganis Amelandiæ præfuisse eosque omnia Dominorum jura libere & absolute exercuisse, nullius unquam Principis aut externæ potestatis imperia, citationes, aut ullius mandata in Amelandia fuisse visa & audita. Denique nec sibi constare, Cammінganos Cæsareæ Majestati unquam præstitisse Homagium vel illud ab iisdem fuisse exactum.

7. Et quid multis? ipse noster antagonista nihil omnium in principio, in fine, medioque proferre potuit, ex quo probari queat, Imperatores Romanos, ullo dicto vel scripto interpellasse possessionem Cammінganæ familiæ; quam ipse fatetur & objicit nobis, à Petro Camminga fuisse inchoatam cum animo non agnoscendi Cæsarem aut ullum superiorem. Ab anno præcedentis sæculi decimo, nihil, inquam, ab Imperatoribus contra factum dictumve esse, usque ad annum præsentis trigesimum sextum. *Spondemus & recipimus, nos liquido evidenterque sartum tectum præstituros esse spatium*

tium possessionis, quod est annorum centum & viginti sex, continuum, liberum, nulloque vitio interim infectum; cui deinde quale jus sit applicandum facile reperietur.

8. In Deductione vernacula *pag.* 14. *& seq.* producta sunt testimonia Ordinum Frisiæ Deputatorum, ærarii Hollandiæ Præfectorum, Supremæ Curiæ Senatorum, quibus illa possessio firmatur & illustratur, sed nullum magnificentius quam Ferdinandi II. Imperatoris Augusti, qui in Diplomate investituræ, quod primum largitus est Zuhmio cum Sociis die septimo Julii anno 1636. declarat, *veteres Amelandiæ possessores jam à centum annis retro nullum agnovisse Romanum Imperatorem aut regem, nullamque ab iis accepisse confirmationem.* Prudenter antagonista Cæsareum illud Diploma, licet aliorum minoris momenti non sit oblitus, in hoc suo libro proferre supersedit, cum ob hujus testimonii gravitatem, tum ad invidiam aliarum rerum, quæ in eo continentur, evitandam. Ideo nos illud omittendum non putavimus, uti jam dictum & occupatum est.

CAPUT VII.

Quo objectiones contra possessionem annorum 126. removentur.

1. Interruptionem possessionis illius annorum 126. *nullam esse factam.* 2. *Testimonium Graswinkelii contrarium rejicitur.* 3. *Quas ob rationes & quam id jure fiat.* 4. *Facta dictaque incolarum Amelandiæ nihil facere ad interruptionem.* 5. *Neque prætensionem Egmondanorum* 6. *Neque Citationes à Carolo V. & Philippo II. ad Camminganos emissas.*

NIhil jam necesse fuerit, adversario replicare, quod ipsius sit probare possessionis illius interruptionem; negantibus nobis probationem non incumbere, quando tam illustre testimonium Ferdinandus Augustus ipse nobis suppeditavit. Noster hic etiam antagonista initium possessionis luculenta confessione suggessit, ut intelleximus: actum interruptionis ad rem pertinentem nullum pro-

proferre poteſt, ante prædictum annum hujus ſœculi trigeſimum ſextum.

2. Molitur tamen & machinatur alias, ſed irrito conatu. *Sicco Camminga*, inquit, *in litteris ad Status Friſiæ petiit neutralitatem ratione Amelandiæ ex capite Dominii Imperialis anno* 1603. *octavo Januarii. Repetiit hoc Wytzo in litteris ad Cardinalem Infantem Hiſpaniæ anno* 1636 *prout Fiſcalis Hollandiæ litteras has ſatis allegavit, & confeſſiones alias.* Quin tu, mi Teuto, profer has confeſſiones & reſpondebimus: nam Fiſcalis Hollandiæ non eſt nobis auctor idoneus, vir alioqui Doctus & Clarus, ſed nobis ſuſpectus, & in hac cauſſa inimicæ profeſſionis, ſiquidem palam ſe geſſit Advocatum *Zuhmii* & Conſiliarium ejus perpetuum.

2. Denique, ſi quis dubitet, quantum ejus teſtimonio in hac cauſſa tribuendum ſit, is inſpiciat ipſum voti Fiſcalis extractum, quod Teuto noſter profert, ſub littera N. ubi narrat Fiſcalis; in ſententia Friſica & ejus confirmationibus ſcriptum eſſe, quod Amelandia propriam jurisdictionem habeat, & Cameræ Spirenſi immediate ſubjecta ſit, cum hoc quod de Camera narrat in cerebro Fiſcalis ſcriptum fuerit, non utique in Diplomatibus Cæſaris aut Saxoniæ Ducis. Satis pro imperio & ſeveritate Fiſcali ſententiam ille ſuam promit; verum tanto æquis arbitris ſuſpectior eſſe debet.

3. In extracto, quod ſub littera Q. exhibet adverſarius, nihil argumentorum, nihil teſtimoniorum profert, tantum hypotheſes collocat & rigide adſeverat, ac ita concludit; *Quæ à me hic adſeruntur, quæ negantur, ſunt mihi compertiſſima, ex certa ſcientia, ut pote qui omnia viderim, perviderim, examinaverim, in cœtu Ordinum Generalium defenderim:* Advocatus videlicet Zuhmii. Bene habet quod ut Advocatus adverſæ partis ita loquitur; nam ſi tanquam Fiſcalis ita declamare ſolitus fuerit, væ miſeris reis. At non fefellit ſapientiſſimos Proceres, qui Collegio Ordinum Generalium interfuere, quorum, non obſtante hac Fiſcali auctoritate, contraria ſemper animi ſententia, judiciumque ſuper hac cauſſa fuit, ut Sereniſſimus Imperator obſervat, & immerito miratur in Decreto Majeſtatis ſuæ facto Viennæ Auſtrorum die xxx. menſis Maji anno CIↃ IↃC LXXVIII. & ad Celſiſſimos Ordines Generales tranſmiſſo.

4. Pergit antagoniſta probare interruptionem, *Ipſi*, inquit, *Ame-*

Amelandiæ incolæ liberum hoc Dominium Camminganum & possessionem independentiæ acerbe sæpius interpellarunt, *pag.* 10. & dein voces quasdam tumultuantium incolarum recenset & extollit, quasi convitia seditiosorum aliquot hominum præscriptionem interrumperent pro Cæsare Germanico. Cæterum quod de responso Amelandorum *anno* 1654. scribit initio *pag. xi.* sive verum sive falsum, noxium an innoxium sit, jam non moramur; quia terminum liberæ possessionis annum trigesimum sextum posuimus. Lepidus interim Teuto ineptissimis argumentis suis jucunde exsultat, quando mox; *tam confusa*, ait, & *turbata facie*, *pallet & marcescit possessio Cammingarum immemorialis*; & mox iterum adhuc jucundius, *corruit ita turpiter fortissimum possessionis argumentum alter quasi Goliath*, *fugiat ergo universus Philistæorum exercitus*; scilicet, Attica in hoc homine facundia est.

5. Inferius *pag. pen.* repetit eundem interruptæ possessionis finem, *anno* 1527. *turbatam fuisse*, ait, *possessionem Camminganam ab Egmondanis*, quasi inter nos de jure factove Egmondanorum quæstio sit, & non de eo quod nomine Germani Imperatoris in Amelandiam obtenditur; & quasi contra notissimam juris regulam factum unius prodesset aut noceret alii.

6. Rursus, *anno* 1550. *Carolum V.* ait *citasse Wytzonem ad præstandum Homagium filio*, oblitus aut maligne dissimulans directe contrarium inde colligi à Watzone Camminga, quemadmodum supra jam admonuimus; nam si Carolus Cæsar Watzonem ut vasallum Cæsareum consideraffet, non potuisset eum citare ad Homagium filio Philippo, qui non erat Imperator, præstandum. Adhuc, anno 1571. eundem Philippum citasse, ait, Petrum à Camminga, de privanda Amelandia; Atqui hoc à Philippo factum est, quatenus erat successor Egmondani Comitis ex confiscatione bonorum ipsius; quemadmodum vidit & tacet adversarius se vidisse in *advertissimento* Watzonis à Camminga, ex quo tamen hanc objectionem deprompsit; vide copiam advertissementi ab ipso productam sub littera K. Jam quid hæc lis, mi homo, commune habet cum interruptione quam proficisci oportuit ab Imperatore Germanorum? Tu tamen nihilo secus, ex ejusmodi ineptiis elata voce, *quousque nunc tandem*, exclamas, *Cammin-*

gana independentia Chimærica, & quidem ultra sæculum; parcius hæc figmenta, apparent crassæ artes. Imo apparent crassæ argumentationes, crassæ artes, crassum judicium, crassa in hoc qualicunque scriptore jactantia & debacchandi impudentia.

CAPUT VIII.

Quo jus præscriptionis ex superiori possessione immemoriali adstruitur.

I. Camminganos habuisse requisita præscriptionis ab anno 1510. *& sufficere ad eam annos* 30. 2. *Quod amplius probatur.* 3. *Non opus tamen esse Amelandiæ hac præscriptione.* 4. *Sed uti præscriptione immemoriali, quæ probatur etiam Imperatori obstare, è Ictis* 5. *Ex historiis & politicis scriptoribus.* 6. *Ex usu & consensu totius Europæ.* 7. *Ratio additur e Grotio.*

I. PRobavimus superiori capite, Camminganos repetiisse possessionem libertatis antiquæ cum animo non agnoscendi Cæsarem aut alium superiorem anno super CIↃ. IↃ. decimo; nihilo secus ac ante Diploma Maximiliani & Alberti Saxonis liberrime ab ulla Germanici Imperii subjectione vel agnitione gavisi fuerant. Principium illud, istumque animum plenissimæ libertatis adversarium ipsum, qui false & maledice Monarchiam eam appellat, exprobrando confessum esse jam demonstravimus. Ex quibus apparet, inde ab eo tempore adfuisse requisita præscriptionis inchoandæ essentialia, possessionem videlicet ac animum habendi rem, non ut Feudalem, sed ut allodialem & suam propriam, quo casu triginta annorum præscriptione tam Dominus quam qui præterea in investitura comprehensi sunt, excluduntur, per ea quæ traduntur à Dd. *in cap.* 1. *§ si triginta, tit. si de Feudo defuncti.*

2. Sicut enim Feudum tanto tempore acquiritur, ita etiam tanto tempore amittitur, *Speculat. sub tit. de Emphyt. num.* 52. *& seq. Wesemb. de Feud. cap.* 15. *num* 3. *Molin. in consuet. Paris. tit. prim.* § 7. *num.*

num. 13. eamque esse communem opinionem, scilicet, quod præscriptio longissimi temporis etiam locum habeat contra Dominum scribit *Bursat. consil.* 46. *num.* 29. *vol.* 1. *Andr. Gail. lib.* 2. *observ.* 160. *num.* 1. *Vult. lib.* 1. *Feud. cap.* 9. *num.* 21. *& cap.* XI. *num.* 10. ubi plures videantur auctores: Secundum hanc sententiam sufficerent anni triginta lapsi ab eo tempore quo Cammingani palam fecerant, se repetere jus suum antiquum, negare Cæsaris & Imperii subjectionem, sicut eos ipsos facto negasse jam ex re & ore adversariorum in confesso est, cum in loco citato, tum etiam antea *pag.* 6. ubi sic; *cum igitur*, ait, *Cammingana hæc ambitiosa gens contra superiora Archiva agnita & præstitum juramentum Cæsari continuo jurisdictionem Imperialem negaverit*, & passim alibi.

3. Sed Cammingani hac ordinaria præscriptione longissimi temporis non utuntur; habent eam, quæ supra omnem exceptionem est, præscriptionem temporis immemorialis, videlicet centum & ultra sex atque viginti, quemadmodum præcedenti capite liquido probatum est. Quod si ad Regalia privato alicui homini acquirenda, præscriptio 30. vel 40. annorum contra Principem sufficit, ut docet Bartolus in *l. si publicanus. § fin. ff. de public.* Felinus *in cap. cum nob. extra de præscript.* saltem de centum annis nullum esse dubium, quotquot juris Privati, Publici, Feudalis, vel Canonici scriptores sunt, omnes unanimi ore fatentur Dd. *in cap.* 1. *quæ sint regal.* Bartolus *in d. l. publicanis.* § *in omnibus.* Baldus *in l. competit. C. de præscript.* 30. *an. & consil.* 64 *vol.* 1. Salicetus *in l. vectigalia. C. nova vectig.* Panorm. *in cap. cum non liceat*, XI. *de præscript.* Alexander *consil.* 6. *vol.* 1. Roland à Valle *vol.* 1. *consil.* 3. *num.* 82. Cravet. *consil.* 54. *num.* 8. *& de antiquit. temp. pag.* 4. § *absolutus*, & omnes ita tradere respondit *Decianus consil.* 24. *num.* 12. *vol.* 1. quin imo locum habere præscriptionem immemorialem in iis quæ summo Principi specialiter sunt reservata in signum præeminentiæ, post alios docet Andr. Gail. *lib.* 1. *de pac. publ. observ.* 6. *num.* XI. idque indistincte, sciverit an ignoraverit Imperator, ut docet Baldus in *cap.* 1. *quæ sint regal.* quam opinionem esse communem affirmat Alexander *consil.* 6. *vol.* 1. Roland. à Valle *consil.* 91. *num.* 15. Rosenthal *de Feud. cap. v. conclus.* 15.

5. Non minus consensu generis humani receptam esse hanc præscrip-

ſcriptionem temporis immemorialis, ſive centum annorum, hiſtoriæ omnium gentium loquuntur, teſte graviſſimo harum rerum auctore Hugone Grotio *lib.* 2. *de I. B. & P. cap.* 4. § 6. & *ſeqq.* Nec quicquam notius magiſve indubitatum in ulla ſcientia vel diſciplina, quam hic articulus juris habetur. Praxis etiam viridis & uſus nationum bene cultarum, quæ in Europâ, imo toto terrarum orbe ſunt, idem ſine dubio adfirmat.

6. Nam ut aliarum gentium exempla mittamus, quid à pleriſque populis Europæ, Imperio Romano exemptis nominatim à Belgis, præter hanc præſcriptionem allegari poſſit, non apparet, cum utique belli illis adverſus Germanici Imperii corpus nullum unquam fuerit; nec aliud à Grotio in *lib.* I. *annal. ſupra citato*, profertur; cum Belgicas Provincias negat à multis retro ſœculis Germanorum agnoſcere leges.

7. Idem *prædicto cap.* IV. *num.* IX. firmat hanc ſententiam, cum ait, non eſſe hanc rem in ſola præſumptione poſitam ſed jure Gentium voluntario inductam hanc legem, ut poſſeſſio memoriam excedens non interrupta, nec provocatione ad arbitrum interpellata omnino Dominium transferret; credibile eſt enim in hoc conceſſiſſe gentes, cum ad pacem *communem id vel maxime intereſſet. Merito autem dixi*, inquit, *poſſeſſionem non interruptam, id eſt, uno & perpetuo tenore juris ſemper uſurpato, nunquam intermiſſo;* qualem Camminganos ſemper ab eo tempore, quod diximus CIↃ IↃ decimo habuiſſe & illibatam conſervaſſe ſuperius abunde probatum eſt. Denique præſcriptionem immemorialem non ſemper annos centum, plus nunquam requirere teſtantur Andreas Knich *in tractat. de jur. territor.* Reynking *lib.* I. *Claſſ.* 5. *cap.* XI. *num.* 40. Oldendorp. *claſſ.* 3. *art.* 2. Grot. *d. cap.* 4. § 6.

C 4-

CAPUT IX.

Quo rationes adverſarii contra præſcriptionem immemorialem refutantur.

I. Huic indubiæ ſententiæ Adverſarios temere obloqui. 2. Æquitas bujus præſcriptionis, quam ſugillant, probatur. 3. Legem poſitivam ad eam minime requiri. 4. Exemplum Jephtæ in hunc finem vindicatur. 5. Argumenta quibus probatur, non dari præſcriptionem jurium Majeſtatis. 6. Refutantur, adbibitâ deſtinctione. Ea firmatur ex Grotio.

I. QUam parum penſi habeat ſcriptor adverſarius, quid cauſſæ ſuæ velificatus ſcribat aut potius vociferetur, argumento ſit, quod hanc notiſſimam ab omnibus unanimi conſenſu adfirmatam & voluntate generis humani receptam ſententiam negare & adverſus eam diſputare non erubeſcat. *Atqui*, inquit, *in pag. xi. med. Romanum & alia ſumma Imperia non perſuadentur à Camminga in his terminis ſibi præjudicari præſcriptione, in æquitate Naturali citra diſpoſitionem juris poſitivi, alias parum fundata.* Si à Camminga non perſuadentur adverſarii, perſuadeantur ſaltem conſenſu omnium ſcriptorum & totius humani generis, quo Camminga ſe fretum eſſe probavit.

2. Quod autem hanc præſcriptionem in æquitate Naturali parum ait eſſe fundatam, hoc Grotius refellit *in d. cap.* IV. § 8. ubi poſt rationes alias, *tum vero*, inquit, *imperia tandem aliquando in certo & extra controverſiæ aleam conſtitui, humanæ ſocietatis intereſt, quam quæ adjuvant conjecturæ, favorabiles putandæ ſunt.* Adde, quæ ſub finem præcedentis capitis ex eodem Grotio protulimus.

3. Præterea, quod diſpoſitionem juris poſitivi ad præſcriptionem immemorialem requirit, imperite confundit uſucapionem præſcriptionemque longi & longiſſimi temporis cum eâ præſcriptione, quæ memoriam hominum excedit. Nam ad hanc nullius legis ſuffragium requiritur, cum

inter nationes diverſiſſimas, quas una lex non colligat, obſervetur, & in terminis juris Naturalis eam præſcriptionem ab auctoribus & gentibus intelligi docet idem Grotius loco ſæpe citato.

4. Pergit antagoniſta, *à Grotio*, inquit, *è Scriptura Sacra allegatus Jephtha Jud.* XI. *contra regem Ammonitarum provocat magis ad jus Belli & mandatum Divinum verſ.* 23. *&* 24. *quam ad nudum temporis lapſum, vel ius poſſeſſionis ſine fide & titulo.* Quanquam ab hoc Jephthæ exemplo res minime pendeat, palam tamen eſt, quod poſt alias rationes facti à Jephta adductas, hæc ultima ratio juris ut decretoria citatur ab eodem, *in verſu* 26. *Quamobrem*, inquit, *dum Iſraël trecentos per annos habitavit in Hesbon, id tanto temporis ſpatio non poſtulaſtis?*

5. Pergit adverſarius: *Neque ſubdito contra Principem currit præſcriptio ratione regalium majorum, vide Bechman in jus publc. Brautlach. lib.* 3. *can.* 4. § 9. *verbo præſcriptione, nedum ratione ſuperioritatis & independentiæ.* Deinde *pag. ſeq. finem*, *& quicquid ſit*, inquit, *obedientia & ſuperioritas eſt Summi Imperii cap. cum inter. x. d. Conſuet. Gloſſa in cap. voluntas* 16. *quæſt.* 4. *adeoque proprietas naturalis & inſeparabilis quæ præſcribi non poteſt, & ſubjectio ex functione publicâ ſeu canone reſultans plane non poteſt præſcribi l.* 6. *C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum. vide eund. Grotium eod. loc. de I. B. & P. lib.* 2. *cap.* IV. § 13. *Jam vero diploma Maximiliani, Cammingæ imponit tributum vel canonem annuum cum ſubjectione: & proteſtatur de Juribus Imperii ſemper ſalvis, quibus nullatenus præjudicetur, quomodo ergo Camminga tentando præſcriptionem tributi & ſubjectionis, Juribus Imperii præjudicare poteſt?*

6. Hæc Argumenta ſolvuntur omnia diſtinctione jam ſuperius inſinuata, inter eos actus eamque poſſeſſionem, quæ ab homine ſubjecto alterius poteſtati, & qui ſe fatetur eſſe talem inſtituitur, ac inter eos actus eamque poſſeſſionem, quæ exercetur à tali, qui ſe negat eſſe ſubjectum: nam prior nunquam initium præſcriptionis facere poteſt, contra ſuum Principem, in præjudicium ſubjectionis juriumque ſummæ Poteſtatis, quia verum & certum eſt, penes Principem eſſe facultatem perpetuam imponendi civibus ſuis quod ex republica cenſeat eſſe, nec animo concipi poteſt, quomodo is, qui ſubditum alii ſe fatetur, contra ſubjectionem illam præſcribendi jus obtendere queat.

Hoc

Hoc ſenſu intelligendus eſt Bechmannus ab adverſario citatus; item quod *ex cap. cum inter. x. de conſuet.* profertur, (quamvis id illic ita ſcriptum non ſit,) obedientiæ, quæ Summo Imperio debetur, non poſſe præſcribi, cum ſit proprietas Naturalis & inſeparabilis; hoc enim veriſſime de obedientia, quam civis, qua civis, ſuperioribus ſuis debet, affirmatur. Eodem medio reſpondendi utimur ad *l. 6. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* ubi negantur homines Imperio Romano ſubjecti præſcriptione temporis neceſſitati vectigalia tributaque ſolvendi eximere ſe poſſe, quod ob eandem rationem, juris eſt certiſſimi. Verum hæc multo aliter ſe habent in his, qui eo tempore, quo poſſeſſionem contra jus Principis incipiunt, negant ſe principi eſſe ſubjectos & in ea negatione perſiſtunt, Principe per immemoriale tempus nihil obloquente, nec inchoatam turbante poſſeſſionem.

7. Atque hæc diſtinctio evidentiſſime confirmatur auctoritate Grotii, quam hic ſaltem adverſarius evitare non poteſt, cum eundem in ſupra citatis allegaverit & ad eum provocaverit; nam is in *prædict. cap.* IV. *num.* 12. & 13. proponit hanc quæſtionem, an lex de uſucapione vel præſcriptione condita ab eo, qui habet Summum Imperium, pertineat etiam ad ipſum jus Imperii & ad ejus partes. Hæc quæſtio non poteſt ad alios pertinere, quam ad ſubditos ejus, qui legem tulit, qua tales, cum lex ad alios, qui ſe non gerunt ſubditos, ſpectare nequeat, & ex *ſeqq.* idem luculentius patet, etiam ex ipſo § 13. quem noſter homo citat, ubi exemplum ponitur à Grotio in ſubditis, qui præſcriptione acquiſiverunt, ut appellari ab iis non poſſit: ſcilicet in ſubjectis imperio illius legiſlatoris habet locum diſtinctio inter naturalia & non naturalia ſummæ poteſtatis: de quibus noſter homo loquitur nec quid loquatur intelligit.

C A-

CAPUT X.

Quo refelluntur rationes, quibus in Feudis non valere præſcriptionem immemorialem vult Adverſarius.

I. Argumentum primum refertur, ex opinione quorundam Dd. 2. *Refutatur ex frequentiore aliorum ſententiâ.* 3. *Et exinde, quod hoc argumentum nonniſi de præſcriptione* 30. *annorum agat.* 4. *Aliud argumentum ab actu contrario ſumptum refellitur.*

I. HÆc ſunt, quæ adverſarius præſcriptioni temporis immemorialis in univerſum opponit; habet etiam non nulla, quibus præſcriptionem Feudorum ſpecialiter oppugnat; ad quæ breviter etiam (licet minime conceſſo, Amelandiam fuiſſe Feudum) ſatisfaciemus. *De jure communi Feudorum*, ait noſter homo, *pag.* 12. *in princ. etiam quod Hollandiæ viget*, 2. *Feud.* 40. *&* 55. *ſpecioſis verbis exprimitur* (ſine ſenſu nec latine) *quicquid communiter inter longum & longiſſimum tempus diſtinguatur, nullius temporis præſcriptio obſtat alienato Feudo; hæc autem alienatio eſt tantum perſonæ Vaſalli mutatio; jam vero totam libertatem præſcribere velle major eſt alienatio, quippe ipſius quidditatis & eſſentiæ Feudalis, præprimis in Feudis regalibus, contra ſplendorem Imperii, qui rationem facit prohibitionis inductivam.*

2. Quod hic bonus vir narrat eſſe juris communis Feudalis, ea tantum eſt ſententia quorundam interpretum, quos nominat Curtius Junior *parte* 4. *cauſ. ult. num.* 82. *verſ. primo cum principalis*, *&* Clarus *in § Feudum. quæſt* 45. *num.* 2. ſed obliviſcitur hic prudens orator aut ignorat, longe plures eſſe qui contrarium teneant *per cap.* 1. *§ pen. qual. ol. Feud. alien. pot. & per Gloſſam in § præterea cap.* 1. *de cap. Conrad.* quam etiam ſequitur Baldus *in d. § præterea num.* 4. *ut &* Cujacius *ibid.* & Coppen *quæſt.* 54. *num.* 7. eamque communem eſſe teſtantur Peregrinus in *tractat. de fideicom. art.* 41. *num.* 13. Wurmſerus in *obſerv. pract. ſub tit. de Feud. obſerv.* 13. *&* Borcholten *de Feud. cap.* 8. *tit. de præſcr. Feud. num.* 13.

3. Ve-

3. Verum hæc disputatio ad rem nostram supervacua est, quia discrepantia illa de præscriptione 30. vel 40. annorum duntaxat intelligitur; cæterum de præscriptione immemoriali centum & amplius annorum qua nos freti sumus, nulli unquam venit in mentem dubitare, an per eam Feudo præscribi possit.

4. Pergit antagonista, *Imo vasallus*, inquit, *non præscribit contra dominum, nisi per actum contrarium domino interverterit possessionem isque acquieverit.* Si actum aliquem acquiescendi expressum noster homo intelligit, rei de qua loquitur naturam ignoret oportet; nam eo modo nulla unquam præscriptio perpetrari posset, quoniam is, in cujus præjudicium contrarius actus instituitur, nunquam ad expressum adduci posset; siquidem illa foret alienatio momentanea, potius quam præscriptio tractu temporis commissa: quod si tantum acquiescendi modum, hoc est, silentium domini intelligit, hoc sensu concedimus illam adsertionem adversario; non committi præscriptionem, nisi actu contrario possessoris interveniente, ac præterea acquiescente, hoc est, tacente domino. Nam actum contrarium supra toties probatum & ab adversariis agnitum vidimus, silentium vero Imperatoris ipsa res palam loquitur, quandoquidem nulla vox, nullum quoque factum Cæsaris per integros centum & viginti sex annos profertur neque proferri potest. Hinc jam corruit sequens ratio, qua sic infert noster, *neque enim sibi caussam possessionis mutare, & sola animi destinatione rem Feudalem possidere, ut liberam, incipere potest.* Non erat quod hæc tam prolixa citatione comprobaret, quod in rebus majoris momenti fere negligit aut nescit, ex Rosentalio, Bocero, Schultio, Baldo, Rittershusio; Etenim Camminga hic non instituit nudam animi cogitationem, nec ita caussam possessionis sibimetipse mutavit; verum quid animi sibi esset palam professus est, negando jurisdictionem atque tributum Cæsari, testes pro libertate sua in perpetuam rei memoriam producendo talesque actus exercendo, ex quibus antagonista in *pag.* 6. rebellionem & læsæ Majestatis crimen deducit ac, ut superius loquentem audivimus, Cæsaris contemptorem inde facit, quos utique actus subjectioni contrarios fuisse manifestum est.

CAPUT XI.

Quo removentur ea quæ præſcriptioni Camminganæ tanquam vitia vel interruptiones objiciuntur.

I. Ratio prima contra præſcriptionem immemorialem verbis Adverſarii proponitur. 2. Initium præſcriptionis male deduci ab anno 1525. 3. *Finem ejus abſurdius poni in anno* 1560. 4. *Tertia oppoſitio ex Capitulatione Imperatoriâ petita. 5. Hanc ad exteros non pertinere, interruptionem debere eſſe ſpecialem. 6. IV. opponitur mala fides & defectus tituli, qui probatur non deeſſe Camminganis. 7. 8. Nec vero hæc requiſita bonæ fidei titulique requiri in præſcriptione immemoriali. 9. Requiſita ejus eſſe duo, ſcientiam & ſilentium voluntarium. 10. Cæſares hæc duo requiſita commiſiſſe. 11. Concluſio hujus articuli. 12. Ultimum adverſarii argumentum è Deductione noſtra petitum refutatur & falſi antagoniſta convincitur.*

I. EX his, quæ ſuperius deducta ſunt, neminem ſenſu communi præditum, nedum ICtum eſſe credimus, qui dubitet, quin poſſeſſio viginti ſex anorum ſupra centum, abunde ſufficiat ad præſcriptionem jure Gentium pro Camminganis ſtabiliendam, ſed nihil omittendum eſt ex iis, quæ adverſarii contra hoc ſcutum tutiſſimum tela vibrant. Sic ait, *pag.* XI *quod ſi termini habiles præſcriptionis Camminga forent, quod tamen abſolute falſum, non tamen curreret præſcriptio, niſi à tempore mortis Petri à Camminga vaſalli Cæſarei ejusque filii & ſucceſſoris Wytzonis (qui ex mente Cammingarum anno incirca* 1525. *primam renovationem inveſtituræ Cæſareæ petere omiſit pag.* 13. *deductionis) uſque ad annum incirca* 1560. *quo Provinciæ Belgii Fœderatæ ſecedentes ſæculare fere bellum parabant, ultra inveſtituram Zubmianam; quod ipſum tempus guerræ ſecundum conſtitutiones Imperii (quas Camminga ad præſcriptionem contra Imperium provocans nolens volens admittere cogitur) ſi detrahatur, ne* 40. *quidem anni juvabunt, nedum tempus immemoriale.*

2. Ratiocinando parum profecit

fecit acutus antagonista noster; nunc vult Arithmeticam experiri, forte an novis calculis præscriptionem Cammінganam profligare queat: sed vereor, ut felicior sit in computando quam fuit in argumentando. Nam primo, quod initium possessionis liberæ petit à morte Petri à Camminga, in eo sibi ipsemet obloquitur, cum *pagina* 9. dixerit, ab eo tempore Petrum fuisse contemtorem Cæsareæ Majestatis, quo testes adversus subjectionem suam examinare curaverat; atqui illud examen accidit *anno* superioris sœculi *decimo*, fuitque negatio tributi & omissio investituræ à Wytsone facta tantum continuatio repetitæ possessionis pristinæ libertatis

3. Deinde cum finem præscriptionis ponit in anno *sexagesimo* sœculi præcedentis, rem manifesto absurdam & à juris ratione alienissimam tentat: non quod vim constitutionum Imperialium metuamus, qua tempus *guerræ* sive belli ad præscriptionem possidentibus prodesse negatur, nam hoc etiam Juri Gentium est consentaneum; secundum quod non potest esse validior interruptio præscriptionis, quam quæ manu fit armata belloque solemni: sed quia bellum quod Belgicæ Provinciæ dicto anno 1560. ut Teuto vult, (non interest nostra quod verum ejus initium sit decennio posterius) adversus Hispaniæ regem auspicatæ sunt, nihil ad Amelandiam ejusque Dominos pertinuit; qui ut neutrius bellantium imperio subjecti fuere, sic etiam, utraque parte concedente, neutralitate gavisi sunt, quemadmodum & hic auctor aliquoties meminit, & ipse Ferdinandus Cæsar in diplomate, quod Zuhmio sociisque largitus est, diserte testatur, & aliter, si necesse fuerit, instrumentis authenticis probari potest. Bellum igitur illud Hispanico-Belgicum nihilo magis impedivit Amelandicam præscriptionem, quam bellum Gallo vel Sueco Germanicum ei obstaculum præbuit aut præbere potuit.

4. Aliam interruptionis speciem proponit adversarius hisce verbis *pag. prædicta*; Et *quoties in omni capitulatione Cæsarea publica hæc prostant verba, quod omnia quæ ab Imperio Romano secesserunt, immediata, summâ curâ & studio reduci rursus debeant, toties certe hæc acta publica totius Imperii auctoritate & consensu, removent omnes præscriptiones libertatis & independentiæ omnesque malæ fidei possessores & detentores satis superque interpellantur, ut, quod eorum non est, sciant quovis modo pertinere ad Imperium.*

5. Miror, hunc hominem non citare pro caussa interruptionis cognomen Cæsaris, quo dicitur semper Augustus, quod Germani vertunt ALZEIT MEHRER DES REICHS; nam hæc verba clariorem continent significationem voluntatis Imperatoriæ ad omnes populos de non dimittendis Imperii Romani membris immediatis; quam leges capitulationis Imperatoriæ, quæ tantum sunt pacta conventionesque inter Cæsarem & Ordines Imperii; ad tertium vero nihil omnino pertinent nec unquam ullum præjudicium extra paciscentes, inquam, creare possunt. Præter quod omnis interruptio possessionis sicut ipsa possessio debet esse specialis & nominatim expressa, quam rem suam aliquis esse contendat. Nemo unquam in juris privati vel publici doctrina interruptionem possessionis ita committi audivit, ut sufficeret, Dominum dixisse, quicunque de meis rebus aliquid possidet, hunc ego postulo, ut mihi quod est meum restituat; nam ita non tollitur fundamentum præscriptionis, qua lex aut jus Civile vel Gentium præsumit, Dominum hanc vel istam rem tot annorum spatio neglectam habuisse pro derelicta. Si ex capitulationibus Cæsareis probare possit adversarius, id actum esse cum electo rege Germaniæ, ut *Amelandiam* rursus Imperio adjungeret, ne sic quidem ea conventio suffecisset ad interruptionem perpetrandam, ita ut effectum juris habere potuisset adversus Amelandiæ Dominos ejusmodi conventionis ignaros, duntaxat extra conventionis ejus obligationem positos.

6. Præter hæc duo tam facile refutata; passim exprobrantur Amelandiæ Dominis ab hoc auctore, mala fides & defectus tituli; de quibus nostra sic ratio est; titulum Amelandiæ Dominis justissimum præstare successionem continuam jure testati ac intestati singulis Camminganæ gentis toties delatam, Hertwertense Decretum superius explicatum, denique & à Cæsare Maximiliano confirmatum. Quod autem Imperator & deinde pressius Saxoniæ Dux, tributum & fidelitatis sacramentum à Petro Camminga eoque solo exegerunt, minime pro voluntario haberi potest, sed inops insula Frisiæ quidem accessio fieri cogebatur; Dominus autem ejus quo pacto recusare posset, quod Ordines Proceresque Frisiæ necessitate compulsos jam præstitisse videbat? Metu profecto eam submissionem fuisse factam

ctam non modo ex illis à priori circumstantiis, sed etiam ex eo quod postea contigit, indubitato apparet: siquidem ille qui se qualitercunque submiserat Petrus à Camminga confestim ac ille metus & incumbens armorum vis cessabat, jus suum, ut aliquoties diximus, & adversarius ipse fatetur, repetiit, & secundum antiquam formam sine turbamento retinuit ac ad posteros suos transmisit. Igitur metus ille gravioris potentiæ legitimam Jure Gentium restitutionis caussam Petro à Camminga suppeditabat, eo modo ut interpretatione juris in pristinum statum, qui fuerat antequam Maximilianus Frisia potitus erat, restitutus intelligeretur, cum eodem effectu, quasi nihil eorum quæ Maximilianus & Albertus expresserant, gestum atque scriptum fuisset. Quocirca nemo non videt, eidem Petro à Camminga semper eundem adfuisse titulum, quem antiquitus habuerat, nec malam fidem ullo modo aut ab initio aut etiamnum ei posse vel potuisse imputari.

7. Quin etiam, si apud ipsum Imperatoris tribunal ea, quam diximus, restitutionis caussa licet justissima, inimicorum judicio approbari non possit, tamen ne sic quidem præscriptione centum & viginti sex annorum Cammingani, adversus Imperii prætensiones, destituerentur; quatenus ex juris disciplina, non minus certissima quam notissima res est, ad præscriptionem longissimi temporis, maxime vero ad eam quæ est temporis immemorialis, non requiri titulum neque bonam fidem. De longissimi temporis præscriptione in jure Romano habemus *Authent. malæ fidei C. d. præscript. long. temp. l. 3. l. 4. C. d. præscr. 30. vel 40. annor.* Verum enimvero jure Pontificio hac parte secus esse constitutum, de ordinariis præscriptionibus non ignoramus: at de immemoriali possessione neminem esse putamus, qui dixerit aut scripserit, eam non prodesse propter tituli bonæve fidei defectum. Etenim ipsa vox *immemorialis* ultrò loquitur, ejus initium non suspendi ab inquisitione tituli malæve fidei; ut pote cum earum rerum nullam esse memoriam ipsa res & vox, sicut antea diximus, intelligendum præbeat.

8. Si tu dicas; ex scriptis veteribusque monumentis de mala fide tituloque justo constare posse; in eum errorem concederes, qui ferendus non est, ut possessionem immemorialem in hac præscriptione de tali sumeres, quæ ne

scripto quidem literisque refelli posset: nam eo sensu vix ulla vel præscriptio immemorialis fuerit in mundo, nisi apud Scythas & Cannibales, aut si quæ aliæ nationes incultæ rerum gestarum monumentis destituantur. Possessio immemorialis centum ad summum annis ab ICtis est definita, quoniam is vitæ longævi hominis ultimus finis est *l. an usufructus 56. in fin. ff. de usufr.* quo elapso temporis spatio, nullum amplius mortalium superesse, qui diversæ possessionis meminerit pro certo interpretantur.

9. Accedit altera, cujus jam supra meminimus, ratio; quod præscriptio immemorialis idcirco dominos mutet omniaque jura tollat & extinguat, eo quod prior dominus, vel qui talem se fuisse contendat, dissimulato per integrum sæculi decursum jure suo, quod utcunque sibi comparatum non ignorabat, & quod, si vellet, facile vindicare potuisset, id cujusmodicunque pro derelicto habuisse videatur; Nam hæc sunt requisita præscriptionis jure Gentium, docente Grotio, ab antagonista in hac ipsa quæstione, supra laudato, *lib. 2. de I. B. & P. cap. IV. n. V. fine*, his verbis; *Sed ut ad derelictionem præsumendam valeat silentium, duo requiruntur; ut silentium sit scientis, & ut sit libere volentis.* Et mox *versu* VII. *quia vero tempus memoriam excedens, quasi infinitum est moraliter, ideo ejus temporis silentium ad rei derelictæ conjecturam semper sufficere videbitur, utique si illa duo requisita adsint*, quæ in præsenti caussa manifesto reperiuntur.

10. Nam silentium Imperatoris Maximiliani post annum superioris sæculi decimum, sine dubio fuit scientis, ut pote qui jus Petri à Camminga recognoverat & ipse tributum imposuerat. Silentium quoque Caroli V. fuit *scientis*, quia Wytzonem à Camminga citavit ad homagium Philippo filio tanquam Domino Frisiæ præstandum, quod adversarius ipsemet ex advertissimento Watzonis à Camminga produxit: quæ Caroli V. citatio valet adhuc efficacius, ut antea dictum, ad probandum, quod Carolus Amelandiam nullo modo ut immediatum Imperii membrum agnoverit. Reliquos etiam Cæsares Augustos non ignorasse caussam Amelandicam suumque jus seu validum seu vitiosum, noster hic homo passim affirmat; cum eo obtentu præscriptionem identidem pro Camminganis valere negat. Postremo, silentium illud Imperatorum Germaniæ fuisse

libe-

liberum, nihil eget probationis, quando nihil omnium vel excogitari posset, quod Potentissimos Principes contra imbecillimum Dynastam avertere, nedum absterrere potuisset, quemadmodum aspera novissimi temporis experientia satis superque cum Amelandos tum Belgas vicinos erudivit.

11. Proinde cum adsint requisita præscriptionis immemorialis decretoria, cum disquisitionem de fide tituloque proprietas ejusdem præscriptionis, quæ derelictione præsumptâ nititur, repudiet, eaque tamen fides & titulus hic non omnino deficiant, Amelandia sperat atque confidit, si jus inter gentes valebit, se hoc irrefragabili præsidio duntaxat id consecuturam, ut quam vim deinceps ab adversariis patietur, eam nullo se jure pati omnes justitiæ amantes sint agnituri.

12. Sed enim animadvertit unum adhuc antagonistæ argumentum superesse, cui non sit satisfactum, quo præscriptionem interruptam fuisse contendit. Proponit hoc in *pag.* 12. *Camminga vero*, inquit, *hunc actum contrarium (qui tamen nuda est interna animi destinatio) ostensurus Thrasonica elatione*, ait, Familiam suam ultra sœculum & semper elata voce protestatam fuisse contra Cæsarem, quod imperium Amelandiæ sit independens, cum animo nullum agnoscendi superiorem, *Prodit se ut sorex & renitente animo lingua præcurrit mentem, Cammingan os à Cæsaribus fuisse interpellatos & citatos; quid alias opus habuissent protestationibus, & quod magis est, in specie contra Cæsarem? quare non contra Regem Galliæ? Confitentur ergo tacite felonias & Rebelliones contra Cæsarem, & gloriantur publice de suis facinoribus.* Astutus hic disputator agit callide, quod paginam, ut nunquam alias non solet, reticet, qua parte Deductionis hæc verba habeantur, enimvero contra Cæsares protestatos esse Amelandiæ Dominos, nusquam in deductione scriptum vel à Cammingan is memoratum est, sed in *pag. deductionis* 26. sic habetur, *nihil esse notius & certius quam Dominos Amelandiæ semper esse protestatos, suam insulam esse liberam & à nemine dependentem.* Noli putare, mi homo, has protestationes fuisse judiciales & citationibus Cæsareis oppositas, cujusmodi tu jactas quidem, sed nullas in æternum proferes ante annum sæpe dictum trigesimum sextum: Fortuitæ & obtrectatoribus ac irrisoribus, qualis tu es, objectæ protestatio-

nes

nes fuere : nam Dominus Amelandiæ non nescit, ejusmodi libertatem, qualem à Majoribus acceptam ipse pro viribus tueri debet, ciere frequentem hominum admirationem, invidiam, maledicentiam : quas utique devorari debere intelligit: juris tamen rationisque scutum, & hac occasione justas protestationes à nemine sibi prohiberi patitur; nec etiam prohiberetur tuis, Teuto, *Feloniis* & *Rebellionibus* toties importune inculcatis, reponere falsi & mendacii probrum, cujus modo convictus es, si tam modestiæ illum suæ pœniteret, quam tua tibi placet insolentia. Igitur oblecta te facundiâ tuâ, cum paulo post; *Ante annum*, ais, 1652. *protestationis Cammingana contra jurisdictionem Imperii nulla apparuit insinuatio, qua deficiente, protestatio Camminga idem haberet pondus ac si aliud quoddam animal clara voce in Amelandia ruderet, an acquieverit Aula Cæsaris ad aliqualem protestationem? Mandata severissima loquuntur.* Ego vero; ante annum, inquam, hujus sœculi trigesimum sextum citationis Cæsareæ contra præscriptionem Camminganam nulla apparuit insinuatio, qua deficiente citationes factæ post lapsum integri sœculi & alterius quadrantis, nihil ponderis habere queunt, tuaque convitia nihilo pluris apud sanos homines haberi possunt, quam si quilibet alius fastu ebrius ineptissimis & semibarbaris vociferationibus effrenem in modum baccharetur.

C A-

CAPUT XII.

Quo removentur objectiones adversarii ratione Belgii Fœderati & Frisiæ.

I. Transitus. 2. *Error Antagonistæ, quo Frisiam vult esse liberatam ab Imperio jure belli; quod non magis hæc habuit quam Amelandia.* 3. *Qua ratione protectionem Ordinum Fœderatorum impetraverit Amelandia.* 4. *Calumnia historiolæ Camminganis imputatæ.* 5. 6. 7 8. 9. *Refutantur varia, quibus Ordines Generales vult Antagonista neglexisse causam Amelandicam.* 10. 11. 12. *Agitur de jure quod Ordines Generales habent circa Amelandiæ controversiam.* 13. *Refutatur, quod adversarius objicit de vasis littorariis.* 14. *Et conclusio tractatus.*

I. Atque ita jus Amelandiæ quod fuit ante, quod fuit post Diploma Maximiliani tam valide firmatum, ipsius quoque temporis, quo necessitati parendum fuit, objectio sic labefactata est, ut nullum adversarii argumentum, quod non submotum & enervatum fuerit, reliquerimus. Satisfaciendum est etiam paucis aliquot ratiunculis & prætextibus, quibus antagonista caussam hanc Amelandiæ à Belgio Fœderato & à Frisia divellere satagit.

2. Dixerat Amelandiæ Dominus *pag.* 24. si adversarii probarent, factam aliquando fuisse, demissionem Amelandiæ sub Imperatorem, fore ut animadverteretur, an non etiam Frisia ad eandem submissionem redacta fuisset; forte etiam, annon major pars Belgicarum Provinciarum olim Imperio Romano subjecta fuisset; consequenter, an non Amelandia pari modo lapsu temporis, quo istæ Provinciæ, libertatem adepta foret. Ad hoc adversarius noster *pag.* 13. *Fallitur*, inquit, *Frisia nunquam facta est libera per nudum lapsum temporis, sed jure belli & transactionis: quid vero hoc ad Amelandiam? ubi jus belli? ubi concordata transactionis?* Mendacem oportet esse memorem. Modo bellum, Amelandis, cum Imperio habitum objecisti ad interrumpendam eorum præscriptionem;

nem; nunc eos unquam in bello fuisse negas, & rectius quidem hoc quam illud: nos enim & antea negavimus, Amelandiæ bellum fuisse cum Imperio, nec id jam retractabimus; te potius vicissim percuntabimur, ubi jus belli Frisiæ cum Imperio, ubi concordata transsactionis? Cum Hispaniæ rege bellum fuisse, cum illo pacem esse initam armisque partam, conditionibus firmatam libertatem meminimus; Hispaniæ regem fuisse Imperatorem aut Imperium repræsentasse nescimus Belgæ, nescit instrumentum Pacis Monasteriense, neutralitatem cum Imperio semper à Belgis quæsitam, & solicite observatam esse, loquuntur historiæ. Nulla pax, nulla transactio litigiosa de universa subjectione cum Imperatore vel cum Imperio, quamdiu stetit Publica Res Fœderata, unquam inita memoratur. Nolens volens igitur, mi homo, concedere debes; eandem Amelandiæ, quod ad libertatem attinet acquisitam, esse rationem, quæ est Frisiæ, quæ est reliquarum Belgii Provinciarum, quas olim Imperio fuisse subjectas contendi solet.

3. Verum altius insurgit & cothurnos induit antagonista in eadem pagina; cum scribit. *Tandem denudata omni argumentorum specie, Camminga, Jovis iram augurans, disturbat & compellit vicinum Belgium; tum temporis non protestatur scriptis contra Jurisdictionem & Protectionem Dominorum Statuum; quoad hunc vero actum, contra Cæsarem & Imperium, subornat conquisitam suis argumentis Protectionem, Frisiæque alas sibi pandit, objecto prætextu Rationis Status, Vicinitatis, suæ inter Frisios Auctoritatis, &c. Ut velut auceps dulci hoc cantu suffragia sibi conciliaret. Vanissimum autem fingit prætextum, cui si detrahantur fraudes, injuriæ & passiones, mera erit umbra larvata.* Mirum dictu, Germanus homo rectius novit jura & id quod interest Belgicarum Provinciarum, quam ipsis Provinciarum earum Proceribus constet. Enimvero iram Jovis (sic libet Imperatorem Augustum designare *nostro*) non juris sed virium suarum conscientia timens Amelandia, protectionem Celsissimorum Belgii Fœderati & Illustrium Frisiæ Ordinum humiliter imploravit; eamque placuit justissimis & sapientissimis Proceribus benevole impertiri, non objecto, ut hic homo calumniatur, prætextu Rationis Status, vicinitatis, & auctoritatis suæ, nihil aliud

aliud quam jus & æquitatem suæ caussæ, possessionemque immemorialem Celsitudinibus ipsorum abunde pridem cognitam allegavit, una cum instituto patriæ inveterato, protegendi cives suos innocentes adversus vim *& prætensiones* armatas exterorum ac potentiorum; nec aliis actibus grassatos esse Camminganos Celsissimi Proceres publice privatim usquequaque testati sunt.

4. Adeo ut ineptissimum sit figmentum, quod Teuto noster in eadem *pagina* narrat, Coryphæum Camminganæ gentis in aula Celsissimi Principis Nassoviæ, Domini Gubernatoris Frisiæ susurrasse, quasi multo crudelius esset, Amelandiam protectioni Ordinum Frisiæ submittere, quam Cæsaris longe remoti imperium agnoscere. Fuit hoc inter ea, quæ scurræ urbani *Reichelmo* heroi suggessere mendacia, cum Leovardiæ miles scholaris invitus ageret, quibus ille tempus in liberâ custodiâ suâ falleret, tædiumque mali successus armorum suorum mitigaret.

5. At majoris momenti sunt, quæ mox subjiciuntur, *Domini Generales*, inquit, *nullum unquam in Amelandiam habuerunt, prætenderunt, aut allegarunt Dominium, Jurisdictionem, Protectionem &c.* quæ in fine ejusdem & sequentis paginæ noster homo commemorat, ea non hanc disputationem de jure Cæsaris in Amelandiam, sed inter Imperatoriam Majestatem & Celsissimos Ordines Generales vertuntur & quatenus ad præsentem caussam spectare queant, satis in superioribus superque responsum est.

6. Quod tamen inferius *pag. seq.* sic ait auctor; *neque verbis tantum sed etiam reipsa Cæsaream investituram & causam Amelandiæ Belgio indifferentem tractarunt*, non prorsus silentio prætereundum est, licet antea sit dictum probatumque, Celsissimos Ordines nunquam aliter hanc caussam, nisi ad Imperii sui caussam summopere pertinentem considerasse.

7. Pergit ille, *de confiscatione viginti navium Duinkerkianâ severisque mandatis & reali executione à Cæsaris Commissariis Johanne Beer, & post modum Johanne Friquetto Hagæ-Comitum residente intenta nihil unquam conquesti.* Tu vero primum doceto, mi homo, illa quæ narras de navibus confiscatis, de mandatis Commissariorum & executione Celsissimis Ordinibus, unquam insinuata fuisse. Quod si confeceris, tum vide quid ex eorum patientiâ colligere possis. Etenim quod nunc eam

arguere vis rebus, eorum Celsitudinibus ignotis ineptum & incassum est.

8. Idem tibi reponimus ad ea, quæ mox subjicis; *Tolerarunt placide Cæsareos investitos Zubmium ejusque cessionarium Doegen & hæredes*; Atqui adversus horum vim & injurias Amelandia à Celsissimis Ordinibus semper vindicata valideque defensa est.

9. Æque vanum est quod de Frisiis narras eos Notarium Scholl, Amelandos nomine Cæsaris compellantem tolerasse; cum, ut reliqua, factum fuerit mere privatum nulli Procerum, nedum his qui ad clavum reipublicæ sedebant cognitum; qualia facta in argumentum patientiæ, quam Celsissimi & Illustrissimi Ordines inimicis Amelandiæ præstiterint, non minus absurdum est, quam quod denuo inculcas de Senatu Amstelodamensi mandatoque ejus & confessione Feudalitatis Amelandiæ Imperialis, de qua superius & antehac abunde responsum.

10. Majorem aliquanto speciem habet, quod & præcedenti *pagina* 12. *in fin. & hac* 14. *sub fin*. ac alibi passim ingeminat noster, Celsissimos Ordines Generales sæpe confessos esse, nullum sibi esse dominium aut jurisdictionem in Amelandiam, quin ejus incolis concessisse jus Neutralitatis controversiasque ad eandem insulam pertinentes velut amicos compositores & arbitros ex compromisso tractasse. Quæ res hactenus ita quidem vere narrantur, sed omnium minime sequitur, quod in rem suam inde noster homo colligit & conclusum vellet, Celsissimis Ordinibus nec animum esse nec juris ullum prætextum, Amelandicis rebus contra Cæsaris auctoritatem semet immiscendi.

11. Quod equidem ad animum pertinet, eum Celsissimi Ordines abunde testatum fecerunt & Decreto suo die vigesimo septimo Martii 1637. & litteris ad Cæsaream Majestatem scriptis die decimo Decembr. 1654. in quibus Camminganum jus in Amelandiam vocant indubitatum & possessionem præsentium Dominorum justam, consequenter amicissime & enixissime rogant pro vicinitate mutuâ, ut Cæsarea sua Majestas prospicere velit, ne Dominus à Camminga ratione Dominii Amelandiæ ullo modo turbaretur jussaque in contrarium data revocarentur. Non est quod multis verbis doceatur, quid ejusmodi petitiones eâ formâ propositæ inter summas potestates secum ferant & quæ sit earum inter-

tere-

terpretatio, si nullam illarum rationem habitam fuisse postmodum appareat.

12. Jus vero, quod habent Celsissimi Ordines Generales protegendi Amelandiam contra vim peregrinam, latius deduxerunt in epistolâ quam ad Cæsaream Majestatem novissime dederunt, die vigesimo octavo Augusti 1676. cujus tenorem ex ipso litterarum exemplo, quod infra subjicietur lectoribus intelligendum relinquemus, nec etsi noster homo rationes illas in hoc libello refellere conatus sit, replicationem hac in parte licet facilem aggrediemur, cum nobis id tantum sit consilii, nostrum jus patrimoniale tueri. Fortasse tamen hoc sine præjudicio addere licebit, protectionem innocentium, maxime vicinorum, non modo permitti, sed etiam præcipi & inculcari: Denique cunctis gentibus, non modo id deberi, ut ditiones possessionesque suas habeant illæsas & intactas, sed etiam ut securitas iisdem & adversus metum justum cautio præstetur. Mitto, quod dominium Maris vadosi ostiorumque circa Amelandiam indubitato jure sit penes Ordines Generales, quod utcunque Amelandiam non afficit ipsam, sic tamen ambit & implicat eam, ut Amelandia non magis à Belgio Fœderato, quam propria ipsius utilitas & securitas dividi posset.

13. Nescio an, obiter, omitti possit, quod Ordinibus Generalibus objicit hic homo de vasis littorariis, quæ Hamburgenses habent in Albi; nam illa non probant, inquit, jus Hamburgensium in prædia & regiones adjacentes, quasi aperte diversissima ratio non esset Celsissimorum Ordinum Generalium & Hamburgensium, quippe cum ditiones Albi adhærentes varios ad Dominos Hamburgensibus longe potentiores spectent. Cujusmodi apud maris Belgii ostia vadaque nullæ reperiuntur.

14. Sed nos hæc & alia, quæ de sapientissimis Ordinum Generalium Decretis factisque circa Amelandiam ab hoc homine traducuntur & exagitantur, missa faciemus; utpote certi, Celsissimis Proceribus nec animos nec rationes defuturas, quibus instituta consiliaque sua probent & tueantur. Cordatiores novit Amelandia Celsitudines eorum, quam ut convitiis calumniisque Teutonicis, quæ sub finem sui libri noster homo effundit, adversus Amelandiam concitari impellique se patiantur; minas autem, in quibus auctor inimicus definit, scilicet

 graviora

graviora Jovis fulmina & ignem in favilla ardeſcentem, non Jovi Capitolino, quem ille crepat, ſed Deo Moderatori Dominoque Magnorum & humilium, Potentium & infirmorum, devoto animo committit; neque tamen non ſperat, eum fore Belgis Fœderatis animum atque fortunam, ut innocentis cauſſæ tutelam, adverſus externam vim, quæ per latus Amelandiæ, ipſorum ſecuritati toties intentata fuit, ſi quando rurſus parabitur, generoſe ſuscepturi ſint & pro juſtitiæ jurisque patrocinio conſtanter executuri. Hactenus ſcriptum, quod *Generoſæ Barones Swartzenburgicæ*, mediate hæredes *Franciſci Duconis à Camminga*, noviſſimi *Amelandiæ* Domini, typis deſcribi voluere, cum intelligerent, Adverſarios novam moliri inſtantiam apud Celſos & Potentes Belgarum Ordines Generales; in quem uſum curaverat id parari Ὁ Μακαρίτης, nuper è ſummâ proſperitate rerum, florente juventa, γάμοις ἀγάμοις, maximæ ſpei, quam virtute ſua apud omnes excitaverat, ereptus, cauſamque Amelandicam non modo his externis, ſed etiam domeſticis litibus implicitam reliquit, attamen ita comparatis, ut brevem earum exitum ſperare fas ſit, autoritate ſupremi Senatus Juridici Friſiorum, cujus de Amelandicis controverſiis ſemper agnita & exercita fuit jurisdictio; ſummo Moderatore Deo O. M.

A

A.

Nos Ferdinandus Secundus, *divinâ favente clementiâ; electus Romanorum Imperator*, *semper* Augustus, *ac Germaniæ*, *Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, *Sclavoniæ &c. Rex*, *Archidux Austriæ*, *Dux Burgundiæ*, *Brabantiæ*, *Styriæ*, *Carintbiæ*, *Carniolæ &c. Marchio Moraviæ*, *Dux Lucemburgiæ*, *ac superioris & inferioris Silesiæ*, *Wirtembergæ & Teckæ. Princeps Sueviæ*, *Comes Habsburgi*, *Tyrolis*, *Ferreti*, *Kiburgi & Goritiæ. Landgravius Alsatiæ*, *Marchio sacri Romani Imperii*, *Burgoviæ*, *ac superioris & inferioris Lusatiæ*, *Dominus Marchiæ Sclavoniæ*, *Portus Naonis*, *& Salinarum &c.*

AGnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis & singulis. Quod cum Nobilis Honorabilis, Noster & Sacri Imperii Fidelis Dilectus, *Ernestus Zuhm* pro se & conjuge suâ Catharinâ, natâ de Camminga, nec non nomine Nobilis, & Honorabilium nostrorum & sacri Imperii Fidelium Dilectorum *Foppi ab Aitsema* in Lipperoda & Alsheimb, Liberi Baronis & Equitis, *Anthonii de Waveren*, Equitis, & Consulis Civitatis Amstelodamensis, ac *Simonis de Beaumont*, consulis Civitatis Dordracenæ, vigore mandati à modo nominatis consortibus suis habiti, & ad acta exhibiti, humiliter exposuerit; *Amelandiam* Insulam in Mari septentrionali, *haud procul à littore Frisiæ Orientalis sitam*, antiquitus atque etiamnum à Vicinis & conterminis Dominiis & Ditionibus, *pro Prædio*, *sive Dominio Libero Imperiali*, atque idcirco pro loco neutrali agnitam habitamque fuisse, agnoscique & haberi, ac tanquam beneficium Sacri Romani Imperii, quoad usumfructum, ad familiam Cammingana m pervenisse, sic nempe, ut dicti de Camminga & juramentum fidelitatis & certum tributum de eâ præstiterint, tum Cameram quoque nostram Imperialem Spirensem pro Judicio sive Tribunali suo ordinario recognoverint, adeoque confirmationes super eadem insula successive à prædecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus ac Regibus petere debuerint;

rint: humiliter supplicando, quandoquidem ejus Insulæ non priores solum possessores *à centum retro annis* à prima origine eo usque recesserint, ut neque à posterioribus Imperatoribus & Regibus Romanorum proximis nostris Antecessoribus, confirmationes ullas acceperint, nedum recognitiones præstiterint, sed ei, qui nunc eam tenent, eo usque processerint, ut de Eadem, tanquam de Dominio suo proprio & hæreditario, disponere præsumserint: ac proinde ipsi non dubitent, quin nos ex causis prælibatis, aliam de ea dispositionem facere in animo habeamus, ut pro solita Imperiali nostrâ Clementiâ *Zubmii* & dictæ Conjugis suæ, tanquam Affinis & sororis modernorum Possessorum, nec non & prænominatorum Consortium suorum, tanquam Incolarum Provinciarum Belgicarum, & quorum Majores de Augustâ Domo Nostrâ Austriacâ pacis ac belli temporibus persæpe quam optime meriti fuerint, quique ipsi, quisque pro conditione & viribus suis, his adhuc turbulentis temporibus omnem debitum respectum erga Nos semper conservarint, omniaque honesta & pacifica consilia ubivis, ac in omnibus actionibus suis, sibi cordi ac curæ habuerint, præ omnibus exteris, qui nos super hoc compellarent, benignam rationem habere, ipsosque simul omnes, pro se & descendentibus suis, masculis & fœminis de prædictâ Insulâ Amelandiâ cum omnibus pertinentiis suis, superiore ac inferiore jurisdictione, subditis, venationibus, piscationibus, jure littoris, fundis per alluvionem adjectis, vel in posterum adjiciendis, nec non omnibus & singulis fructibus & utilitatibus factis & post hac faciendis conjunctim, ac se quidem, dictum *Ernestum Zubm* una cum prænominata conjuge suâ de unâ quartâ, in hunc modum investire ac infeudare vellemus; nimirum quod Ipsis non modo dictam Insulam in quatuor æquales partes dividere ac separare, ac super eâ divisione inter se convenire, sed in posterum & cuique eorum alteri cuivis ex ipsis suam portionem vendere, ac in ipsum transferre licitum & liberum esse debeat, offerendo se ad juramentum Vasallagii, eaque omnia quæ fideles Vasallos decent, præstanda & curanda. Nos attentis ejusmodi precibus prædicti *Ernesti Zubm* ejusque consortium, tum inprimis etiam benignâ *ratione habitâ egregiæ devotionis, quâ ipsi de Nobis* & sæpe dicto sacro Romano

no Imperio *bene mereri cupiunt*, mererique poterunt ac debebunt, ipsos, prædictum videlicet *Ernestum de Zuhm*, una cum præmemoratâ conjuge suâ, tum & prænominatos eorundem Consortes *Foppium ab Aitzema* in Lipperoda & Alsheim, Liberum Baronem & Equitem, *Antonium à Waveren* Equitem, & *Simonem de Beaumont*, hunc Dordracenæ, illum Amstelodamensis Civitatis Consules, conjunctim & prænominatum quidem *Zuhm*, cum dictâ conjuge suâ pro una quarta, reliquos autem de cæteris, quemque pro una parte, pro se omnibusque hæredibus suis, masculis & fœminis legitime ex ipsis vel quoque eorum descendentibus, de dictâ Insula & Dominio Imperiali Amelandiæ cum omnibus & singulis ejusdem pertinentiis, superiore & inferiore Jurisdictione subditis, Venationibus, Piscationibus, jure littoris, fundis per alluvionem adjectis vel adjiciendis, omnibus fructibus & utilitatibus nunc factis, & deinceps faciendis, clementer & in quantum de jure possumus, investiverimus & infeudaverimus, prout adeo præsentium tenore animo bene deliberato investimus & infeudamus, sic videlicet & in hunc modum, quod ipsis sæpe dictam Insulam in quatuor æquales partes, prout de eo inter ipsos conventum fuerit, inter se dividere, singulisque ipsorum suam partem, alteri cuivis ex ipsis duntaxat & non alii, (Nisi alio prius à Nobis & Sacro Romano Imperio habito consensu) vendere licitum & liberum esse debeat. Attamen ut ipsi, ac quisque ratione portionis suæ, Nobis, Sacro Romano Imperio, Nostrisque in Imperio Successoribus legitime, perpetuò fideles & obedientes sint, *Commoda Nostra*, & ejusdem Sacri Romani Imperii *pro virili suâ promoveant, incommoda avertant, & si quid contra Personam, Honorem, & Statum Nostrum, & Sacri Romani Imperii tractari senserint, pro viribus obsistant, deque eò Nos & Successores Nostros, Romanorum Imperatores ac Reges, tempestivè admoneant, aliaque omnia & singula faciant & præstent, quæ fideles Imperii Vasallos Domino suo Romanorum Imperatori ac Regi facere & præstare tenentur* de Jure & consuetudine, quemadmodum de eo sæpe dictus Ernestus Zuhm pro se, nec non nomine & ratione, ideoque in animam supra nominatorum Conjugis & Consortium sive Condominorum suorum, vigore mandati supra allegati, de eo corporale

rale

rale juramentum nobis præstitit. Ac salvis præterea nostris & Sacri Romani Imperii juribus, quibus per hæc ullatenus præjudicare non intendimus. Horum testimonio literarum manus nostræ subscriptione & sigilli Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate nostra Lincii ad Danubium, die septima Mensis Julii, Anni Domini Millesimi sexcentesimi sexti, Regnorum nostrorum Romani, decimi septimi, Hungarici Decimi noni, Bohemici vero vigesimi.

Vt. *Ferdinandus.*

I. H. à Stralendorf.

Ad mandatum Sac. Cæsareæ Majestatis proprium

JOAN. WALDERODE.

B.

EXTRACT uyt het Register der Resolutien van Haar Ho: Mog: de Heeren Staaten Generaal der Vereenigde Nederlanden.

Jovis den 26. *Martii* 1637.

IS ter Vergaderinge van Haare Hoog-Mog. voorgedragen, ende in bedenken gestelt, of men ongemerkt zoude behooren te laten passeeren den Investiture van 't Eyland van Ameland, onlangs door den Keyser gegeven, dan of men niet veel eer tot conservatie van de Geregtigheden van dezen Staat, ende voorkominge van veele quaade consequentien, niet behoort by publiek Manifest bekent te maaken, dat men deze Proceduren niet stilswygens kan laten passeeren, veel min voor goet aansien: waar op gedelibereert zynde, hebben Haare Hoog-Mog: geoordeelt ende verstaan, datze zodanige Proceduren ende Investiture niet en konnen goet vinden, als zynde van præjudiciabile sequele, ende strydig met den dienst van 't Land, verklarende diens volgens zodanige Proceduren ende Investituren albereyds geimpetreert, ofte nog te impe-

impetreren, nul, geen ende van onwaarden, ende zal hier van notificatie gedaan worden zulks en daar het behoort. Was den principalen dezes getekent:

D. Schonenburg vidit,

Lager ſtonde: Accordeert met hot voorſz. Regiſter,

ende was verteekent:

CORNELUS MUSCH.

C.

Aan zyne Roomſch Keyſerlyke Majeſteyt,

Den 10. *December* 1654.

WY zyn van goeder hand bericht, dat by uwe Keyſerlyke Majeſteit voor deszelfs Hofs-Gerichte den 20. July leſtleden, zekere Sententie is geweſen tot nadeel van de Heere *Watzo van Camminga*, Heere van Ameland, ende tot voordeel van *Ernſt Zuhm*, rakende d'Inveſtiture ende 't Regt tot het voorſz. Eyland van Ameland; dat ook den Heere Biſſchop van Munſter geauthoriſeert zoude zyn om de voorſz. Sententie ter executie te ſtellen, en vervolgens den voorſz. *Ernſt Zuhm* in poſſeſſie van 't voorſz. Eyland te immitteeren; ende alzo ons zulks gantſch vremt ende onverwacht is voorgekomen; Zo hebben wy goedgevonden uwe Keyſerlyke Majeſteit mits dezen zeer ernſtelyk, ook Vrunt ende Nabuyrlyk te verzoeken, dat deszelfs goede geliefte zy, zodanige promte voorzieninge te doen zulks ende daar 't behoort, ten eynde de gemelte Heere *van Camminga*, Heere van Ameland in zyn goed Regt ende deugdelyke Poſſeſſie niet en werde geturbeert, maar de ordres ter contrarie gegeven ende gedepeſcheert, gerevoceert, op dat dezen aangaande alle verwyderingen voorgekomen ende alle goede Vrunt ende Nabuyrſchap tuſſchen uwe Keyſerlyke Majeſteit,

het H. Roomsche Ryk ende dezen Staat meer ende meer onderbouwt ende voortgeplantet mag werden; daar toe wy ons altyds overbodig zullen laten vinden, vastelyk vertrouwende dat hier op de gedesidereerde effecten zullen volgen. Actum 10. December 1654.

Naar Collatie is dezen bevonden met de Origineele Minute te accordeeren,

G. v. RUISCH.

D.

SERENISSIME.

SErio & accurate perpensis perspectisque Cæs. Maj. Vræ. Literis, die 19. Mensis Maji proxime elapsi Viennâ ad nos datis, causam insulæ Amelandiæ concernentibus, atque eò collimantibus, quo Cæs. Majestatis Væ. Commissarius *Christianus Fredericus Reichelm* & reliqui Leowardiæ arresto inclusi, restituantur libertati, qualem eorum character exposcit; examinatis insuper literis Domini Comitis de *Coningseg* die 20. prædicti Mensis Maji etiam Viennæ exaratis, atque eadem de re ad nos scriptis: Viso & perlecto ad hæc memoriali a Domino Residente Cramprichtio nobis exhibito, Cæs. Majestatis Væ. nec non præfati D. Comitis de Coningseg literas secundante; ponderatâ denique Epistola Residentis nostri Hamelii Bruningii, dicto 20. die Mensis Maji etiam Viennæ data, eandem præfatæ insulæ Amelandiæ materiam pariter rememorante, summa cum admiratione percepimus, Cæs. Majestati V. visum fuisse prædictam Amelandiæ insulam Domino Comiti de Coningseg in feudum concedere, ex eo capite, quod ad Cæs. Maj. V. delatum esset, insulam hanc ad Imperium Romanum pertinere feudumque Imperii esse; ideoque decretum fuisse, armata manu in possessionem prædictæ insulæ venire: Etenim cum notorium & certum sit, hanc Amelandiæ insulam

ſulam non tantum noſtris undique allui Fluminibus, quæ communium Confœderatorum cura & ſollicitudine proteguntur, ſecura ſervantur, atque in iis certi curſus ſigna, ſeu vaſa Littoraria navigantibus eriguntur, nec unquam in eo fluminum tractu ullius poteſtati vel ſuperioritati obnoxii fuerint, multo minus agnoverint, verum etiam eandem inſulam è Regione Friſiæ ſitam eſſe, eique tam ab uno, quam ab altero latere adjacere alias inſulas, non Imperio Romano, ſed hinc Hollandiæ Weſtfriſiæque, illinc Groningæ & Omlandiæ Provintiis ſubjectas, Certoque certius ſit, dictam Amelandiæ Inſulam nunquam obnoxiam fuiſſe Imperio Romano, aut illud agnoviſſe, neque ejuſdem Dominos ac poſſeſſores inveſtituram accepiſſe, ſed eandem inſulam independenter & libere poſſediſſe, atque etiam ex antiquis monumentis jam inde ab anno 1400. præter propter conſtare poſſit, prædictam Amelandiæ Inſulam altememoratam Friſiæ Provintiam non modo plurimi feciſſe, ſed & eandem forte ob paupertatem & inopiam incolarum, & quod non eſſet magni pretii, parvi habitam: cumque inſuper illud quidem verum ſit, nonnullos privati commodi nimium cupidos Imperii Romani ope & auxilio, circa annum 1636. conatos fuiſſe, ſeſe prædictæ Amelandiæ Inſulæ dominos conſtituere, Verum ubi id nobis innotuit, tanta confuſione & pudore obruti fuere, ut qui ſe publice nondum declaraverant incæpta exequi, atque ille, penes quem ſumma rei gerendæ ſtetit, nunquam in his Provinciis ſe ſiſtere auſi fuerint; atque adeò in irritum eorum conatus ceciderit, ut extra omnem poſſeſſionem, domini verò Amelandiæ in antiqua ſua & nunquam interrupta poſſeſſione manſerint: & cum ex multis & diverſis monumentis manifeſtum ſit, ab ipſis Reipublicæ noſtræ incunabulis, nos deſuper, & circiter dictam Amelandiæ inſulam ſemper multum autoritatis habuiſſe & varios Imperii & protectionis actus exercuiſſe ſine ulla Cæſ. Maj. V. aut etiam Imperii Romani oppoſitione aut querela: quapropter non dubitamus, quin id æquitati & precibus Noſtris Cæſ. Majeſtas V. datura ſit, ne quid novi hac in re fiat: idque ab eo, quo nos honorat, affectu & fœdere, Nobis promittimus, Cæſ. Majeſtatem Vm. neminem in nos ſua autoritate munituram, quin potius improbaturam, & neceſſitate

 urgente,

urgente, Vim omnem prædictæ insulæ inferendam, repulsuram: maxime vero cum spondemus, si quis forte præter omnem spem & opinionem Cæs. Maj. V. hac in re restet scrupulus, nos collaturos cum iis, quibus illud mandare Cæs. Majt. V. placuerit, eandemque etiam atque etiam rogantes, ut interim nos securos reddere dignetur, ne quid post hac in hujus causæ casu viâ facti vel armata manu tentetur. De cætero &c.

E.

OP huyden den 11. Aprilis 1676. is in de Vertrek-kamer van den Hove, voor de Heeren *Glinstra* en *Vierfen*, Raden Ordin. als Commissarien, ten overstaan van de Here Pr. Generaal, gecompareert *Christiaan Fredrich Cramer*, hem zeggende te wesen een Envoyé van zyn Keiserlyke Majesteit, om met haar Hoog-Mog: te tracteeren over het *jus stapulæ* wegens Quikzilver en anders, volgens mondelinge Instructie, reeds ontfangen en noch te ontfangen by nader Missiven, welke by hem staan ontfangen te worden ten huyse van *Nicolaus Eygenberger* ende *Johan Benseling* of *Benslag* op de Fluweele Burgwal tot Amsterdam, ende ten huyse van een Euangelisch Predikant *Schelhamer*, in s'Gravenhage, ende dat hy tot Leipzich woonachtig, nu onlangs van Hamborg op Bremen, op Lyer, deur de Schans op Groningen, ende zo vervolgens op Doccum ende op Leeuwoerden is gereist, hebbende in gezelschap een Persoon dat een Silesier was ende zich *Fredrich* dede noemen, mitsgaders zyn eigen Knecht, die voor ontrent 12 dagen in zeker Dorp tusschen Hamborg ende deze Provincie, hem van name onbekent, in zyn dienst aangenomen hadde, en dan noch de Knecht van de Silesier, die dezelve binnen Groningen aangenomen hadde, uit oorzake dezelve Silesier de Hollandsche Tale onkundig, op dat hy van de Knegt die de Tale kende mochte gedient worden. Wyders dat hy in plaats van voorts na Harlingen vorder te verreisen, naar Ferwerd was vertrokken, om dat voorsz. zyn mede Reiseger voorgaf op Schiermonik-oog te zullen zoeken ende aanspreken zyn Vriend, Moe-

Moeder ofte Schoon-Moeder. *Actum ut s.*

Op datum voorsz. Compareerde voor dezelve Heeren *Christoffel Fredrich van I ritzelwitz*, die verklaarde uit Breslau in Silesien geboortig te zyn, ende dat hy voormaals onder een Regiment Dragonders, ende onder de Heer Markgraaf van Baden Dourlach gemiliteert heeft in dienst van zyn Keiserlyke Majesteit, ende dat hy nu als een passagier herwaarts is komen reisen, om vorders te vertrekken naar Holland, ten einde omme die Plaatsen te bezien. Mitsgaders dat hy van Hamburg was komen reizen met de Heer *Cramer*, met wien hy op de Academie tot Leipzich kennisse gemaakt hadde, ende zich nu uitgaf voor een Keiserlyke Envoyé. Voorts dat hy t'zamen met de Heer *Cramer* na Ferwerd, ende alleen met zyn Knegt na Ameland ende Schiermonnik-oog gereist is, uyt curieusheid en om de Landsdouwe te bezien, zonder dat hy aldaar een Vrient, Moeder ofte Schoon-Moeder hadde te spreeken, alzo hy geen Moeder ofte Schoon-Moeder in leven heeft. Ende dat hy wederom komende van Schiermonnik-oog, tot Holvert was gearresteert: Wyders gevraagt of hy de hand by welke zyn Camer-raad *Cramer* een Brief hadde geschreven aan de Commanderende Officier van de Keyserlyke Volkeren niet wel konde, verklaarde dien hand niet te kennen, ende overzulks hem de Brief niet te raken. Ende noch gevraagt, wat verteringen by hem gedaan waren van Officieren ende Krygs-Commissarien binnen Breemen, volgens afrekeninge van den 18 Maart 1676. by hem bevonden, verklaarde dat papier aldaar opgenomen te hebben ende hem niet te raken; ook niet te weten van eenige Smakken met Soldaten, die zich omtrent Ameland ofte Schiermonnik-oog zouden mogen vertonen. Eyndelyk dat hy zyn Knegt voor tien of twaalf dagen binnen Bremen hadde in dienst aangenomen. *Actum ut s.*

Op datum voorsz. compareerde voor welgedachte Heeren *Gerrit Luits van Wilsbuisen*, Knecht van de gedetineerde *Pritzelwits*, die verklaarde dat gedachte zyn Heer *cum socio* haar voor Passagiers uytgaven, ende by hem tot Breemen zyn gekomen, hem voor zyn dienst belovende eeten ende drinken op de reys aan Amsterdam toe. Ook dat hy tot Breemen

men ofte elders niet heeft vernomen, dat gedachte zyn Heer *cum socio*, haare ommegang met eenige Krygs-Officieren hadden, maar waren van Breemen over Lyer, Wynschoten, Groenigen, Doccum, op Leeuwaarden gereist, voorts met de Wagen na Ferwerd, van waar zyn Heer ende hy vertrokken waren op Ameland, daar een nacht in een Herberge blyvende, zonder andere Menschen by hem te hebben; voorts vertrekkende na Schiermonnik-oog, zonder dat hy Comparant gemerkt hadde, dat zyn Heer met zonderling Volk sprak ofte zyn Moeder zochte.

Actum ut s.

Ter Ordonnantie van den Hove

OP huyden den 13. April 1676. compareerde voor de Heeren *A. van Grovestins* ende *Ockinga*, Raaden Ordinaris als Commissarien, ten overstaan van de Heere Procureur Generaal, *Christoffel Fredrich Pritzelwits*, ende verklaarde laastmaal van Breemen afgereist te zyn, met een ander Heer *Hendrik Cramer*, met wien hy in de Universiteit tot Leypzich kennisse gemaakt hadde. Ende was hem bericht, dat *Cramer* reysde als Ambassadeur van zyn Keyserlyke Majesteit, zonder dat hem gecommuniceert is den Heer *Cramer* te zyn Hooggedachte Majesteits Krygs-Commissaris, ende was hy uyt curieusheid na Ameland en Schiermonnik-oog gereist, doch hem voorgehouden hebbende, dat hy op de Duynen van Schiermonnik-oog na Scheepen hadde uytgezien, ende ondervraginge gedaan na diepe plaatzen omtrent Ameland, waar geladen Schepen konden aan-komen, antwoorde zulks gedaan te hebben, om dat hy Brieven uyt Duytsland afwachtede: waar op gerepliceerd wierde, dat over Schiermonnikoog geen pas ware om Brieven uyt Duitsland te bestellen; sweeg daar op ende verklaarde geen Onder Krygs-Commissaris te zyn, doch dat hy twee Persoonen, met naamen . . . . ende *Buyring* wel kenden, ende dat eenige Keyserlyke Volkeren tot Breemen waren ingescheept, zonder derzelver intentie ofte voorneemen te weeten.

De Wachtmeester *Hans Jurgen Meyer*, meede comparerende verklaarde den Comparant wel te kennen, doch de qualiteit van hem niet te weeten, maar was hy

hy geadresseerd aan de Krygs-Commissaris *Cramer* ende zyn bygevoegde, hier in arrest zynde getrokken.

Christoffel Fredrich van Pretselwitz wederom comparerende, verklaarde te kennen den hand van den Overste *Buiring*; ende byzonder het Segel, staande onder het Paspoort van de Wachtmeester *Hans Jurgens Meyer.*

Ende dezelve noch nader verstaan zynde, verzochte ontslag ende niet in zo strićten custodie bewaart te mogen worden, met gesloten vensters; waar op hem is toegevoegt, dat immers de Substituit Procureur Generaal in de Benthem komende, met der daad bevonden hadde, dat hy met zyn mede gedetineerde *Cramer* uit de vensters met elkander sprake hielden, verklaarde zulks slegts geweest te zyn een onderlinge groete.

Actum ut s.

Ter Ordonnantie van den Hove.

DEn 13. April 1676. compareerde voor de Heeren A. V. Grovestins ende Ockinga, ten overstaan van de Heere Procureur Generaal, *Hans Jurgen Meyer*, Wachtmeester onder de Baron *Beck*, Overste Luitenant, en de Colonel *Metternich*, welke verzocht te spreeken met de Keyzerlyke Munster Krygs-Commissaris *Hendrik Kramer*, om te mogen weten zyn order, hoe zich de Volkeren omtrent Schiermonnik-oog zouden hebben te gedragen. Verklaarde voorts uit Mekelenburg gemarcheerd te zyn deur Breemen, ende aldaar voor omtrent veertien daagen ingescheept te wezen, en mits tegenwint dus lange opgehouden te zyn, wezen zy luyden zestig Ruyter in getal, in twee Scheepen, ende noch twee Scheepen met Voetvolk, zonder te weten diens getal. Ende was den ander een Ruyter, hem als Officier tot gezelschap bygevoegt. Ende worde nu gezegt dat zy na Ameland waren gedestineerd, dat zy te vooren niet hadden geweeten, ende waren op haar Schip alleen drie-en-dartig Ruyters.

Tjerk Beerents, de Ruyter, geboortig uit Saxen van Noorthaus, onder de Ritmeester *Hoffgarten*, meede comparerende, verklaarde op haar Schip te zyn een-en-dertig Ruyters, ende het ander

getal van Ruyters ende Voetvolk niet te weten, maar wiste dat daar waren vyf Scheepen: meer van de zaak niet wetende, is gedimitteerd.

De Wachtmeester *Hans Jurgen Meyer*, nader ondervraagt naar zyn last ofte volmagt, verklaarde geen schryvens te hebben, maar mondelinge boodschap allen te zullen bestellen, om order af te halen, als vooren gezegt.

Op datum voorsz. compareerde voor dezelve Heeren *Christiaan Fredrich Cramer*, die als noch verklaarde, dat hy tot Ferwerdt niet hadde gehad om te verrichten, ende dat hy gants geen Keyzerlyke Crygs-Commissaris was, ook de meede gedetineerde Persoon niet anders te kennen, als dat hy met dien op de Academie kennisse hadde gemaakt, voorts bekende de Brief in Hoogduits van hem geschreeven; doch deede daar by, dat hy zich door abuis aldaar genaamt hadde *Hendrik Cramer*, voorts erinnerde, dat hy voormaals voorgegeven hadde te hebben *Commissiones Electorales*, declineerde *D. Electorem Committentem te nomineeren.*

Daar op is binnen gekomen de Wagtmeester *Hans Jurgen Meyer*, die voor de gedetineerde *Cramer*, als bekend Krygs-Commissaris, deede een eerbiedige groete, met verzoek van ordre, de Comparant *Cramer* ontkende die Caracter als Krygs-Commissaris nochmaals; en schreef een ordre in Hoogduits, invoegen dezelve is vermeldende, uit het Hoogduits getranslateert:

Hoog G'eerde Heer,
Daar komt een Wagtmeester van myn Hoog-g'eerden Heer alhier aan, en vraagt na ordre: Nu ben ik hier in arrest, en weet aan myn Hoog-g'eerden Heer geen ordre te geven, als dat hy in Godes naame met de Troupen heenen gaa, waar het hen belieft; Ik weet anders niet meer te schryven. Adieu zyn schuldigsten Vriend, *D. Cramer*, anders *Reichelm. Actum utf.*

Leeuwarden den $\frac{4}{14}$ April 1676.

Ter Ordonnantie van den Hove.

Op huiden den 14. Aprilis 1676. compareerden in S. Hofs Vertrek-kamer, voor de Heeren *Viersen* ende *Ockinga*, Raden Ordinaris, als Commissarien, *Chris-*

Christoffel Fredrich Pritzelwitz, op deszelfs verzoek, als mede de Wachtmeester *Hans Jurgens Meyer*, wanneer *Pritzelwitz* terstond by het inkomen, zich excuseerde aan de gedachte Wagtmeester, dat hy zyn Heer verzaakt hadde, bekennende van de Heer *Buring* den meede gedetineerde *Cramer* bygevoegt te zyn, omme deszelfs ordre te pareeren ende op te volgen; mitsdien hadde hy uit last ende ordre van dezelve *Cramer*, zich begeven naar Ameland, ende voorts op Schiermonnik-oog, om aldaar naa de Scheepen met Soldaten, welke te komen stonden, te vernemen, ende aan de Overste der Soldaten te belasten ofte ordre te brengen, om op de Stroom ofte Vliet te blyven tot nader ordre.

Op dito is meede ontbooden ende vervolgens gecompareerd *Christiaan Fredrich Reichelm*, alias *Cramer*, voor dezelve Heeren Commissarien *Viersen* ende *Ockinga*, ten overstaan van de Heer Procureur Generaal, welke bekende dat de meede gedetineerde *Christoffel Fredrich van Pritzelwitz*, hem was toegevoegt om zyn Comparants ordre na te komen, als ook dat hy aan den zelven belast hadde om hem te begeven naar Ameland ende Schiermonnik-oog, en aldaar te vernemen na de Schepen met Soldaten, ende na de Overste Wachtmeester *Buiring*, hem gevende ordre om met de Schepen op de Stroom te blyven. Voorts dat hy niet met de naam van *Cramer* maar van *Reichelm* aan het Keyzerlyke Hof bekent was, 't welke alles hy tot noch toe gesecreteert hadde, om zich te quyten als een getrouw Minister, tot welken einde hy hem *Cramer* hadde doen noemen, daar zyn naame was *Christiaan Fredrich Reichelm*, met welke hy aan het Keyserlyke Hof was bekent: Voor het laatste, alzo de Comparants ontwerp van Missive aan zyn Koninglyke Hoogheit de Heere Prince van Orange, vermeldende van zyne Principalen, in *plurali numero*, ende een ander Missive van de Comparant sprak van te hebben *Commissiones tam Cæsareas, quam Electorales*, is dezelve ondervraagt van wat Heer Ceurvorst hy dan meede Commissie mochte hebben, heeft zich als noch beswaart bevonden, ende geweigert daar af openinge ofte verklaringe te doen.

Actum ut s.

Ter Ordonnantie van den Hove.

 RE-

RECUEIL VAN REDENEN,

Strekkende tot Bewys, dat zyn Keyserlyke Majesteit ofte zyn Beleende geen Recht heeft, of hebben te pretendeeren op de Heerlykheid van Ameland.

Getrokken uit een Latyns Tractaat, genaamt *Vindiciæ secundum libertatem Amelandiæ &c.*

OM te betonen dat de Roomsche Keyzerlyke Majesteit geen recht heeft op 't Eiland van Ameland, dienen aangemerkt drie onderscheidentlyke tyden.

Ten eersten, de tyd die gepasseert is voor d'opene Brieven van de Keyzer *Maximiliaan*, vergunt aan *Pieter van Camminga*, ende gedateert den 5 November 1494 gegeven binnen Antwerpen.

Ten tweeden, de tyd gepasseert na het verleenen der zelver Brieven, tot den Jaare 1510.

Ende ten derden, de tyd van het voornoemde Jaar, verlopen tot den Jaare 1636.

Wat het eerste termyn aangaat, het is licht te betonen, dat in dien tyd de Roomsche Keyzeren niet hebben geweeten van eenig recht, dat haar op Ameland zoude zyn geschapen, immers dat zy het zelve nooit hebben voorgegeven.

Hier van is geen ander bewys van noden, als dat men vryelyk derf stellen, dat geen Scribenten het zy van Historien dier tyden, van Beschryvinge der Wereld en van het Duitsche Ryk, of van de Geregtigheden deszelfs, eenige de minste meldinge van zulk Keyzerlyk of Ryks recht op Ameland bevonden word gemaakt te hebben.

Wat

Wat meer is; men derf ſtellen, dat onder de Keizerlyke Archiven van die tyden, geen het minſte zal worden voortgebragt, dat op zulke gepretendeerde Geregtigheid zoude relatief zyn.

Het contrarie geblykt ook hier uit, dat Ameland, liggende agter Friesland, en daar door, gelyk mede door andere vaſte en Ey-landen, wordende geſcheiden van het Duitſe Ryk, zeer qualyk heeft kunnen tot het Ryke behoren, als Friesland het zelve niet erkende: Nu is zeker, dat Friesland zedert de tyt van *Carel de Groote*, zich zelve Gemeentens wyſe heeft geregeert, zonder de bevelen der Keyſeren ofte der Ryks Vergaderingen onderworpen te zyn.

Eindelyk word deze ſtellinge klaarlyk getoont uit de Acte der Stenden van Friesland, ofte van Recht en Raden der Landen Ooſtergoo ende Weſtergoo, gegeven tot Hartwert, dag van St. Jans onthoofdinge 1405. waar in voorſchrevene Rechten en Raden van Friesland, Ameland verklaren vry van alle Jurisdictie der Landen voorſchreven, en zulks uit haar eigen autoriteit, meer of min ofter geen Keiſer in de Wereld en was, het welk in geenderley wyze hadde kunnen geſchieden, indien of Friesland of Ameland den Keiſer in die tyden onderworpen waren geweeſt; gemelde Acte ſtaat geregiſtreert van woord tot woord in het Latyn, in de meer genoemde Bulle van Maximiliaan. En in de Deductie des Heeren van Ameland, gedrukt in den Jaare 1676.

Nopens het tweede termyn van tyd is het dus gelegen, *Maximiliaan* door zyn Houwelyk met de Hartoginne *Maria van Bourgonjen*, magtig in deze Landen, en Friesland geſcheurt zynde in doodelyke Factien, heeft zonder veel ſwarigheid de Frieſen gebragt tot erkenteniſſe van het Roomſche Ryk, en belofte van een jaarlyks tribuit, waar van ziet *Winſemius*, in zyn Frieſche Cronyk, op en omtrent het Jaar 1494.

Pieter van Camminga niet kunnende beſtaan op hem zelf, zag dat het hem onmogelyk was zyn vryheid te beholden, daar ze Friesland hadde verlooren; dies het onvermydelyk voor hem was, of hy moeſte den Keizer in eeniger manieren erkennen.

En echter heeft hy dit gedaan met zo veel voorſigtigheid als men zoude konnen bedenken, nademaal hy zyn Eiland niet heeft te Leen verzogt van de Keyſer,

 maar

maar blootelyk dat de voorgeroerde Acte van Hartwerd mogte worden erkent ende bevestigt, het welke dan de Keiser heeft gedaan, nemende de moeite omme dezelve Acte van vooren tot achteren, gelyk gezegt is, in zyn Bulle te vervangen, ende tot voorbeelt van *Pieter* voornoemt ende zyn Nakomelingen te bevestigen.

't Is waar dat 'er by word gedaan het zelve Jaarlyks Tribuit, dat Friesland betaalde, met de gewoonlyke Slot-reden: *behoudens onze ende des H. Ryks Geregtigheden ende Vryheden.*

Dezelve bevestinge is naderhand wederomme geschiet by Hartog *Albert van Saxen*, als Erf-Stadhouder van Friesland, in den Jaare 1500.

En des Jaars te vooren is 'er een Acte gevallen voor Keiserlyke Commissarien, waar by de Heer van Ameland verklaard word geen ander Rechter te hebben als den Keiser ofte zyn Kamer Gerichte.

Dit is alles wat voor het Regt des Keisers en des Ryks kan worden by gebragt.

Waar op zullen dienen deze Consideratien:

Ten eersten, dat het is geweest een onvermydelyke noot-dwang, waar door *Pieter van Camminga* niet anders heeft mogen noch kunnen doen, als aan den Keiser op dien tyd eenige erkentenisse te bewysen, waar van hy zich heeft onttrokken ende hervat, zo haast die noot-dwang heeft opgehouden, gelyk terstond zal blyken.

Ten tweeden, dat de Bulle des Keisers niet medebrengt de qualiteit van Leen, gelyk het ook by Keiser *Ferdinand den III.* in zyn Leenbrief, aan *Zuhm cum sociis* in den Jaare 1636. verleent, te zien by *Aitsma* op den zelven Jaare, geen Leen maar een *Vry Ryksgoedt* word genoemt.

Ten derden, dat de Keiser op Ameland door die Bulle geen meer recht heeft kunnen pretenderen, als hy doen op geheel Friesland heeft gehad, dies by zo verre Friesland, door het Recht by den Keiser alsdoen verkregen, tegenwoordig niet is verbonden aan het Ryk, zo kan het zelve van Ameland ook niet worden gezegt; want tusschen den Keiser of het Ryk ende Friesland is niet meer gepasseert tot losmakinge van des Ryks Geregtigheid, als ten aanzien van Ameland voorgevallen is.

Wel is waar, dat de Hertog van Saxen zyn Recht heeft overgedragen op Keiser *Carel*, dat hy hadde als Substituit van het Ryk; maar het is ook waar, dat de Friesen

sen Keiser *Carel* niet anders als van wegen het Ryk, tot Landsheer hebben aangenomen, te zien in de Acte daar van by *Winsemius* geregistreert.

Partyen brengen ook voor het Regt van Oorlogen en de Vrede van Munster, als of Friesland daar door zoude zyn bevryd, 't welke Ameland niet zoude kunnen pretendeeren, als geduurende den Oorlog neutraal zynde geweest, maar dit doet ter zaake niet.

Nademaal den Oorlog en de Vreede van Munster, zo veel Friesland en de andere Vereenigde Provintien aangaat, geen aanzien op den Keiser of het Ryk hebben gehad, met welke Friesland benevens de geheele Staat der Nederlanden, is geweest in een geduurige neutraliteit.

Diensvolgens, indien Friesland uit kracht van de verheeringe by Keiser *Maximiliaan* eenmaal verkreegen, in dezen tyd niet kan worden verstaan het Ryk onderhorig te zyn, zo is 'er geen reden om Ameland zulks over te dringen, dewyl 'er geen onderscheid tusschen beide is, als van ongelyke magt, die geen veranderinge maakt in het Recht.

Volgt het derde gedeelte van den Jaare 1510. zyn aanvang nemende; *Pieter van Camminga*, ziende Keiser *Maximiliaan* verwert in de Oorlogen van Italien, den Hertog van Saxen zyn magt gebroken door inwendige beroerten ende Krygs-moeiten van Hertog *Carel van Gelder*, heeft gedacht, dat hy veilig zyn oude Vryheid en independentie, wederom zoude mogen aanvatten, dies heeft hy in den voorschreeven Jaare 1510. zekere Getuigen gaan beleggen, van min of meer als 90 Jaaren Ouderdom, door welke hy de competente Vryheid van zyn Heerlykheid bewees ende bevestigde, die niet alleen van haar maar ook van haar oude kennisse ende geheugenisse getuigen, volgens depositien daar van nog wordende bevonden.

Partyen in haar laast uitgegeven Boek genaamt, *Jura Cæsaris & Imperii in Amelandiam Pag. C.* 2. stellen deze beleggingen van Getuigen te zyn geweest een opgenomen voorneemen van *Pieter van Camminga*, waar door hy zich de Keiserlyke Majesteit en het Ryk heeft willen onttrekken; waar uit dan moet vastgesteld worden, dat gemelde *Pieter van Camminga* van dien tyd af gehad heeft het voornemen van te wezen Independent, ende vry van de Keiser en het Ryk, na gevolge

ge

ge van Partys eigen ſtellinge, te weten dat *Pieter* zo heeft willen doen.

Nu maken wy ons wederom ſterk, dat van den Jaare 1510. tot aan den Jaare 1636. geen Keiſer of iemant wegens het Ryk, door eenig woord of werk heeft gepretendeert ofte geſuſtineert, dat Ameland onderhorig was aan den Keiſer of het Ryk.

Partyen brengen wel verſcheiden dingen voor, van Proteſten en Scheltwoorden der Amelanders tegen haar Heeren, van het Diſpuit by de Graven van *Egmont* aan die van *Camminga* gemaakt, van eenige Actien by ende wegen Koning *Philips* en den Hertog van *Alba* gedaan, maar geen van allen betreft het Ryk ofte zyn Keiſerlyke Majeſteit.

Zy zeggen ook, dat de Heeren van Ameland de neutraliteit by Spanjen zouden hebben verkregen, op voorgeven als waren zy Leden van het Ryk, maar zy hebben tot noch toe niet een letter hier van getoont.

Zo ſtaat dan vaſt, dat de Heeren van Ameland, gedurende den tyd van 126 Jaaren zyn geweeſt in geduurige ende ongeturbeerde Poſſeſſie, van Vryheid en Independentie, ten aanzien van de Keiſer en het Ryk.

Het welke meede beveſtigt word by Keiſer *Ferdinand* zelf, in zyn meergemelte Leen-brief van den Jaare 1636. alwaar hy verhaalt, dat de Poſſeſſeurs van Ameland, al zedert hondert Jaaren herwaards hadden opgehouden eenige erkenteniſſe aan den Keiſer en het Ryk te doen.

Waar op dan moet gepaſt worden het geene by alle Rechtsgeleerden ende Polityken word voor vaſt en ontwyffelbaar gehouden, dat een Souverain door præſcriptie van hondert Jaaren, word uitgeſloten van zyn Recht van Opper Heerſchappy, door zulke die haar geduurende dien tyd gedragen hebben, als niet onderworpen dien Souverain, en dat zy daar door vry ende independent worden, alſchoon zy het van te vooren en van rechtswegen niet en waren, gelyk breeder getoont word in een Tractaat, dat tegens het meergemelte Boek der Keiſerſchen is van onder de pers gekomen.

Ameland heeft zo veel te meer reeden, om haar te houden aan deze præſcriptie, om dat het regt des Keiſers van oude tyden geen, en gantſch onbekent is geweeſt, als ook om dat de *telle quelle* erkenteniſſe niet als door een nootvallige conjuncture van tyd by haar

haar Voor-ouders heeft moeten worden gepasseert.

Deze dinge voor uit zynde gestelt, zal het niet swaar zyn te antwoorden op het hooft argument van Partyen, 't welk by haar in het gemelte Tractaat aldus word genomen *pag. A. versâ.* Die by Requeſt van de Keiser uit des Ryks Cancellerye heeft verkreegen een Bulle, waar in hy genoemt word des Keisers ende des Heiligen Ryks getrouwen Capitein, word beleent met een Heerlykheid, met Regalien ende Vryheeden daar aan vast zynde, onder belofte van Tribuit, die ook het Keiserlyke Hof-Gerichte heeft erkent voor zyn Rechtbank, en zo voorts; die is een Vasal en Onderdaan van de Keiser en 't Ryk; maar dit hebben de Heeren van Ameland gedaan; diens volgens zy zyn Leenmannen en onderhoorige des Keisers en des H. Ryks.

Wy zeggen, dat de eerste stellinge zoude vast gaan, indien zodanige plichtelykheden uit vrye wille waaren gedaan, van een die daar toe verpligt was, ende mits de Keiser en het Ryk de Geregtigheden hadden onderhouden, ende gedaan onderhouden; maar de Heeren van Ameland hebben die onderwerpinge niet als door blykelyke nood gepasseert, zynde daar toe van oude tyden niet gehouden, en noch zyn de gepræ-tendeerde Geregtigheeden door laps van ondenkelyke tyd en verre over de hondert Jaaren versleten, verydelt ende vernietigt.

Konde meer ten Antwoorde gevoegt worden, maar zulks kan uit het bovengeschreevene ligtelyk worden gesuppleert.

N J U-

JURA CÆSARIS ET IMPERII

IN AMELANDIAM,

Feudum Regale, & Imperii Dominium, ſolo veritatis & Juſtitiæ impulſu vindicata.

JURA CÆSARIS ET IMPERII

IN AMELANDIAM,

Feudum Regale, & Imperii Dominium, solo veritatis & Justitiæ impulsu vindicata.

Quadragesimus secundus nunc labitur annus, quod famigeratissima Actio Amelandiæ, Feudi Regalis & Dominii Imperii in Sacratissimæ Majestatis Cæsareæ Excelso Consiliô Aulicô-Imperiali, suffragante Sacro Consiliô Secretô, ventilata, maturô judiciô ponderata, adeoque tam ab Augustissimô jam regnante Imperatore LEOPOLDO I. quàm à Sacratissimis Illius Prædecessoribus, Dominis Genitore & Avô, gloriosf. mem. summâ ex æquitate toties dijudicata & confirmata fuerit.

Per verba expressa Consilii Aulici Lit. Imperialis ad Cæsarem de dat. 13. *A. Maij* 1667. *approbata in Consiliô Secretô d.* 15. *Junii*, 1667.

Ut ita non tantùm Trigæ hujus Cæsarum Gloriosa Pietas & teneritas Conscientiæ justitiam Causæ magnificè extollat: Sed etiam penitior ratio horum Summorum in Orbe Christianô Collegiorum (quæ quoad membra & personas licet non semel penitus mutata, constanti tamen & unanimi suffragiô jura hujus Causæ laudârunt,) omnem omninò præsumptionem vel minimæ injuriæ feudi

hujus Imperialis detentoribus fortean factæ justissimè removeat.

Prostat nec minus decem ab hinc annis tractatus quidam, *Status Genuinus Amelandiæ*, Hollandiæ typis excusus, publiceque distractus, qui Sacræ Cæs. Maj. & Imperii Jura in Amelandiam fundata, detentorumque felonias, perduellionis crimen, contumacias aliasque insolentias ex propriis eorum Documentis abundè convincit, adeò, ut superfluum ferè videatur præsentem detentorem cum Consortiô suô, impares omnes & inhabiles ullius rationis, vel unô adhuc convincere argumentô: è prudentiâ autem magis censeatur, dum commune bellum indixit publica necessitas, tristes Causæ hujus simulare morsûs, usque dum meliora rerum momenta tarditatem pro ratione facti debitè compensare valeant.

Obstat pariter res judicata & in Consilio Aulico-Imperiali decies confirmata, nè actum denuò agatur & Causæ merita in ulteriorem trahantur disputationem.

Movet tamen & urget nova & prætextata quædam Deductio Juris Camingani Monarchici in Amelandiam, vel potius Libellus famosus Professoris Juris Franeckeriani, quippe qui falsis suis mutilisque allegatis & impudentissimis pariter calumniis Lectorem à semitâ veritatis facilè seducere, Aulæque Cæsareæ Existimationem traducere valeret, nisi ponantur obices, inque honorem Sacratissimæ Auctoritatis Cæsareæ, solô veritatis & Justitiæ impulsu Jura in Amelandiam fundatissima vindicentur.

Caminga detentor Feudi Imperialis Amelandiæ (qui cum majoribus suis unam constituit personam eorumque facta præstare tenetur) negat Cæsari & Imperio ratione Amelandiæ non tantùm feudalitatem, sed etiam qualemcunque subjectionem, seque tam scriptis quàm actibus Rebellionis, Perduellionis aliisque insolentiis absolutum & independentem venditavit. Quod autem Amelandia sit Feudum Imperiale Veteresque Camingæ Vasalli Cæsaris & Imperii fuerint, facile evincitur.

Quicunque enim ab Imperatore Romanô, quâ tali, in Diplomate ad preces supplices impetratô, ad Imperii Romani subditos directô, è Cancellariâ Imperiali cum Electoris Moguntini subscriptione emanatô, (1.) vocatur Cæsaris & S. R. I. fidelis & Capitaneus, qui de Feudô investitus præstitit fidelitatem, (2.) realiter investitur de Regalibus, gratiis & immunitatibus Cæsareis & qui-

quidem connexis cum aliis Regalibus, Feudo cuidam Imperiali à Cæsare concessis, Salvis S. R. I. juribus vel sine præjudiciô Dominii directi, in cujus recognitionem tributum præstet, sub Comminatione indignationis Cæsaris & Imperii: Quicunque etiam coram impetratô Judiciô Cæsaris delegatô, ratione Regalium & Provinciæ, tanquam Cæsaris Dominii agnovit Judicium Camerale Imperii sub pœna mille scutorum. Quicunque etiam Gubernatori Cæsaris & Imperii solenniter juravit, se strenue & diligenter facturum, quæ Romano Imperio accommodata, quæ conducibilia, quæ honori & emolumento & ipsius hæredumque dignitati convenientia esse cognoscet. Ille verissimus est Vasallus & Subditus Cæsaris & S. R. Imperii.

Et quamvis in limine probationis justa hujus seculi querela esse possit, de plurimis Archivis tempore Caroli V. naufragiô perditis, & in specie de Amelandicis quæ interfuerunt, ut refert registratura quædam antiqua; adeoque dolendum sit, quod ipse Sol serenioribus illustrari facibus nequeat. Supersunt tamen adhuc Archiva quædam omni exceptione majora, quæ Amelandiam Imperio Romano Subjectam ejusque feudum esse positivè & remotivè satis superque ostendunt. Neque ullum superest dubium, cùm Maximilianus I. jure dotali cum Maria Ducissa Burgundiæ & Comitissa Hollandiæ, Belgium accepit sub Imperium, Imperioque Romano adjunxit, & tota pariter Frisia Feudum Imperii facta, itemque à Rege Hispaniarum Catholico, ad ultimam usque transactionem, ab Imperio Romano recognita fuit, quin Amelandia quoque Imperii Feudum necessariò cum cæteris fieri, vel jam antè fuisse, allodialem verò qualitatem, vel, quod mirum dictu, *absolutam independentiam* nec prætendere nec defendere potuerit: Necesse est probetur à Caminga specialis hæc exemptio, & aliis quidem gravioribus fundamentis, quàm purâ putâ ipsius ambitione, erroribus & insolentiis; aliàs independentia hæc ficta Quaquerianam olet monarchiam, & donec probetur contrarium, firma stat Regula: *Amelandia fuit & nunc est Feudum Imp. Romani, eique subjectum dominium.* Quod verò hæc Insula specialem exemptionem à Jurisdictione Fervenderæ, Oostergo & Westergo, Anno 1405. acquisiverit, ejusque vigore propriam Jurisdictionem quandam exercere potuerit; Quodque

que Petrus Caminga à Maximiliano I. Imperatore de Regalibus & Gratiis Cæsareis Anno 1494. investitus fuerit, infirmi sunt lapides angulares struendæ Monarchiæ & independentiæ. Exemptio secundum quid non tollit feudalitatem, sed magis declarat eandem idem Diploma Maximiliani
Lit. B. I. quod ita se habet: *Maximilianus semper Augustus, Universis & Singulis nostris ac S. R. I. subditis.* Cæsar hic vel Rex Romanorum non loquitur ut Dominus Frisiæ, licet ea pars quoque fuerit Imperii Romani, sed Antecessores suos vocat Imperatores Romanos, quod ipsum de Dominis Frisiæ negatur; Neque Terram Frisiæ sed officiales ac Subditos Imperii compellat hôc diplomate. Ulterius: *Nuper supplicatum Nobis fuit, pro parte Nostri & S. R. I. fidelis dilecti, Capitanei Amelandiæ Petri Caminga.* Caminga supplex rogavit hoc Diploma & Regalium Declarationem, quod ipsum per se recognitionem dominii directi & superioris importat, vocaturque à Cæsare non sincerè Nobis dilectus, quô nomine alii non vasalli gaudent, sed *fidelis Cæsaris & Imperii Rom.* cum tamen *in* 2. *Feud.* 6. nemo vocetur fidelis, nisi qui propter Feudum præstitit fidelitatem, adeoque fidelis & vasallus perpetuò sint Synonyma 1. *Feud.* 1. §. 1. & 2. Ulterius *Caminga* vocatur *Capitaneus Amelandiæ*, quod minimè erat officii nomen, cùm ipse fuerit Dominus & Possessor Amelandiæ; Sed tanquam de Amelandiâ, plebe aut plebis parte investitus taliter indigitatur 2. *Feud.* 10. In ejusmodi rescriptis autem verba non ludunt, sed strictè & propriè sunt interpretanda. Amelandia nisi Feudum, Petrusque Caminga Vasallus Imperii fuisset, idem certè versipellis & iniquus in jura sui Domini, Imperatoris nimirùm & Imperii, ut postea notandus venit, verba hæc Diplomatis non accepisset, sed alia tutiora efflagitâsset, cùm in dubio semper interpretandum sit contra eum, qui legem sibi dicere non curavit apertius. Ulterius: *Cùm de Anno Domini, usque: volentes quod Insula.* Huc usque Maximilianus confirmat Hervertensem Declarationem vel Exemptionem, neque involvit contradictionem, Amelandiam exercere propriam Jurisdictionem à Frisiâ non turbandam, simulque Imperii Romani Dominium directum agnoscere, ejusque feudum esse, non mediatum per Frisiam, sed immediatum, cujusmodi plura dantur, neque ad unum omnia eodem modô jura sua

ſua exercent in Imperio Romano. Ulterius: *Omnimodáque Jurisdictione, uſque potiri valeat.* Amelandia itaque Regalia hæc feudalia à nemine habet niſi à Cæſare, nec alium unquam edere valuit titulum: & notanter equidem talia Regalia, quæ Maximilianus & alii Imperatores toti terræ Friſiæ ex Dominio directô & Superiori clementiſſime conceſſerant; Connectit ergò expreſsè Amelandiam cum Friſiâ in quidditate feudali, & notanter Amelandiæ imponit in recognitionem, Annuum tributum ſeu Canonem, ad inſtar aliorum Friſionum, quibus æquales Amelandi tunc boni erant Cæſaris & Imperii Vaſalli. Dum autem Imperator dicit: *Amelandia adhæret Friſiæ*, non dicit: Amelandia eſt ſub Friſiâ, vel idem feudum Friſicum, ſed adhæret Friſiæ, hoc eſt, extra territorium & Juriſdictionem Friſiæ; dum quoque confirmat Exemptionem Hervertenſem à Friſiâ, Amelandiæ verò eâdem qualitate, atque Feudo Imperiali Friſiæ, conceſſa erant Regalia, non poterat non Amelandia eſſe Feudum immediatum Cæſaris & Imperii. Brevibus: Imperator connectit Amelandiam cum Friſiâ, feudo Imperiali, in quidditate feudi, in qualitate verò disjungit, Amelandiam eximit & immediatum feudum conſtituit. Ulterius: *Decernimus quoque quod ſupradictus Caminga, &c.* Quemadmodum verò prætacta jura cum onere annui tributi conceſſa erant Amelandiæ, Caminga quoque præfatô modo Cæſari Canonem hunc in recognitionem dominii præſtare tenebatur, qui canon licet in Emphyteuſi maximè uſitatus, tamen etiam Feudi accidentale eſt, ſicuti Emphyteuſis cum Feudô egregiam habet cognationem, & negando juriſdictionem Domino, Vaſallus & Emphyteuta jure ſuo cadunt. Dum verò Imperator pergit: *Prætacta jura ſicuti Pater ejus Hayo, dum vixit, & poſt mortem ejus ipſe hactenus conſueverunt*, intelligendum hoc eſt vel de Juriſdictione, quam vigore declarationis Hervertenſis jamdum exercuerunt, vel, quod probabilius videtur, uterque Caminga eôdem tempore, quô Friſiæ conceſſa erant Regalia, eadem quoque uſurpavit ſub adhærentiâ ad territorium per extenſionem propriam in favorabilibus, ſicuti Gens hæc Camingana pro more ſemper habuit in favorabilibus allegare Romani Imperii Juriſdictionem, quoties opus fuit; Notanter etiam Diploma utitur verbô: *Conſueverunt Pater ejus &*

ipse hactenus, quasi ex jure non scripto, per applicationem tacitam; prout autem ad ejusmodi consuetudinem requiritur consensus tacitus; ita écontra Camingæ turbati fuerunt in hôc exercitio à Grietman & Richter Hervertensium, prout ex Commissione Cæsareâ (Lit. C.) clarissimè patet, & in diplomate Maximiliani, post hoc *Consueverunt*, immediatè sequitur: *De cætero libere* exercere & *quietè uti*, *impedimentis quibuscunque semotis*, adeoque necessarium Camingæ fuit & utile, feudalitatem hanc Imperialem publicô Cæsaris Diplomate declarari. Lit. C.

Limitat verò Imperator: *Nostris & Sac. Rom. Imperii Juribus & Libertatibus semper salvis*, *quibus nullatenus præjudicari volumus*. Clausula hæc justificatoria, quæ singulas claudit Literas Investiturarum, expresse indicat (1.) gravissima Jura Imperii in Amelandiam, (2.) illis tamen minimè præjudicari per hanc Exceptionis Frisicæ Confirmationem & Regalium declarationem. Pergit Diploma: *Quapropter Vobis &c. usque ad finem.* Minatur tandem *Cæsar Suam & Sac. Imperii indignationem*, & Eminentissimus Moguntiæ Elector & per Germaniam Archi-Cancellarius, Bertholdus, Diploma hoc subscripsit, solitoque Sigillo & sericis è Cancellaria Imperiali extradi curavit.

Sequenti anno 1495. idem Petrus *Caminga*, ut Diploma hoc magis confirmetur, *Cæsaream Commissionem supplex* petiit & impetravit, vid. supra C. Coram Commissariis Cæsareis deputatis, Leovardiæ tum temporis aliàs degentibus stetit Caminga ex unâ, Grietman verò & Richter Hervertensium ex alterâ parte: Causâ disputatâ satis & cognitâ, publicatum est Decretum sub severa comminatione Cæsarea & pœna mille Scutorum, *Quòd nemo unquam judicet Amelandiam*, *Cæsaris Quippe Dominium*, *sed si necessè foret convenire Amelandiam aut Camingam*, *actionem instituat tantùm coram Cæsare*, *vel Ejus Camerali Judicio*, ubi omnes Causæ Feudales sortiuntur forum. Lit. C.

Ecce quid clarius, bone Caminga! Sin verò humanæ rationi ullus adhuc resideat scrupulus, idem tamen Petrus Caminga lætatus de hisce actis post quinquennium, Anno scilicet 1500. ab Alberto, Saxoniæ Duce, S. R. Imperii Gubernatore Frisiæ, horum Confirmationem supplex iterum petiit, & impetravit ab Eodem, non ut Domino Frisiæ, sed *S. R. Imperii Præfecto*, *Juribus S. R. I. illæsis*, prout expressè Lit. D.

presse limitatur; & quidem posteaquam formaliter juraverat Caminga, *Se strenuè & diligenter facturum, quæ Romano Imperio accommodata, conducibilia, honorique dignitati & emolumento convenientia cognoscet, &c.*

Annon hoc est juramentum fidelitatis quoad materialia, licet quoad solennia non ubique eadem sit ratio & forma juramentum præstandi; Majora, quàm quæ hôc juramentô continentur, Vasallus Imperii nec jurare nec præstare tenetur, antiquis præsertim temporibus, ubi Literæ Investiturarum de solennibus adeò non sollicitæ vel tribus constabant lineis per totum; sicuti neque de Jure feudali Literæ investituræ ad Feudi essentiam requiruntur.

Singula hæc Diplomata ab Ipsa Aula Provinciali Frisica Leovardiæ bis vel ter vidimata, à Camingâ Consilio Aulico Imperiali transmissa, agnita & approbata fuerunt; undè quamvis hæc Diplomata non absolvant formam specificam Literarum investituræ, hôc seculô usitatarum, probant tamen existentiam earum in facto antiquo, & subjectionem Amelandiæ respectu Imperatoris & Imperii sole clarius evincunt, prout sequentia argumenta id pluribus insuper corroborant.

Ad probandam quoque Feudalitatem non absolutè requiritur literas investituræ formales vel solennem investituram & præstationem juramenti contra negantem producere, dummodo ipsa doceatur fidelitas. Feuda enim habent sua essentialia, quæ est ipsa fidelitas cum suis speciebus 2. *feud.* 6. recensitis, & à Petro Caminga Alberto Saxoni solenniter juratis, hæc non possunt abesse sed ingrediuntur essentiam Feudi; Naturalia verò regulariter insunt, pacto autem remitti aliovè modo abesse possunt, salvô Feudô; tale quid est actus homagii præstandi & solennia investituræ; si enim Princeps fidem habeat de persona Vasalli, homagium potest remitti, aut solennia investituræ differri, salvô interim feudô;

Quid enim si Naufragiô, incendiô aliovè casu fortuitô perirent literæ feudales, adeò ut feudi initium & forma accuratè demonstrari nequeat; doceatur tamen ex archivis feudi essentia & ipsa fidelitas, quis unquam adeò remotus à recta ratione, ut bona hæc existimaret allodialia vel planè absolute independentia?

Denique in ejusmodi antiquis, quorum non extat memoria, probationes leviores, ob jacturam memoriæ, tantum habent ponderis,

ris, quantum fortissimæ in modernis, secundùm omnes Ictos. Sic antiquus lapis Terminalis Regum & Principum territorium & Jurisdictionem sœpè dijudicat, nudusque color Sigilli & serici de instrumento pendentis magna probat rerum momenta;

Quare igitur imbelle robur habeant contra Camingam Archiva authentica, ab ipso Caminga dudum approbata, quæ Cæsaris & Imperii auctoritatem & fundatam Jurisdictionem, Camingarum promissam & juratam fidelitatem, ac regalia, Cæsarisque Camerale Judicium graviori calamô notant & demonstrant? Et ut unô verbô me expediam: Amelandiæ Camingæque feudalitas Imperialis perspicua est & notoria nec majori indiget verborum apparatu.

Alterum verò quod concernit membrum: an Amelandia cum Caminga Cæsari Imperioque Romano ratione Jurisdictionis subjecta sit, ipsa certè documenta & archiva superiora serenam profitentur veritatem; unicum hoc: *Caminga ratione Amelandiæ, Cæsaris Dominii, agnovit Cæsarem & Judicium Camerale*, omnis Camingana nequitia evadere non potest, cætera, quô pactô acceperit à Cæsare Regalia, tributum annuum promiserit, & fidelitatem juraverit, iterum apponere non est opus.

Quàm atrox verò existat crimen rebellionis, cum perjurio Cæsari negare omnem Jurisdictionem, committere crimina perduellionis, seque pro Domino independente insulsissimis verbis & factis venditare, jura sunt notoria.

Cùm igitur Camingana hæc ambitiosa Gens contra superiora Archiva agnita & præstitum juramentum, Cæsari continuò Jurisdictionem Imperialem negaverit, contra Cæsareum quondam Commissarium Beer crimen perduellionis commiserit (cum Reichelmô, non ita pridem Cæsaris Commissariô, violata Gentium jura, silent factorum deformitatem) seque continuò rebellem & independentem insolentissimè gesserit, secundùm omnes Doctores indubia est Sententia, *Negatam Jurisdictionem & offensam Majestatem sine ulteriori processûs strepitu atrocissimè vindicari; hicque non de glande legenda aut aquâ pluviâ arcendâ sed de territorio, bonis & sanguine agi.*

Excelsum verò Consilium Aulico-Imperiale pro conscientia tranquilliori minimè præpedivit præfractos hos detentores & turbatores feudi Imperialis, sed Mandato

dato priori Ferdinandi III. glor. mem. de dato *Viennæ* 13. *Novem-*
Lit *bris* 1637. (Lit. E.) ut & ſecundò
E. *Ratisbonæ* 19 *Martii* 1641. (Lit.
Lit. F.) eosdem humanè citavit, &
F. ſub primo, ſecundo & tertio termino invitavit ad comparendum & docendum paritionem, *aut certè allegandum cauſas legitimas & in Jure fundatas*, tum ad ulterius comparendum in judicio, omnesque & ſingulos terminos obſervandum uſque ad concluſionem cauſæ, & tum deſuper pronuntiari audiendum; Quanquam audaces hi detentores Cæſaream Majeſtatem jamdum graviter offenderint, ſicuti in allegato Paritorio de 19. *Mart.* 1641. expreſſa ſunt verba: *Imprimis quidem frater quondam tuus vi armatâ, &c. tum poſtmodum tu quoque eâdem violentiâ Cæſareum Mandatum & inveſtituram eludendô, te tanquam Dominum Supremum & abſolutum geſſeris, &c.*

Depulsô poſthac armatâ manû Camingæ Commiſſariô Beer, Vindiciisque Libertatis Amelandiæ
Lit. Lit. G. Conſilio Aulico Impe-
G. riali à Caminga cum inſulſiſſima introductoria ad Cæſarem *Anno*
Lit. 1651. transmiſſis (Lit. H.) ſequebatur
H. ſeveriſſimum Paritorium Ferdinandi III. *Ratisbonæ* 15. *Febr.* 1653. ad Wazonem Caminga.
(Lit. I.) Qui cùm iterum per Lit.
Commiſſarium Cæſaris, Pletten- I.
berg, transmiſiſſet Advertiſſementum juris ſui, (Lit. K.) idem illud Lit.
in Conſilio Aulico Imperiali pro- K.
bè examinatum, penitus rejectum, & Privatoria feudi perpetuò confirmata fuit in ultimo Paritorio Ferdinandi III. ad Wazo Caminga *Viennæ* 20. *Julii* 1654. (Lit. L.) Lit.
non dicam de aliis arctioribus & L.
Executorialibus de dato 14. *Aug.* 1656. 5. *Julii* 1665. & 8. *Auguſti* 1667. aliisque Monitoriis & Paritoriis ad Amelandos, Imperii Vaſallos, Requiſitorialibus & Commendatitiis ad Regem Hiſpaniæ & Angliæ, Statûs Generales Confœderati Belgii, aliosque Imperii Romani Statûs. Plura ſi adderentur, vereor ne moverent nauſeam; Amelandiæ cauſa in ſummis Collegiis Cæſareis toties maturô judiciô ponderata fuit, totieſque judicata, quoties una fortè unquam in Orbe Chriſtiano.

Vindicatis nunc breviter juribus Cæſaris & Imperii, ſalvatôque tam quoad materialia quàm formalia, proceſſu Conſilii Aulici Imperialis, ſupereſt expendere Camingianas Exceptiones tumultuarias, quæ conſiſtunt:

(1.) In Apologia quadam leviſſima, vel magis Genealogia Familiæ Camingianæ, & invectivâ

in Dominos Aizma, Waveren & Beaumont, *de Anno* 1638. non verò meretur responsionem. (2.) in Vindiciis Libertatis Amelandiæ Cæsari transmissis *Die* 20. *Februarii* 1651. à Valerio Francisco aliàs Wazone Caminga, supra G. in quarum introductoria ad Ferdinandum III. mirare, Lector, absurdam ambitionem abjecti hominis ad summum Imperatorem. Principes & Electores Cæsarem humillimâ venerantur devotione; Caminga autem satis pro Imperio in plurali Imperatoriam Majestatem compellat: *Consultum & necessarium duximus adversùs hæc veritatis opprobria veterum testimonia opponere.* it: *quia hactenus libertatem Amelandiæ conservare intendimus, à sinceritate cordis Nostri* (Multum Me Hercle! si verum est, sinceritatem competere Camingæ) *DEUS Majestati V. gladium in terrorem mali tradidit Ne libertatem Insulæ Nostræ, Majestatis V. sinceritas inauditâ novitate & præsumptuosâ elatione imminui permittat. Habes Imperator, quæ ad stabiliendam causam Nostram scripsimus. Vestræ Majest. deditissimus & officiosissimus V. F. Caminga, in æde Nostra &c.* Quare non Basilica? ô impudentissimum Os & calamus probrosi hominis! (3.) in Advertissemento quodam per Commissarium Cæsaris Plettenberg, *Anno* 1653. transmisso effreni tandem petulantia omnia pudoris & honestatis rumpit repagula; De Diplomate Maximiliani allegato asserit: *S. Imperii ibi non fit mentio, & hæc quæstio Insulanos tantùm concernit & Frisios, nec spectat ad Imperium Romanum.* Item: *Multò minus imputari mihi potest, quòd Mandato Cæsareo de* 19. *Mart.* 1641. *non paruerim, quoniam non probabitur meum nomen eidem fuisse insertum, nam tunc temporis ex Amelandia nihil emolumenti consecutus eram.* Antecedens prædo & detentor mortuus quidem erat ante insinuationem, Mandatum autem Cæsaris stringebat expressis verbis, *Quoscunque alios Insulæ Amelandiæ detentores.* Novus verò Regulus hic Lemurum, vi & fraude feudum Imperii ingressus, subsannat Mandatum Cæsaris, quia commodum suum nondum ex Amelandia satis extraxerat. Sic Leonibus etiam Vivis insultant Lepores! *Neque istius*, pergit, *insimulari possum quòd Commissarium Cæsaris male excepissem, quod à militibus actum est, hoc ipsismet aut quibus inserviunt, relinquitur defendendum.* Idem ille Wazo contra Ordinum Generalium & Principis Uraniæ prohibitionem *d.* 17. *Febr.* 1638. fucis suis & se-

ſecretiori conniventiâ Centuriam Statuum Friſiæ Schwartzenburgicam clàm deduxerat in Amelandiam & Commiſſarium Cæſaris rabidâ manu depulerat, jam verò non erubeſcit *confiteri crimen & aliquid eſſe defendendum*, *hoc autem onus conjicit in Dominos Status Friſiæ*. Habemus ergo reum confitentem & injuriantem Sacram Cæſ. Majeſtatem æquè ac Dominos Ordines Generales & Statûs Friſiæ.

Surgit nunc (4.) in virtute ſuâ noviſſima Camingæ Deductio vel libellus famoſus, *Anno* 1676. Franecheræ Typis excuſus & $\frac{17}{27}$ *Junii* Leovardiæ publicè diſtractus. Hic certè libellus ſimplicitate minor eſt omnibus ſuis anteambulonibus, majori autem impudentiâ, pravitate, calumniis & falſis totus compoſitus priorum delet memoriam, quinta quaſi eſſentia & concurſus injuriarum, vanitatum & abſurditatum. Quæ de Sacratiſſima Majeſtate Cæſarea, Conſilio Aulico-Imperiali aliiſque ſcribere non erubuerit, pro ratione temporis & loci graviorem merentur cenſuram, *vid. p.* 3. 17. 22. 26. 28 *fin.* 29. *pr.* 31. 33. 34. *&c.* Quæ allegaverit tacitè contra Auctoritatem Dominorum Ordinum Generalium & Statuum Friſiæ, ſuſpendunt Judicium noſtrum. Somniat interea in ecſtaſi *Monarchiam vel independentiam Amelandiæ* p. 4. quæ tamen p. 7. fin. *libera* vocatur tantum *ab Oeſtergo & Weſtergo* p. 12. fin. vocatur *allodialis & patrimonialis*. Mox p. 15. lin. 23. vocatur *Abſoluta*, ex ea ratione adæquata, quia *non pertinet ad Hollandiam*. Antecedente autem lin. 22. cum connexione: *Non minus firmè* vocatur *exercitium Regalium*, cum majoribus literis. Mox iterum blanditur inſigniter ſuæ ſuperbiæ Titulô *Altæ Poteſtatis*. pag. 16. lin. 10. Tandem p. 28. princ. Amelandiam proclamat *Imperium liberum æquè ac Imperium Romanum. Een vryen Staat krygt quæſtie met een ander, &c.* Hoc verò dulce delirium ſub *alis potentiæ tegere* jubet Dominos Statûs Friſiæ, contra Cæſarem. p. 35. lin. 17. quem Caminga cum ſuis Majoribus nec *noviſſe nec unquam læſiſſe* dicit. p. 31. lin. 14. p. 33. lin. 17. Interea ex dominio independenti affectatô *proteſtatur contra Cæſarem*, *& totum Belgium*, per *tot Deduct* Reſolutiones Dominorum Ordinum Generalium *pervertere audet & vitiare*. p. 19. & 20. Cùm verò *beneficiô aliorum immobilium in Friſia communem Belgii Navem intrare* profiteatur, petit exinde Aſylum nequitiæ,

Fel-

Feloniæ, & Rebellionis contra Cæsarem ratione Amelandiæ p. 35. lin. 12. Cæsare autem vibrante justa fulmina, Amelandia semper independens *dependeat*, ait, hac vice *ut navicula à Nave totius Frisiæ* pag. 5. l. ult.

Vanitates has excipiunt Absurditates meritorum Deductionis; nè verò adeò confusè confusam Deductionem sequamur, Caminga in fronte sistit Possessionem suam, exclamandô hoc esse *fortissimum argumentum, quô unô verbô absolvitur omne id, quod ullô modô suum independentiam juvare potest.* p. 21. l. 25. (2.) Cùm verò Cæsari & Imperio feudalitatem & qualemcunque subjectionem præfractè negare necesse habeat, ut tueatur hanc independentiam & Altam Potestatem; neque adeó confidat in corde argumento possessionis, ut profitetur ore, allegat (confusò quidem, siquis restat, pudore) (3.) *Præscriptionem immemorialem.* p. 25. & 26. Conscientiâ tamen de omni Jure victus & anxius (4.) in auxilium vocat & impellit artibus suis Dominos Statûs Frisiæ, ut defendatur ex *ratione Statûs, vicinitatis, suæ auctoritatis, & potentiæ inter Frisios, &c.* & summa imis avidissimè miscere novit. Hoc est Scutum liliatum! Hæc sunt detecta arcana domûs regnatricis! vid. p. 35. &c.

Quod nunc attinet (1.) possessionem, fortissimum Camingæ argumentum, par illi est ratio, sive Amelandia rapta sit sive capta, modò ipse eam detineat: Quâ fide, titulô, vi & fraudibus præsens detentor, ejusque Majores, & Pater in specie Wazo, in Amelandiam se ingesserint, non movet scrupulum, cum sufficiat ipsi in somnio, *Majores per 800. annos in continua quieta possessione absoluti regiminis fuisse, per verb. expressa Vindiciarum princ. supra G.* cujus testimonia allegat Deductio novissima *p. 6. Princ.* At verò in Declaratione Hervertensi *pag. 7.* allegata, de anno 1405. Camingana Familiæ nec ullô verbô fit mentio, neque etiam in Literis antiquioribus & recentioribus Wilhelmi & Johannis Ducum Bavariæ, & Johannis Ducis Brabantiæ, *de Anno* 1398. neque in Literis Philippi Ducis Burgundiæ *de* 21. *Mart.* 1428. neque in Literis Filii, Caroli, Ducis Burgundiæ *de* 20 *Jun.* 1469. Semper & solummodo in illis fit mentio *bonorum incolarum Amelandiæ.* In his verò Privilegiis vel maximè opus fuisset nominare Camingas, si vixissent in Regimine absoluto Amelandiæ. Ipse quoque Imperator Maximilianus in Diplomate *Lit. M.*

supra

supra allegato B. *de Anno* 1494. de Camingana Familia neminem novit nisi Petri Parentem, Hayonem; Hæc certè archiva octingentariæ possessioni & Prosapiæ Caminganæ torvam pingunt faciem, *deque Anno* 1398. usque ad Maximiliani Diploma non loquuntur de ulla possessione; nedum de regimine absoluto, sed tantum *quod boni Amelandiæ incolæ à Frisia separati propriam jurisdictionem exercere, cumque subditis borum Ducum in Hollandia, Selandia & West-Frisia securi & non impediti vivere valeant.*

Et quod si vixissent ante secula Camingani, non tamen repugnat existere, quin Donia, Richteri, Jelmera, Ungula & Heringa, utpote peregrini & veteris Petri Caminga Patres & Avi Materni, ut refert ipse Fiscalis Hollandiæ, Theodorus Graswinkel *in responso juris circa fin. de dat. Hagæ.* 10. *Novemb.* 1634. (Lit. N.) tanquam *Lit. N.* Drossarti, Præfecti & Judices Amelandiam gubernârint. Idem tamen Petrus Caminga sicuti ab initio & tempore Maximiliani I & Alberti Saxonis, *Feudalitatem suam Imperialem* Amelandiæ ostendere anxius laboraverat; mox tamen degenerans in Contemptorem Cæsaris & Imperii, Documenta hæc publica clandestinis artibus subvertere curavit, ut clarè evincitur ex confessione posterorum Wazonis in Advertissementô, *supra K.* & Filii, præsentis detentoris in Deduct. *p.* 10. *princ.* Decem namque abhinc annis post præstitum Alberto Juramentum fidelitatis idem Petrus Caminga Testes quosdam nonagenarios coram Pastore Amelandiæ deponere jussit, quod *ultra eorum, eorumque Majorum scientiam & memoriam humanam*, ut verba sonant testium, *Camingæ habuerint Dominium in Amelandiam*, (quod ipsi interpretantur, independens) *absque alicujus oppositione & impedimento.* Qui ante quindecim annos turbatus est judicialiter à Grietmanno Hervertensi: qui Cæsarem Ejusque Commissionem adeô supplex veneratus est & fidelitatem juravit, ille supra 90. annos & hominum memoriam vult esse Dominus absolutus & independens, neque Cæsarem curans neque imperium. Itane fundamenta absolûti Imperii struuntur in suffragiis testium emendicatorum, clàm pro lubitu coram pastore deponentium? Et quod si de jure probata forent hæc testimonia, non tamen tollunt feudalitatem, neque subjectionem erga Imperium, multo minus important independentiam, sed unicè

unicè probant Caminganorum exercitium meri & mixti imperii in Amelandiam, sed hoc juris est vel jurisdictionis limitatæ imperium, non absolutæ & Monarchicæ. Et quid, quæso, opus erat tum temporis depositionibus testium, cùm Diploma Maximiliani I. amplius concesserat exercitium Regaliorum? Verùm, hoc diploma coluit tenebras, ne infestarentur primordia Monarchiæ Camingianæ. Mirandum autem profectò quod *Anno* 1651. ad Aulam Cæsaris transmissum fuerit pro probandâ independentiâ, & quod adhuc ab erudito Deductionis auctore *pag.* 9. *lin.* 23. *& p.* 11. *lin.* 13. ab exercitio Regalium ad superioritatem territorialem & ab eâ iterum ad imperium absolutum argumentum struatur, inani consequentiâ. Porrò, idem Petrus, ex verbis advertissementi, K. de Amelandiâ tanquam Dominiò absolutô & allodiali testatus est 20. *Novemb.* 1521. ad filium Wizonem. Post sexennium verò, *Anno* scil. 1527. Egmondani inceperunt prætendere Amelandiam: cùmque Wizo Caminga à Carol. V. citaretur *d.* 10. *April.* 1550. ad præstandum homagium Philippo, Caroli V. filio (loquor ex verbis Camingæ) & Egmondani, Carolus & Lamoralius magnâ, quâ in Aulâ Carol. V. pollebant, auctoritate Caminganos dejicere ab Amelandia conarentur, fatetur Caminga, testes novos deposuisse coram Venerando Pastore Refrido, eundem cum præcedentibus tenorem *Anno* 1551. Lite verò reassumptâ 16. *Jan.* 1571. (hùcusque Caminga in advertiss.) compertum est, Caminganos contra hos prætendentes insignes melius sese tueri non potuisse, nisi exhibitis Concessionibus Imperatoriis, quas nec Carol. V. nec Philippus in Antecessorum dedecus retractare voluit.

Quod si Camingæ tum temporis conati fuissent liberum & independens allegare dominium, gravissima profectò supplicia sensissent. Positô etiam, sed minimè concessô, quod ab hisce Monarchis, ex incuriâ vel precibus aliorum, aliquid concessum fuerit vel indultum, quod in patrocinium causæ Camingani detorquere vellent, Philippus IV. tamen, Rex Hispaniæ per Universum Belgium suum solenni Edictô de *Anno* 1637. declaravit Amelandiam Feudum esse Romani Imperii immediatum; mandavitque severè Dùnkerquæ inque omnibus aliis Portubus, ut Amelandorum Personæ, Naves & bona toties

toties detineantur & confiſcentur, quoties illi aliô, quàm legitimi Vaſalli Cæſarei & Domini Mandatô freta intrarent; quam confiſcationem etiam 20. Naves Amelandicæ quondam Dunquerquæ ſenſerunt. *Anno* 1603. 8. *Januar.* Sicco Caminga petiit, in litteris ad Statûs Friſiæ, Neutralitatem ratione Amelandiæ, ex capite dominii Imperialis; repetiit hoc Wizo in literis ad Cardinalem Infantem Hiſpaniæ *Anno* 1636. prout Fiſcalis Hollandiæ literas has ſatis allegavit & Confeſſiones alias.

Ipſi Amelandiæ incolæ Liberum hoc Dominium Camingianum & poſſeſſionem independentiæ acerbe ſæpiùs interpellârunt, præprimis *Anno* 1615. 1619. *&* 1620. Magiſtratûs & ita dicti Volmachten Amelandiæ notanter ſcribunt ad Camingam *d.* 3. *Mart.* 1621. Poſteaquam orta eſt controverſia, quomodo Amelandiæ Conſules noviter electi juramentum Camingæ præſtandô, Ipſius Titulum, qualitatem & Præeminentiam obſervare debeant, ipſi talem ei reverentiam obtulerunt, qualem Inſtrumenta & Diplomata S. C. Majeſtatis, vel ab Eâdem Delegatæ Poteſtatis, Familiæ Caminganæ conceſſa, manifeſtare poterunt. Quæ Inſtrumenta & Privilegia Territorialia iterum allegârunt 15. *Mart.* 1621. Siccone Camingâ autem hôc pactô juramentum reſpuente, ac Liberi & Hæreditarii Domini titulum prætendente, (ſicut hi incolæ expreſsè conqueruntur. 9. *April.* 1621. pariter atque de eo, quod Caminga hæc Archiva neque legere neque videre illis permittere vellet, id quod tamen Domini Ordines Generales Belgii, tanquam Arbitri & Mediatores hujus controverſiæ *d.* 14. *Aug.* 1620. *in* §. 1. *Receſsûs.* Ipſi Camingæ impoſuerant) provocant hi ſubditi ad eundem Receſſum, proteſtantes inſimul contra hoc Dominium liberum & hæreditarium, quod ut Ipſis incognitum ita capere novitatem rei non poſſent. 9. *April.* 1621. Quamque venuſtè ſubditi liberum hoc Dominium etiam factis turbârint, detentione ſcil. redituum Inſulæ, obſeſſione Arcis Amelandicæ, concuſſione quarundam domuum & inſignium Caminganorum &c. in Literis Amelandorum *d.* 23. *Decembr.* 1625. ut & Memoriali Camingæ ad Statûs Generales, quo vicinum implorat auxilium, ad riſum usque legere licet. Superſedeat Caminga hæc allegata vocare calumnias, Archiva Dn. Statuum hoc non admittunt. Copiæ horum

rum documentorum reperiuntur in Statu Genuinô supra allegatô. Post annos triginta, *Anno* scil. 1654. omnes convocati Magistratûs Amelandiæ ad requisitionem Chiliarchæ Cæsarei, Caroli à Dyk *Lit. O.* (Lit. O.) & Notario Legalis Curiæ Frisicæ, Johannis Schollen, in Cancellariâ Amelandicâ rotundè sunt confessi: quod *nunc & omni tempore fuerint Vasalli Cæsaris & Imperii, quodque desiderent Zuhmium habere Dominum &c.* quid clarius, Mi Caminga!

Tam confusâ & turbatâ facie pallet & marcescit possessio Camingarum immemorialis, haud 30. annis, nedùm tempore immemoriali, sine interpellatione quieta, carens principiô & formâ regiminis independentis, ut adeò unô ictu cædatur ilex fortissimi in speciem argumenti. Post annum verò 1636. motamque in Aulâ Cæsaris cardinalem controversiam, quomodo Sicconis Filii, Petrus & Wizo, sorores Amelandiâ excluserint, mortuisque his detentoribus, Patruelis Wazo, filiabus his earumque hæredibus adhuc superstitibus, vi & fraudibus Insulam occupâric & invaserit, Ernestus Zuhm satis ostendit, ejusque affinis Rengers Grôningensis in processu juris singulari satis exhibuit; hic verò hactenus custodiâ detentus fuit. Quod superest, Camingana Possessio merum est cadaver, sine fide & titulo, semper interrupta, semper vitiosa. vid. plura in Fiscalis Imperialis & Hollandiæ Responsis Authenticis.

Corruit ita turpiter fortissimum Possessionis argumentum, alter quasi Goliath, fugiat ergò universus Philistæorum exercitus, Caminga autem spiritus vitales huic inspirare adhuc audet Præscriptione immemoriali *p.* 25. & 26. Verùm enim verò ex capite deficientis possessionis, cujus defectus modò suprà demonstratus, etiam præscriptio corruit; Atque Romanum & alia Summa Imperia non persuadentur à Camingâ in his terminis sibi præjudicari præscriptione, in æquitate naturali, citra dispositionem juris positivi, aliàs parùm fundatâ. A Grotio è Scripturâ Sacrâ allegatus Jephta, *Judic.* 11. contra Regem Ammonitarum provocat magis ad jus Belli & mandatum Divinum *vers.* 23. & 24. quàm ad nudum temporis lapsum vel possessionis sine fide & titulô. Neque à subditô contra Principem currit Præscriptio ratione Regalium Majorum vid. *Bechman in jus publ. Brautlach. l. 3. c. 4. §. 9. verb. præscriptione, &c.* nedum

dum ratione Superioritatis & independentiæ. Et quoties in omni Capitulatione Cæsareâ publica hæc prostant verba: quod omnia, quæ ab Imperiô Romanô secesserunt, immediata, summâ curâ & studiô reduci rursus debeant, toties certè hæc Acta publica totius Imperii auctoritate & consensu removent omnes præscriptiones libertatis & independentiæ, omnesque malæ fidei possessores & detentores satis superque interpellantur, ut quod eorum non est, sciant quôvis modô pertinere ad Imperium. Et quod si termini habiles præscriptionis Camingæ forent, quod tamen absolutè falsum, non tamen curreret præscriptio, nisi à tempore mortis Petri Camingæ Vasalli Cæsarei, Ejusque Filii & Successoris Wizo, (qui ex mente Camingarum *Anno*, in circa, 1525. primam renovationem Investituræ Cæsareæ petere omisit *p.* 13. *Deduct.*) usque ad annum incirca 1560. quô Provinciæ Belgii fœderatæ secedentes seculare ferè bellum parabant, ultra Investituram Zuhmianam; quod ipsum tempus guerræ, secundum Constitutiones Imperii, (quas Caminga, ad Præscriptionem contra Imperium provocans, nolens volens admittere cogitur,) si detrahatur, ne 40. quidem anni eum juvabunt, nedum tempus immemoriale, imò 800 annorum, ut fanatici suaviter sibi blandiuntur & fingunt. De jure communi Feudali etiam quod Hollandiæ viget 2. *feud.* 40. & 55. speciosis verbis exprimitur (quicquid communiter inter longum & longissimum tempus distinguatur) nullius temporis præscriptio obstat alienato feudo; hæc autem alienatio est tantùm personæ Vasalli mutatio, jam verò totam libertatem præscribere velle, major est alienatio, quippe ipsius quidditatis & essentiæ feudalis, præprimis in feudis Regalibus contra splendorem Imperii, qui rationem facit prohibitionis inductivam. Imò, Vasallus non præscribit contra Dominum, nisi per actum contrarium Domino interverterit possessionem, isque acquieverit; Neque enim sibi causam possessionis mutare & solâ animi destinatione rem feudalem possidere ut liberam incipere potest. vid. Rosenthal. *Cap.* 6. *Concl.* 82. *n.* 19. Bocer. *d. Præscript. feud. C.* 2. *n.* 70. Schulz. *d. Feud. C.* 9. *n.* 96. Balb. *d. Præscript. quæst.* 12. *n.* 18 Rittershus. *de Feud. L.* 1. *C.* 18. *quæst.* 12. Struv. *Synt. Jur. Feud. C.* 15. *aph.* 3. *n.* 5. Caminga verò hunc

actum contrarium (qui tamen nuda est interna animi destinatio) ostensurus thrasonicâ elatione ait: *Familiam suam ultra seculum & semper elatâ voce protestatam fuisse contra Cæsarem, quod Imperium Amelandiæ sit independens, cum animo nullum agnoscendi Superiorem*; Prodit se ut sorex & renitente animo lingua præcurrit mentem, Caminganos à Cæsaribus fuisse interpellatos & citatos; quid aliàs opus habuissent protestationibus, & quod magis est, in specie contra Cæsarem? quare non contra Regem Galliæ? Confitentur ergò tacitè felonias & Rebelliones contra Cæsarem, & gloriantur publicè de suis facinoribus. Camınganæ è contra literæ &, quas Hagæ Comitum, Bruxellis aliasque ediderunt, Confessiones, à Fiscali Hollandiæ observatæ ostendunt, *Caminganos in favorabilibus non protestatos contra Imperium, sed provocâsse libenter ad illud*. Neque fastidiosum fuit

Lit. P. detentori moderno, quin potius ratum & gratum, attestatum quoddam Amelandicæ subjectionis Imperialis ante triennium in Consilio Aulicô Imperiali ad preces concessum, cujus beneficio Navis Amelandica à Scotis capta in favorem Romani Imperii relaxata fuit, cum triumpho redux in Amelandiam: Incolarum protestationes & pro Cæsare ac Imperio Confessiones Camingani non ægrè tulerunt: Ante annum 1651. protestationis Caminganæ contra Jurisdictionem Imperii nulla apparuit insinuatio, quâ deficiente, Protestatio Camingæ idem haberet pondus ac si aliud quoddam animal elatâ voce in Amelandiâ ruderet. an acquieverit Aula Cæsaris ad aliqualem protestationem? Mandata severissima loquuntur. Et quidem tàm claris demonstrationibus, ut possessio antiqua & novissima, facti & juris, evidentissimè pugnet pro Imperatore & Imperio. Et quicquid sit: Obedientia & Superioritas est Summi Imperii *Cap. cum inter. X. d. Consuet.* Gloss. *in C. voluntas.* 16. *quæst.* 4. adeoque proprietas naturalis & inseparabilis, quæ præscribi non potest. Et subjectio ex functione publicâ seu Canone resultans, planè non potest præscribi. *leg. 6. C. de Præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* Vid. eundem Grot. eôdem locô *d. l. B. & P. l.* 2. *C.* 4. §. 13. jam vero Diploma Maximiliani Camingæ imponit tributum vel canonem annuum cum subjectione & protestatur de Juribus Imperii semper salvis, quibus nullatenus præjudicetur; quomodo ergò Caminga tentando

do præscriptionem tributi & subjectionis Juribus Imperii præjudicare potest?

Verùm enim verò, ut genuina Veritas artes secretiores revelet, advertendum est, quòd Armiger hic Caminganus non adeò quærat beneficium præscriptionis, quin potius eandem cum jure belli confundere, & libertatem quam Status Frisiæ ex Jure belli per transacta impetrârunt, subdolè etiam derivare velit in Amelandiam. Hinc *pag.* 24. *princ.* veluti convictus & confessus, Amelandiam esse feudum & Dominium Imperii, anxio & trepidante calamo subministrat Jura Frisiæ, quæ cùm fuerit Feudum Imperii, jam verò sit libera, quare non pari modo Amelandia, per lapsum temporis? ut ait; sed fallitur; Frisia nunquam facta est libera per nudum lapsum temporis, sed jure Belli & transactionis. Quid verò hoc ad Amelandiam? ubi Jus Belli? ubi concordata transactionis? ab *Anno* 1636. usque ad hoc tempus & ita ante & post annum 1648. lis gravissimè & continuè fuit mota, nunquam transacta. Et quod mirum auditu: Caminga, qui se jactat Dominum absolutum, independentem, altæ Potestatis &c. qui continuè protestatur contra Frisiam, aliasque Provincias, quomodo nunc sine pudore libertatem Frisiæ applicabit Amelandiæ, quæ nullô modô ad Frisiam pertinet? Sed Caminga omnes induit colores luditque verbis, ut pueri lapillis, dubius tandem in suavi delirio an Rex sit vel Morio, dum Imperiali huic Insulæ novum à seculis omnibus, in tali loco, à talibus velut Camingæ sunt, personis, inter tales quæ hic se produnt, circumstantias, inauditum affingit independentiæ commentum!

Tandem denudatâ omni argumentorum specie, Caminga, Jovis iram augurans, disturbat & compellit vicinum Belgium, tùm temporis non protestatur scriptis contra Jurisdictionem & Protectionem Dominorum Statuum (quanquam non ita pridem Mense Majo & sequentibus elapsi anni 1676. Camingana hæc gens cum suo tum temporis Coryphæo, sedato paulisper metu, susurraverit in aula Celsissimi Principis Nassoviæ, Domini Gubernatoris Frisiæ: **Es ware zehenmal eruellet unter ordinari Protection der Staden von Friesland / Amelandt zu submittiren / als unter dem weit abgelegenen Kayser / etc.** non dicam de aliis.) quoad hunc verò actum, contra Cæsarem & Imperium, subornat conquisitam suis com-

commentis Protectionem, Frisiæque alas sibi pandit, objectô prætextu Rationis Status, Vicinitatis, suæ inter Frisios auctoritatis, &c. ut velut auceps dulci hoc cantu suffragia sibi conciliaret.

Vanissimum autem fingit prætextum, cui si detrahantur fraudes, injuriæ & passiones, mera erit umbra larvata. Domini Ordines Generales nullum unquam in Amelandiam habuerunt, prætenderunt aut allegârunt Dominium, Jurisdictionem, Protectionem, aut fundatum de jure interesse, causâque hâc Amelandiæ per 42. annos in Aula Cæsaris acerrimè ventilata, Ipsisque commendata, Insulam hanc ad hoc usque temporis momentum scriptis & factis profitentur Belgio Neutralem, omni modô indifferentem, neque subjectam Illius Constitutionibus & Mandatis, aut oneribus sive realibus sive personalibus; propriisque suis *passeport* Maris Commercia exercentem. Iidem Domini Ordines Generales *Anno* 1620. ab Amelandis & Caminga per compromissum electi arbitri, in Extractu Resolutionum *die Veneris* 14. *Aug.* 1620. vocârunt sese: Amicos compositores & electos arbitros sinè præjudicio Jurisdictionis & Privilegiorum Amelandiæ.

Et quamvis Imperatoriam Investituram in Ministris suis Aitzma, Waveren & Beaumont, cum aliquo sensu videantur accepisse; *Anno* 1636. Nullam tamen exinde dicam moverunt Ernesto Zuhmen, qui primam eandem Investituram & (depositis posteà fascibus Hollandiæ militaribus) secundam à Cæsare impetrandam, cum Dominis Statibus Generalibus & Principe Uraniæ, Friderico Henrico, semper & ubivis communicaverat. Hic autem Princeps, prout Causam hanc Amelandicam judicavit Statui indifferentem, *vid. Aitzma Hollandische Orlog. de Anno* 1636. *immediatè ante Literas Cæsareas Investituræ Zuhmianæ*; Sicuti quoque Fiscalis Hollandiæ, Graswinkel, in responsis suis juris, ut supra N. & hîc in extractu (Lit. Q.) tersis expressisque verbis dixerat, Amelandiam esse Imperii feudum & nullô unquam modô pertinere ad Hollandiam vel Frisiam. *Lit. Q.* Itemque Domini Rechenmeister von Hollandt circa quæstionem: an Statui Hollandiæ ab hac investitura Cæsarea dependeat interesse quoddam, *vid. pag.* 15. *Deduct.* se nihil invenire responderunt. Et ipsi quoque Domini Status Hollandiæ & West-Frisiæ à territorio

ritorio suo & prætensione Amelandiam penitus absolverant. vid. ipsa verba, *pag.* 15. *Deduct. lin. ult.* Ita quoque diebus sequentibus Domini Ordines Generales (non obstante Resolutione *de* 27. *Mart.* 1637. de qua vid. annotata *ad p.* 19. *Deduct. infrà*) Causam hanc Amelandiæ (non hæreditatis Sicconis Camingæ *vid. annot. ad pag.* 19. *Deduct. in fin*) suo ipsius arbitrio, fato & eventui relinquendam mandârunt, *vid. Extract. Resolut. Mercurii* 27. *Maji.* 1637. formulæ hujus in Hollandia vires & efficaciam intelligunt omnes! Obtulerant autem Domini Statûs Generales ante dies quosdam, 24 April 1637. Camingæ mediationem suam, monentes, nè graviores exindè orirentur difficultates; quod ipsum Causæ cognitionem importat de Amelandia, Eosdem adeò non attiguâ; Camingâ verò, supra mores Independentium, eandem recusante, ipsi Domini Statûs per Dn. Dublois & Hottinga in Camera Audientiarum monuerunt Zuhmium, ut à Cæsare impetranda pro lubitu quæreret.

Neque verbis tantùm sed etiam reipsâ Cæsaream Investituram & Causam Amelandiæ indifferentem Belgio tractârunt, de confiscatione 20. Navium Amelandicarum Dunquerquiana, severisque Mandatis & reali executione, à Cæsaris Commissariis Joanne Beer, & postmodum Joanne Friquetio, Hagæ comitum Residente intentatâ, nihil unquam conquesti tolerârunt placidè Cæsareos Investitos Zuhmium, ejusque Cessionarium Dœgen, & hæredes, nec non Ipsius Frisiæ Curiæ Notarium Schollen, Amelandos nomine Cæsaris compellantem, tolerârunt Senatus Amsterdamensis Mandata & Confessiones Amelandiæ Feudalitatis Imperialis. Ipsa suprema Collegia, Hoff von Holland, & Hohe Rath, laudârunt Camingæ protestationem contra Statum Hollandiæ, Jebbone ab Aldringen Investituram *Anno* 1641. à Dominis Statibus petente, Insulamque à Jurisdictione & Potestate sua penitus absolverunt 8. & 13. *Novembris* 1641.

Tractaturi cum ea semper per Compromissum & ex jure Gentium. *vid. pag.* 16. *Deduct.* concesserunt Insulæ notoriam ubique Neutralitatem & libera Maris Commercia; Et quanquam Domini Status Generales Camingæ sœpius permiserint protestationes contra Belgium, prohibuerunt tamen generosè, ne abuteretur Militibus Frisicis, quibus clam in Insulam receptis Caminga Cæsaream

ſaream Executionem avertere apertè audebat. *vid. ſupr. In literis ad Cæſarem de Anno* 1654. intercedunt tamen pro Caminga (Lit. R.) rogando, ſed non allegando Dominium, Jurisdictionem aut Protectionem; Executionem Principis & Epiſcopi Monaſterienſis tantum ut revocet, Cæſarem obteſtantur, ex capite juris indubitati & juſtæ poſſeſſionis ut vocant, Camingarum. Verum de Jure & poſſeſſione Camingæ ſolus judicat Cæſar, nec admittet alios in hoc negotio, ad quos ex propria confeſſione, cauſa nunquam ſpectavit.

Lit. R.

Quicquid aliàs in ſpeciem moveatur in contrarium, Amelandiam ſitam eſſe ea prope loca, ubi Curâ Confœderati Belgii vaſa ponuntur, **See-Tonnen**; Ergò non eſt feudum Imperii, (ſi concluſio formaretur: Ergò eſt de territorio Belgii, ipſe proteſtaretur Caminga) vel ſita eſt è Regione Friſiæ (verba: adhæret Friſiæ, ut Maximilianus I. ſupra in Diplomate loquebatur, ipſe Caminga fortè adhuc non pateretur) & inter alia territoria Imperio Romano non ſubjecta, &c. quid, quæſò, ſequitur exinde? Vaſa Albis Hamburgenſium, monitoria navigantium, non probant jus ad prædia adjacentia vel è regione adhærentia: Diverſa & intermixta territoria non tollunt cujuſcunque diverſam Juriſdictionem individualem: Inſulæ extremæ Aſiæ plura habent interſita territoria Dominis Europæis diverſa. Nec porrò ſequitur, Hollandia & Friſia multùm auctoritatis ſemper habuit penes Amelandiam, Ergò Ea non eſt Imperii Dominium.

Auguſtiſſimus Cæſar majorem hactenus Auctoritatem habuit penes quosdam; ſufficit, ut agnoſcantur beneficia, aliæ concluſiones ad Jurisdictionem exinde non ſtruuntur. Dominos Statûs verò varios actûs imperii & protectionis exercuiſſe in Amelandiam (quam tamen independentem Orbi obtrudunt) abſque contradictione Cæſaris & Imperii, &c. reclamat genuinæ veritati, propriis Eorum reſolutionibus, deciſis & archivis, à propriô Fiſcali ad Mandatum ſæpius allegatis, ſi tempora ſpectes ante annum 1636. poſt ea loquuntur Acta Cæſarea, Mandata ſevera, Inveſtituræ plures, totusque proceſſus 4. annorum, cujus merita ſuprà fuſius. Confiſcatio Dunquerquiana teſtis eſt realis Cæſarei actus Jurisdictionalis & acquieſcentiæ è contrario Fœderati Belgii, quod ſuis actibus Imperii manifeſtam contradictionem implicaſſet cum con-

confessâ ab Eôdem & laudatâ independentiâ Camingană; Ipse Caminga non admisisset hos actûs, in orbe tamen nunquam visos. A Dominis Statibus usurpatæ quondam, Cæsare insciô, Mediationes inter Camingam & alios, Cæsaris & Imperii jura non tollunt; ut subditus quidam & vasallus ab extraneô nonnunquam defendatur & protegatur in terminis juris naturæ contra injuriam alterius, omnis Dominus facilè permittet pro ratione circumstantiarum, Protectionem autem solennem in præjudicium Imperatoris, legitimi & Supremi Domini fingere & committere, utrumque nefas est.

Domini Statûs Provinciales Frisiæ vigore Declarationis Hervertensis d. Anno 1405. Amelandiam à Frisia per omnia separatam agnoscunt, & quotidianis testimoniis independentem planè jactant, adeoque ex jure Gentium cum Camingâ tractant. pag. 15. Deduct. In literis ad Statûs Generales de 18. Febr. 1637. allegatis p. 17. & 18. ingentia pericula Reipublicæ ex Cæsareâ investiturâ imminentia ostentare student, sed mera sunt verba & larvatæ persuasionum umbræ: *Caminga est Nobilis Frisius & possessionem hæreditariam* (non liberam & independentem, ut aliàs testantur) *huc usque quietè habuit;* de factô & merâ detentione Insulæ verum hoc est His verò literis Domini Status Generales cum Serenissimo Principe Uraniæ parùm movebantur quoad investituram Zuhmii, auditis enim de hâc Causa Fiscali & Rechenmeister sequebatur duos post menses resolutio supra allegata d. 27. Maji ejusdem anni, cui pariter obsequendô omnia tolerârunt, quæ supra de Dominis Statibus Generalibus mentionata fuerunt (sed moderni quidam turbatores & præcipitantes eô tempore non sedebant ad clavum, vel tantam sibi licentiam præripere non valuerunt.) Insecutæ verò *Anno*
1651. Literæ ad Cæsarem, (Lit. *Lit.*
S.) quas Dominus t. t. Guberna- *S.*
tor commendavit cùm vindiciis
(Lit. T.) fictis prætextibus plus *Lit.*
tandem officiunt quàm prosunt, *T.*
nullum ibidem allegatur dominium, Jurisdictio aut legitima Protectio, sola jactatur possessio (de quâ tamen ad Frisios nihil spectante solus Cæsar cognoscit & cognovit multoties) & ficta Associatio vicinitatis terret; Sed Sacra Cæs. Maj. graviter illis respondit per eundem Dn. Gubernatorem, cujus quidem egregia promissa Cæsar Singulari Gratiâ,

Frisiorum verò attentata graviori inclementia excepit in literis *d.* *Lit. U.* *Anno* 1653. (Lit. U.) ad quas etiam hactenus per 24. annos placidè acquieverunt, & tacendô suum ad jura Cæsaris & Imperii incompetentiam confirmârunt. Neque est dubium placuisse Illis interea Attestati suprà P. effectum in restitutâ Navi Amelandiæ in Scotiâ, quæ hôc quoque modô Amelandiam agnovit pro feudo Imperii; Sicuti quoque agnovit Senatus Amsterdamensis, adeoque Doegianis tria concessit Mandata Procuratoria & judicialia. 6. *Febr.* 17. *April.* & 20. *Julii* 1673. ad petendam à Cæsare renovationem Investituræ Amelandiæ; & prævià causæ cognitione Scabinorum ibidem pupillarium *d.* 7. *Mart.* 1675. sub Sigillô Civitatis dedit Mandatum ad vendendum in Aulâ Cæsaris Feudum Imperiale Amelandiæ. 14 *Mart.* 1675. Cùm cætera sint superflua, *Lit. W.* vid. extract ultimi (Lit. W.) Hic verò Senatus prudens & circumspectus intelligit optimè quæ confœderatam Rempubl. lædant vel non, & ex variis cum Eô in hac Causa dudum communicatis solidam habet notitiam, cum plurimis Provinciis Cæsari nunquam obfuturis.

Prætextum quod concernit Vicinitatis, ea certè sola absque alio jure, & in alterius manifestam injuriam, nefarium est principium, neque infringit jura alterius fundata, quæ præcox idea & sine corpore umbra nil quicquam morari potest, cum omnia territoria vicinum pati oporteat, ne detur progressus in infinitum. Si itaque Frisia metum objicere velit ex Amelandiâ, Feudo Imperiali, & ejus quidem situatione, vanus oritur timor Potentibus ex Insulâ infirmâ, quæ facilè redigi potest in ordinem; Nec fingi aliquid potest, ex personâ Excellentiss. Domini novi feudatarii, qui, ut ergà omnes æquus & benevolus, in istâ etiam viciniâ eundem demonstrabit animum. Si ex conditione anteriorum Investitorum, illi, subditi Hollandiæ & infirmi, quare impediti toties fuerunt in acquirenda hâc possessione? Si ex consideratione præsentis detentoris littora Frisiæ in vado salutis reputantur, cùm ejus fortuna ab hôc Statu inseparabilis sit. *pag.* 28. *fin. Deduct.* quid, quæsò, impedit quò minus Caminga ante 50. annos Cæsarem Dominum suum recognoscere, præterea autem in securitatem Frisiorum bonus vicinus vivere potuerit, prout hactenus à Frisia separatus & Neutralis fuit? obscura quædam de

hôc

hôc argumentô obgannit auctor Deduct. in fin. Sed raucâ nimis voce, acerba namque & probrosa satis huc usque cecinerat; facilius autem se expedire potuisset, dicendô: Caminganæ insolentiæ nutrimentum sunt subornati Casus pro amico Vicinorum. Sed credite, quibus est amor Patriæ, iniqui hi favores onerant Rempubl. patuit hactenus Amelandia diu noctuque fallitis & Familiis Frisicis, quæ ut ducentesimum nummum redimerent, in liberam ipsis Amelandiam interea secessum fecerunt. Quot mille amphoras prohibiti quondam Vini Gallici & adusti Caminga sub titulo Neutralitatis recepit in Amelandiam & in testimonium laudatæ ab Ipso Deferentiæ erga Confœderatum Belgium detulit easdem a'tibus clandestinis in Hollandiam? Et nihilominùs Caminga contrà Imperatorem amplectitur favorem ipsi conniventis Fœderati Belgii. Ut mirum non sit, Jovis graviora fulmina imminere Camingæ, ignemque commeritæ ex omni parte pœnæjam in favilla ardescere.

Supersunt adhuc specialia quædam in Deductione Caminganâ leviter monenda.

ad P. 4. lin. 4. Deduct. De independentiâ & absolutô Dominiô Camingæ vid. suprà fol. c. p. 2

P. 4. fin. Frisia non occupavit Amelandiam, E. Cæsar non habet Jurisdictionem fundatam &c. non sequitur.

P. 5. fin. Frisia jam habetur pro liberâ. E. etiam Amelandia. Non sequitur; vid. suprà fol. D. pag. 3.

P. 8. lin. 15. & 16. Vid. suprà fol. A. pag. 4. Recht und Boden der Lande/ eô tempore non erant Domini Status Frisiæ in formâ suâ modernâ.

P. 9. l. 7. 19. 23. Amelandia non vocatur libera ab omni Jurisdictione simpliciter, sed secundum quid, districtus scil. Frisiæ. Nec auctor sibi respondet ad formatam benè objectionem. lin. 19. Practica quotidiana non stringit contra literam expressam. lin 23. ab exercitio superioritatis territorialis (ubi talis

talis reperitur) ad independentiam vel destructionem juris Imperii nulla est consequentia. Omnes Imperii Romani Status habent hoc exercitium, & multò magis recognoscunt Cæsarem & Imperium.

P. 10. Ad testimonia hæc responsum suprà fol. C. p. 2.

P. 11. lin. 13. Amelandi semper homagium præstiterunt immediatè Camingæ non Cæsari, Ergò cum Dominô suô non sunt Vasalli Cæsaris & Imperii &c. non sequitur; Non omnes vasalli jurant Cæsari immediatè sed per Dominos suos, qui Domini Cæsari homagium præstant eôque præstitô, & impetratâ Investiturâ, à subditis dictum homagium recipiunt. Quod verò testes speciosè deposuerunt contra Cæsarem, stringit malam fidem Camingarum.

P. 12. lin. 16. Vigore testamentorum si Amelandia ex mente Camingana sit allodialis, legitima competiit filiabus & Zuhmii Uxori; Si ipsæ fœminæ quondam in hoc feudo successerunt ex verbis Fiscalis Lit. N. in fin. injuriosum est Fideicommissum in præjudicium familiæ, consuetudinis, legitimæ & juris quæsiti filiarum: Sicconis veterioris Fideicommissum si fuit de jure validum, quid novô opus fuit Sicconis junioris? & uterque non fuit primus acquirens; Neque fideicommissi constitutio mutare potest naturam feudi. Neque fratres tantùm excluserunt inique Uxorem Zuhmii, sed remotissimus quoque Patruelis filius, præsens detentor, quippe qui ex nullo planè jure invasit Amelandiam. Si allodialis foret Amelandia, vinceret eum gradus remotior, & commissa contrà Cæsarem rebellio in negata Jurisdictione & Superioritate; si feudalis, ut revera est, Eâ privandus est ex feloniâ & Læs. Majestate.

Jactata viva veritas in literis P. 14. lin. 4. seq. est manifestum falsum! plusquàm seculum supra Anno 1588. Amelandia, dicunt, fuit independens, Caminga Domini liberi, neque ab Albertô Saxone, Carol. V. aut Philippo unquam in independentiâ turbati. Certè nondum annis abhinc 90. Maximilianus I. Camingæ imposuit tributum, & concessit Regalia & Gratias Cæsareas: Frisiorum Grietman turbabat eundem Camingam, ut Cæsaris

ſaris Commiſſionem & Camerale judicium agnoſcere neceſſum habuerit. vid. Lit. C. Annis abhinc 88. ſcil. anno 1500. juravit Caminga Alberto Saxoni fidelitatem. In Advertiſſemento Caminga fatetur Lit. K. Annis abhinc 61. ſcil. Anno 1527. Egmondanos judicialiter conveniſſe Wizonem & Hayonem Camingas: Annis abhinc 37. Anno ſcil. 1550. 10 April. Carol. V. citaſſe Wizonem ad præſtandum homagium Philippo: Annis abhinc 17. annô ſcil. 1571. d. 16. Jan. Eundem Philippum citaſſe Petrum Camingam de privandâ Amelandia. Quouſque nunc tandem Camingana Independentia Chimerica & quidem ultra ſeculum? Parcius hæc figmenta! apparent craſſæ artes & iniquiſſimi favores! Concilientur, quæſo, probroſæ hæ antinomiæ! Anno 1621. ipſi Amelandi novitatem Domini liberi hæreditarii non capiebant, ut ſuprà; ſed nimis candidi erant, homines indocti! Antinomiam continuatæ Poſſeſſionis circa Jelmeram, Doniam &c. & Camingam felicius ſolverat auctor. p. 6. l. 13. per mutationem cognominum; has fortè conciliabit per mutationem veritatis. Sed ſanctior eſt fides tam circumſpecti Collegii, quod non præſumitur ſepties impingere contra propria acta; Camingana cohors, credo, literas has in ſpeciem excogitavit & compoſuit, immemor Advertiſſementi Camingani.

Jura quoque gladii & fiſci in Crimine etiam Læſæ Majeſtatis habent Status Imperii, exinde tamen non ſunt Domini abſoluti & independentes, ſed recognoſcunt Cæſarem. P. 41. lin. 24.

Si auctor approbat literas has feudales d. anno 1390. Conciliet eas, quæſo, cum independentia 800. annorum non interrupta. Habent enim inveſtituræ effectum juris, licet alius poſſeſſor feudum naturaliter detineat. Poſt verba lin. 22. Sonder het ſelve Eyland te Leen te holden. Auctor dolosè in calamo retinuit: Van der Graaflikheit van Holland. ut ſcil. incauti hoc accipiant pro atteſtatione authenticâ, Amelandiam planè non fuiſſe feudum & per conſequens neque Imperii. Quod attinet Advis des Hoffs, minime hoc militat pro Caminga contra Cæſarem; Amelandia non eſt Hollandiæ feudum, P. 15. lin. 8. & ſin.

quid

quid hoc pro Caminga contra Cæsarem? Sin verò absolutè non sit feudum & per consequens neque Imperii, suspectum foret suffragium de feudalitate tertii, in re ignotâ, testari velle contra Imperium: Hollandiæ Curia non habuit Cæsaream Commissionem animadvertendi de feudalitate & Tributô præstandô Camingarum. Neque Curiæ ea mens est quam auctor falsô extorquet. Cæterum tractent alii cum Caminga ex jure Gentium sive ex Civili, res inter alios acta Cæsari non præjudicat.

P. 17. & 18. Quod si Nobilis Frisius in Imperiô Romanô largiter possessionatus, quoad bona Frisiæ contra Dominos Statûs committeret feloniam, Criminaque perduellionis & rebellionis, Cæsar autem impediret Executionem justam Frisiorum ex ejusmodi prætextibus, quæ illis mens foret? quæ intemperies? Est autem principium naturæ: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

P. 19. pr. Vid. Aitzma Hollandischen Orlog. d. Anno 1636. ante Literas Cæsar: Investituræ Zuhmianæ.

P. 19. med. Ut taceam de aliis circa hanc resolutionem monendis, medius terminus hic traditur: sequelæ præjudicabiles, &c. quòd si hæc fortè imaginatio aliquos premit: Amelandiâ Imperio restitutâ Cæsarem per consequentiam forte vindicaturum alia Belgii Confœderati territoria jurisdictionis quondam Imperialis; persuadeant sibi cordati omnes, Romanorum Imperatorum morem nunquam fuisse arripere aliorum territoria quæ Jure Belli & per transacta & pacta fœderibus confirmata ab Imperio Romano decesserunt. Cæsar in Amelandiam utitur suo jure, nunquam derelicto, à Regibus Hispaniæ & Angliæ, Ipsis Belgii Ordinibus aliisque dudum approbato, & sic nemini facit injuriam, neque si Imperator vindicare vellet quæ olim ad Imperium pertinuerunt, ista Insula aut multum promovere intentionem, aut graviter obstare posset. Si verò hæ sequelæ præjudicantes, in sensu composito sunt pugnantes cum Servitiis Patriæ præstandis, hæc resolutio non infringere potest Imperatoriam Amelandiæ Investituram, hæc enim Insula nunquam præstitit servitia Belgio con-

confœderato, quippe Neutralis, ergò vi rationis inductivæ & oppositionis bilem movere non poterat Investitura indifferens Insulæ indifferentis; neque hac ratione Zuhmium stringit resolutio, sed Aitzma, Waveren & Beaumont, *Horum intuitu statuerunt Domini Ordines Generales, interesse Reipublicæ, ne subditi harum Provinciarum aliis fidelitatis interverterentur juramentis, quàm Ipsius & quidem solius Patriæ; Ipsi verò Domini Ordines Zuhmio nullam dicam exinde moverunt, sed liberam impetrationem Cæsaream reliquerunt* (sunt verba expressa Fiscalis sœpè allegati Graswinkels, ita ut non opus sit apponere aliam Copiam) Hunc sensum confirmant etiam alia circumstantiarum pondera; Ante resolutionem hanc notatam audiebantur judicia Fiscalis & Rechenmeister, qui negabant interesse Reipublicæ in Amelandia: elapso post hanc Resolutionem mense, d. 24. April. monebant Domini Ordines Generales Camingam de difficultatibus Investituræ Zuhmianæ impetratæ & de novo impetrandæ, citabantque eundem Hagam Comitum, 7. Maji. ut intersit Mediationi, quam in favorem Zuhmii susceperant ad petitum, tentaturi componere causam (non familiæ ercíscundæ judicium, prout Antecessor juris in Deduct. p. 20. Resolutionem d. 27. Maji contra clara verba & mentem injuriosius interpretari audet.) Camingâ vero pro insipida sua ambitione in despectum Cæsaris & Statuum Compositionem hanc per Legatum, venerandum Pastorem, rejiciente, sequebatur alia resolutio *d.* 27. *Maji.* Rem integram & intactam Imperatori esse relinquendam.

Pugnant hæc egregie cum prætextibus Caminganis, Amelandiæ Statum ac Camingæ fortunam à Confœderato Belgio inseparabilem, ciere præcordia Status, resistendum esse Mandatis Cæsareis violato etiam Gentium jure, non habita ratione insignium beneficiorum, non periculi & supplicii. &c. Domini Status admiserunt honestè inque Mediationem suam receperunt Zuhmium, non Prædonem & Patriæ invasorem, pro ut eructant passiones auctoris p. 34. lin. 13. in despectum Dominorum Statuum; sed à Cæsare de Amelandia tanquam feudo Imperiali investitum & mox iterum investiendum. Satis est! Perpendere hinc potest Camingana cohors, quæ sint, quæ fuerint, & quæ ventura non negligenda. Pone itaque inflatos tumidosque vultus; quem dies vidit veniens cres-

 centem,

centem, hunc dies videt fugiens jacentem! Graviora moneri possent, sed inserviendum est tempori!

BEYLAGEN,

Lit. A.

HIerumben und in absonderlicher Anmerckung/daßz die Sach/ nachdeme sie so offt/und vilfaltig in Ewer Kay: Mayt: Reichs- Hoff- und Gehaimen Rath vorkommen/ und deliberirt und sowol von Ewer Kay: Mayt: Lobwürdigsten Herrn Vattern/ und Großzvattern Christseeligsten Andenckens/ als Ewer Kay: Mayt: selbsten/ an sich selber für wol fundirt/ und billich befunden worden.

Lit. B.

COPIA

Diplomatis Maximiliani.

MAXIMILIANUS Divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lothringiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lymburgiæ, Lutzenburgiæ & Geldriæ, Comes Flandriæ, in Habspurch, Tyrolis, Ferretis, in Kyburch, Archesiæ & Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Namurchi & Zutphaniæ, Marchio Sacri Romani Imperii, & Burgoniæ, Landtgravius Alsatiæ, Do-

Dominus Frisiæ, Marchio Sclavonicæ, Portus Naonis, Salinarum & Mechliniæ, &c. Universis & singulis Principibus Ecclesiasticis & sæcularibus Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, militaribus Capitaneis, Magistris civium, Judicibus, Potestatibus, Scabinis, Comitatibus, ac quibuscunque aliis nostris, ac Sacri Romani Imperii Officialibus & subditis qualicunque officio ac potestate, seu dignitate censeantur, Gratiam Regiam & omne bonum. Nuper supplicatum nobis fuit pro parte Nostri & Imperii Sacri fidelis dilecti Petri Caminga Capitanei in Leowardiæ, & Amelandis partium Frisiæ. Quatenus cum de Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Quinto per Judices & Consiliarios districtuum ac oppidorum Oostergo & Westergo regionis Frisiæ prædictæ in Hertwert congregatos lata fuerit sententia quædam, quæ & dudum in rem judicatam transiverit, ac etiam suum hactenus habuerit plenissimum vigorem, eam nostra benignitate ratificare, approbare & confirmare gratiosè dignaremur; cujus quidem tenor transpositus ex Frisonica lingua in latinam sequitur & debet esse in effectu talis: Omnibus præsentem literam visuris, aut legi audituris, nos Judices & Consiliarii terrarum Oppidorum & districtuum de Oostergo & Westergo pro nunc congregati in Hartwert notum facimus, & manifestum per præsentes, quatenus nos pronunciavimus, & sententiavimus, & conclusimus in perpetuum firmiter & inviolabiliter observandum, quod illi de Amelandia debent esse liberi & absoluti, & exonerati ab omni Jurisdictione, & ab omni pertinentia districtus Ferwedera, & etiam quorumlibet aliorum districtuum terræ nostræ de Oostergo & Westergo, ita quod per seipsos debent judicare, & suam jurisdictionem per seipsos exercere, sicuti & quemadmodum illi de Schellingâ faciunt, dolo malo secluso. In fidem præmissorum habendam coram omnibus præsentia visuris & audituris, nos Oppida & districtus de Oostergo & Westergo, quorum nomina apud sigilla seu secreta nostra sunt scripta præsentem literam sigillavimus in Anno Domini nostri Jesu Christi Millesimo Quadringentesimo Quinto in die decollationis Beati Joannis. Nos precibus ejusmodi inclinati, pensato prius diligentius ejusdem senten-

tiæ tenore, consideratisque eis omnibus, quæ circa illius vigorem consideranda fuerant, sententiam ipsam & omnia in ea contenta, prout superius de verbo ad verbum expressa sunt, ratificare auctorisare & confirmare statuimus, ratificamus, auctorisamus, & confirmamus per præsentes. Volentes, quod Insula de Amelandis ab omni Jurisdictione districtus in Ferwert, aliorumque districtuum libera exonerata penitùs debeat esse & exempta, omnimodaque Jurisdictione tam meri quàm mixti Imperii cum Jure Publici littoris ac Jure venandi, & aliis emolumentis in ipsa obvenire consuetis; nec non universis & singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibusque toti terræ Frisiæ, cui ipsa Insula adhæret, à Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus prædecessoribus nostris, & à nobis concessis, & elargitis salvo Annuo tributo, quod ad instar aliorum Frisonum de Oostergo & Westergo persolvetur, liberè uti frui & potiri valeat, & possit, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque; decernimus quoque, & nostra Regia statuimus auctoritate ea omnia & singula præmissa in omnibus suis clausulis & articulis obtinere perpetui roboris firmitate, quodque supradictus Petrus Caminga & sui Successores Jurisdictionem ac alia prætacta Jura, sicuti & quemadmodum Pater ejus Hajo Caminga dum vixit, & post ejus mortem ipse hactenus consueverunt, de cœtero liberè exercere valeat, atque eisdem quiete uti & gaudere debeat impedimentis quibuscunque semotis. Nostris tamen & Imperii Sacri Juribus & libertatibus semper salvis, quibus minimè præjudicari volumus. Quapropter vobis supradictis omnibus districtè mandamus, ut sicuti nostrâ auctoritate sententia ipsa confirmata & approbata est, & ipsi integrè observetis, & ab omnibus faciatis inviolabiliter observari. Si quis enim contra id attentare præsumpserit, indignationem nostram, & Imperii Sacri se noverit incurrisse, & Nos nihilominus, ut dicta sententia robur suum obtineat, providebimus: Earum testimonio literarum Regalis sigilli nostri appensione munitarum. Datum in Oppido nostro Antuerpiensi quintâ die mensis Novembris Anno Domini Millesimo Quadringentesimo nonagesimo quarto Regnorum nostrorum Romani nono, Hungariæ verò quinto Anno, &c. Ita scriptum erat super plica ad mandatum Domini Regis

Regis proprium. Bartoldus Archiepiscopus Moguntinensis Archicancellarius & erat appensum sigillum in rubra cera inclusum, in cera cordelis sericis colorum flavei rubri & albi.

Collationatum cum literis Originalibus invenitur concordare de verbo ad verbum, & in fidem veritatis ego Ludovicus de Voghde, Notarius approbatus signum commune adscripsi.

Subscriptum erat L. Voghde.

Gecollationiret gegen die gleichlautende Authentique Copie / gezeichnet als oben gelesen / damit accordirende befunden / in Kentnusz von mir den 20. Martij 1634. Auff Ordinantz desz Hoffs von Frieszlands.

J. PETERSEN,

1634. V. F. P.

Lit. C.

COPIA

Commissionis Cæsareæ.

WIr Wolffhart von Gerst / Thumherr zu Maintz / Conrad von Anpringen / Ritter / der Königlichen Maij: Räthe und Commissarii, thuen kundt allen Leuthen / die disen Brieff werden bekommen zulesen oder zuhören.

Demnach wir gesehen haben desz Allerdurchleuchtigsten und Groszmächtigsten Rom: Königs unsers Allergnädigsten Herrns Vestung und Confirmirung eines Urtheils oder Sententz die vor Zeiten von den Landen Oostergau und Westergau in Weszfrieszland

frießland zu Hertwert gegeben ist / nach Außweisung Ihrer Hochged: Königl: May: Brieff von denen vorbesagten Landen befestiget und confirmirt / daß nemblich Peter Caminga und Ameland zu keinen andern Rechten gezwungen sollen werden / sondern ihr aigen Recht halten / und gescheiden zu seyn von Ferwerder-Theil / und allen andern Theilen Oostergau und Westergau ohnverbrechlich; und dieweil solches Urtheil ewig ohn alle Appellirung bekräfftigt ist / daß vorgesagtes Ameland mit mehr angezogner Königl: May: Bekräfftig: und Befestigung frey nach alter gueter Gewonheit und Herkommen jhr aigene Jurisdiction an Ferwerder-Theil zugebrauchen und Rechten haben sollen. Als haben wir auff Begehren Peter von wegen Ameland für uns in der Statt Lewarden citiren lassen / den Grietman und Richtern in Herwerter-Theil gesehen und gehört / von beeden Parthenen / nemblich von Peter und von Ameland einer / und Grietman und Richtern Herwerdern Theil andernseiths / und mit gueten Rath darüber tractirt und befunden / daß die jenige Sententz / so von hochstgedacht Röm: Kön: May: zu Herwert geconfirmirt ist / recht und redlich geschehen seye.

Befehlen deßwegen in Nahmen mehrhöchsterwehnter Ihrer Königl: May: und gebieten allen Prelaten / Stätten / Theilen / Olderman / Haubtleuthen der Länder Ooster- und Westergau was Stands oder Condition die seynd / ernstlich / und bey Straff 1000. franscher Schilden / halb der Kays: und Königl: Cammer / und halb denen Parteyen so unrecht gethan wird / daß sie über solche unsers Allergnädigsten Herrns Confirmation und Königl: Mayest: Aigenthumb / solch Ameland nicht urtheilen / richten / oder darüber judiciren sollen / sondern wer an solch Ameland / Peter, oder wer das zuthun hätte / Rechtens oder Anspruch nicht verlassen wolte / der oder die jenigen sollen gedachten Peter, das Ameland oder dessen Einwohner für die Königl: May: oder Ihrer Königl: May: Cammergericht suechen / und ansprechen / dann niemand anders über Ihro Königl: May: Eigenthum zurichten hat; Wer aber solches übertretten thäte und uns dasselbe angedeutet würde / so muesten wir dessen Un-

Ungehorsam der Königl: Maij: vorhalten / und auffs schärffeste darüber straffen. Geben zu Urkund unter mein Wolffarts Insigl / und mein Conrads Secret. Im Jahr unsers Herzn Vierhundert Fünff und Neuntzig / auff S. Gertrudis Tag Virginis.

Das Principal war befestiget mit einen auffgedruckten Sigl und einen Signet von rothen Wax / war auff der Seiten gezeichnet: ad Mandatum Domini Principis proprium. und weiter undergeschriben de Wysenburg. Collationiret mit dem Principal und ist befunden concordirent. Letzten Junii Anno 1554. bey uns Matthias Bommetz, Secretarius der Statt Loeverden und Wouter Coquillan, offenbahren und bey dem Hoffe von Frieszland admittirten Notario / gezeichnet M. Bommetz, und W. Coquillan mit einigen Strichen. Ferner Stand zum andern mahl mit dem Principal collationiret / ist disem darmit accordirent befunden / in presentz und mit Consens D. Isbrandt Ekes, der Landschafft Advocat. In Kändtnusz von mir den 27. Decemb. Anno 1610. Per ordinantz desz Hoffes gezeychnet S. V. Pruyssen, mit einigen Strichen. Gecollationirt gegen die authentique Copie / gezeichnet als oben / ist disem darmit accordirent befunden / in Kändtnusz von mir den 20. Martii 1634. per ordinantz desz Hoffes von Frieszland.

J. PETERSEN,

1634. V. F. P.

Lit. D.

C O P I A.

Confirmationis Alberti Ducis Saxoniæ tanquam Præfecti Frisiæ.

ALBERTUS, DEI gratia Dux Saxoniæ, Landgravius Duringiæ, Marchio Mysoniæ &c. perpetuus Sacri Romani Imperii Gubernator Frisiæ. Palam facimus omnibus & singulis Petrum Ca-

Caminga Jure Jurando adactum nobis hæredibusque nostris, uti perpetuis Romani Imperii Frisiorum Præfectis, qui pro virili parte promisit omnia illa strenuè, & diligenter facturum, quæ Romano Imperio accomodata, quæ conducibilia, quæ honori & emolumento, & Nostræ Nostrorumque hæredum dignitati convenientia esse cognoscet, supplexque Nos rogavit, quod dignaremur exhibere, sibi & hæredibus suis nostram gratiam & benevolentiam. siquidem super Insula Amelandis olim litteris à Divo Maximiliano Romanorum Rege semper Augusto impetratis, & ut nos hisce litteris utpotè potestas Frisiæ authoritatem nostram impertiremus. Maximilianus Divinâ favente clementiâ Romanorum Rex semper Augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Burgundiæ, (*hic inseratur tenor totius Constitutionis Imperatoriæ sub Lit. B. exhibitæ, desinentis in hæc verba: Datum in Oppido nostro Antwerpiensi quintâ die Mensis Novembris Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto, Regnorum nostrorum Romani nono, Hungarici verò quinto.*) Nos igitur hæc singula particulatim in Litteris Regiis supra numerata confirmamus & tanquam perpetuus Præfectus Frisiæ comprobamus atque æternum habere robur præcipimus, Juribus Sac. Romani Imp. & nostris illæsis. Sub sigillo nostro quo utimur apud Frisios. Anno Domini millesimo quingentesimo. **Das Principal war bevestiget mit einem auffgedruckten Siegel / und einem Signet von rothen Wachsz.** Ad Mandatum Domini Principis proprium. **Und weiter untergeschriben** de Wysenburge. **Collationiert mit dem Principal / und ist befunden concordirend / letzten** Junii, Anno 1554. **bey uns** Matthias Bommetz, **Secretarius der Statt Loeverden / und** Wouter Coquillan, **offenbahren und bey dem Hoff van Frieszland admittirten Notario / gezeichnet** M Bommetz **und** W. Coquillan, **mit einigen Strichen. Ferner stund zum andern mahl mit dem Principal collationiert / in disem darmit accordierend befunden / in presentz und mit Consens** D. Isbrandt Ekes, **der Landschafft Advocat. In Kandtnusz von mir den** 27. December Anno 1610. **per Ordinantz desz Hoffes gezeichnet** S. V. Pruyssen, **und einigen Strichen. Gecollationieret gegen die Authentique Copie / gezeichnet**

net als oben / ist disem darmit accordicrend befunden / in Kandtnusz von mir den 20. Martii 1634. per Ordinantz des Hoffes von Frieszlandt.

J. PETERSEN,

1634. V. F. P.

Lit. E.

C O P I A.

Mandati contra Petrum de Caminga detentorem feudi Amelandiæ 13. Novembris 1637.

FERDINANDUS III. Divinâ favente clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirttembergæ, Comes Tyrolis, &c. Nostro & Sacri Imperii fideli dilecto Petro à Caminga, vel quicunque Insulam Amelandiam nunc tenet, salutem, gratiam, benevolentiamque nostram Cæsaream, ac omne bonum. Humiliter nobis exposuit noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Ernestus Zuhm, quod tametsi Amelandia Insula antiquitus atque etiamnum à conterminis ac vicinis Dominiis & Ditionibus pro prædio sive Dominio Libero Imperiali, atque idcirco pro loco neutrali agnita, habitaque fuerit, agnoscaturque & habeatur, quæ tanquam beneficium Sacri Romani Imperii quoad usumfructum ad familiam Caminganam pervenerit, sic nempè, ut Possessores ejusdem, Cameram sive judicium nostrum Imperiale Spirense pro Tribunali suo ordinario recognoverint, tùm prætereа Divis Prædecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus & Regibus juramentum fidelitatis,

nec

nec non & certum tributum de ea præstare, quin & confirmationes ab iisdem petere debuerint; Nihilominùs tamen Prædecessores tui, ejus Insulæ Detentatores, jam à centum retrò annis, tuque ipse non modo Antecessoribus Nostris pro tempore Regnantibus juramentum fidelitatis nullum præstiteritis, nec recognitionem ullam penderitis, aut confirmationem aliquam petieritis, sed posterioribus hisce temporibus de dicta Insula tanquam de Dominio vestro, proprio & liberò disponere præsumpseritis, tuque adeò Petre à Caminga, cùm tibi sufficienter notificatum esset, ac constitisset ex causis prænarratis, Dominum Patrem & proximum Prædecessorem nostrum Rom. Imperatorem aliter jam de ea Insula disposuisse, eamque sibi dicto Ernesto Zuhm, suisque tum temporis consortibus, in feudum concessisse, eo non attento contumaciter emanere non dubitaveris; submisse rogando, posteaquam ii, qui alias una secum, & cum uxore sua Catharina de Caminga tua Petri de Caminga sorore, de ea Insula de novo à nobis investiti fuerant, ab ea Investitura ultrò recesserint, ipse autem, ac modo dicta uxor sua Catharina, Nos tanquam Romanorum Imperatorem & Regem, in legitimum & directum Dominum suum porrò agnoscere cupiant, ut se, eandemque uxorem suam de dicto feudo Amelandiæ denuò clementer investire, ac simul in possessionem ejusdem introducere vellemus. Quando igitur in ejusmodi petitum ipsius, ex causis prætactis benignè annuimus, ipsumque unà cum memorata uxore sua de sæpedicta Insula investivimus. Idcirco authoritate nostrâ Imperiali clementer ac seriò tibi sæpedicto Petro de Caminga, vel quicunque nunc sæpememoratam Insulam tenet, vel tenent, mandamus ac præcipimus, ut quàm primum ab insinuatione hujus mandati nostri citrà moram vel renitentiam ullam, memorato Ernesto Zuhm, ejusque uxori, sorori tuæ Catharinæ de Caminga dictam Insulam unà cum omnibus pertinentiis superiore & inferiore jurisdictione, subditis, venationibus, piscationibus, omnibusque aliis juribus plenè cedas, ac tradas, cedatisvè ac tradatis, eosque in quietam & pacificam ejus possessionem pervenire sinas, vel sinatis, itaque omninò & non aliter faciatis, quatenus indignationem Nostram gravissimam, & pœnas jure in hoc casu statutas evitare volueris, sive volueritis. Quâ re seriam Nostram

ſtram voluntatem adimplebitis. Prætereà eâdem authoritate noſtrâ Imperiali ſub pœna quinquaginta marcharum auri puri vocamus & citamus, te Petrum à Caminga, ſive quemcunque, vel quoſcunque, qui eam Inſulam tenet vel tenent, ut intra terminum trium menſium, quorum unum pro primo, alterum pro ſecundo, ac tertium pro ultimo & peremptorio termino vobis præfigimus, ac ſi dies illa juridica non eſſet, ea, quæ proxima fuerit, coram Nobis, vel Conſilio Noſtro Imperiali Aulico per vos, vel per Procuratorem veſtrum legitimum compareatis, ad docendum quod huic mandato noſtro plenè, & quo ad omnia integrè parueritis, ac ſi, quod non confidimus huic mandato noſtro paritum non eſſet, ad videndum & audiendum vos in pœnas mandato noſtro comminatas declarari, aut certè cauſas legitimas, & in jure fundatas allegandum, cur ita declarari non debeat, tum ad ulterius etiam comparendum in judicio, omneſque & ſingulos terminos obſervandum uſque ad concluſionem cauſæ, & tum deſuper pronuntiari audiendum. Nam ſive ſic comparueritis, ſive non comparueritis, nihilominus ad alterius partis inſtantiam fiet, quod juris eſt. Harum teſtimonio litterarum, manu noſtrâ ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri Cæſarei appreſſione munitarum. Quæ dabantur in Civitate noſtra Viennæ die decimâ tertiâ menſis Novembris Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Trigeſimo Septimo, Regnorum noſtrorum Romani primo, Hungarici duodecimo, Bohemici verò decimo.

Lit. F.

C O P I A.

Renovationis Mandati ad Detentorem Witzonem de Caminga 19. Martii 1641.

FERDINANDUS III. noſtro & Sacri Imperii fideli dilecto Witzoni de Caminga, vel quibuſcunque Inſulæ Amelandiæ deten-

tentoribus, gratiam nostram Cæsaream & omne bonum. Quum submississime conquerendo ad nos retulerit, noster & Sacri Imperii fidelis dilectus Ernestus Zuhm, quod licet non solùm ab Augustissimo quondam Imperatore Divo Ferdinando secundo Domino Genitore ac Prædecessore nostro Colendissimo, Sacratissimæ Memoriæ, sed etiam à Nobismetipsis super Insula Amelandia tanquam Sacri Romani Imperii beneficio ac feudo ipse simul cum conjuge sua Catharina nata Caminga legitime fuerit investitus, ac secundum jam solenne debitumque clientelaris fidei devotionis & obsequii nobis ac Sacro Imperio dixerit Sacramentum, adeoque Nos quo dictæ Insulæ possessionem sibi posset vendicare, bina mandata nostra Augustalia sub die tertiâ decimâ Novembris Anno præterito supra mille sexcentos septimo & trigesimo, unum nimirum executoriale contra detentores ejusdem ad eam ipsi cedendam ac tradendam: alterum verò ad subditos monitorium ad debitum ipsi Jusjurandum & obsequium præstandum benigne decreverimus, atque ista etiam per Tabellionem publicum propalàm fuerint rectè atque ordine intimata: nihilominus tamen, inprimis quidem frater quondam tuus Petrus de Caminga non solùm mandato nostro Cæsareo non paruerit, sed vi armata eidem resistere non sit veritus: tum postmodum tu quoque Witzo de Caminga, quum post præfixum in dicto mandato nostro terminum jam bis elapsum, idem Ernestus Zuhm unà cum Notario publico denuò eam in Insulam ad apprehendendam possessionem, recipiendumque à subditis debitum fidelitatis & obsequii Jusjurandum advenisset, eadem violenta repetieris attentata, Cæsaream nostram Investituram ac desuper impertitum mandatum contumaciter eludendo, incolas ac subditos ad dicendum Sacramentum pronos è tectis, focis, agris, atque ipsâ insula ejiciendo, bona fortunasque ipsorum diripiendo atque expilando, adeoque te tanquam supremum directum & absolutum istius Insulæ Dominum gesseris ipsumque supplicantem quasi contrà te crimen admisisset Læsæ Majestatis proscribere præsumpseris, eaque propter Nos ipse humillimè implorarit, uti aliud adversus te, & quoscunque alios dictæ Insulæ detentores mandatum nostrum Cæsareum benignè dignaremur decernere, Nos sanè, quando præfractæ id genus pervicaciæ attentata

tata

tata in non leve supremæ Nostræ authoritatis vilipendium cedunt, nullatenus dissimulandum, sed justis ipsius precibus clementer censuimus annuendum. Atque idcirco ex Imperatorio nostro munere atque authoritate tibi Wizoni de Caminga, vel quibuscunque aliis sæpedictæ Insulæ detentoribus ac turbatoribus, de integro clementer ac districtius præcipimus & mandamus, ut quam primùm ab insinuatione hujus Augustalis mandati Nostri tibi vobisve facta, citra ullam moram aut renitentiam sæpememorato Ernesto Zuhm, eandem unà cum omnibus pertinentiis, superiori atque inferiori Jurisdictione, incolis subditis, venationibus, piscationibus, omnibusque aliis juribus plenè atque integrè cedas ac tradas, cedatis ac tradatis, eumque ad quietam ac pacificam possessionem admittas ac pervenire sinas, admittatis sinatisve, atque omnino & non secus facias vel faciatis, quatenus nostram & Sacri Imperii gravissimam indignationem, & pœnas legibus hoc in casu sancitas aliasque comminatas evitare volueris sive volueritis. Quâ re strictam ac seriam nostram voluntatem adimplebis atque adimplebitis. Præterea eadem Nostra authoritate Imperiali sub pœna centum marcarum auri puriputi, vocamus & citamus te Witzonem de Caminga, seu quoscunque alios ejusdem Insulæ detentores, turbatoresve, ut intrà terminum trium mensium, quorum unum pro primo, alterum pro secundo, tertium pro ultimo ac peremptorio termino tibi ac vobis præfigimus, ac si dies illa Juridica non esset, proximè consequenti, coram Nobis vel Consilio Nostro Imperiali Aulico per te vel vos, vel certe per Procuratorem tuum, vestrumvè legitimum compareas & compareatis, ad docendum quod huic mandato Nostro plene & quoad omnia integrè parueris, parueritis, ac si, quod non confidimus, huic mandato Nostro, uti fas jusque est, paritum non foret, ad videndum & audiendum te aut vos in pœnas eidem insertas declarari, aut certe causas legitimas & in Jure fundatas allegandum, cur ita declarari non debeat. Nam sivè sic comparueris, comparueritis, sivè non, nihilo secius ad alterius partis instantiam fiet quod juris est. Harum testimonio Litterarum quas manu nostra subscriptas & sigilli Nostri Cæsarei appensione munitas dedimus in Civitate nostra Imperiali Ratisbonæ, undevicesimâ

die Menſis Martii Anno Domini ſupra mille ſexcentos primo & quadrageſimo Regnorum noſtrorum, &c.

Lit. G.

Extractus Vindiciarum Libertatis Amelandiæ, Anno 1651. 20. Novembris.

AD demonſtrandam immemorialem poſſeſſionem unà cum juſto titulo, quam familia Camingana omni tempore habuit, & etiamnum habet in Liberum Dominium Amelandiæ, & quòd memoratum Dominium Sacræ Cæſareæ Majeſtatis aut alterius alicujus Principis Imperio tanquam feudum nunquam fuerit ſubjectum; ſciendum eſt Caminganos ſemper & ſucceſſivè annis ab hinc retrò octingentis, & in tantum ultra, ut ejus rei memoria non extet in contrarium, ſupradictum Dominium Amelandiæ, uti Liberum, ac nullius ſuperioris Imperio obnoxium quiete poſſediſſe. Quodque Inſula Amelandia ab jurisdictione diſtrictus in Fervert, aliorumque diſtrictuum libera & exonerata penitùs debeat eſſe, & exempta, omnimodaque jurisdictione tam meri, quàm mixti Imperii cum jure publici littoris ac jure venandi, nec non aliis emolumentis in ea obvenire conſuetis liberè uti, frui & potiri valeat, ſicut ſonant ipſiſſima verba expreſſa in literis Cæſaris ipſis Nonis Novembris datis anno 1494. Sic etiam Albertus Dux Saxoniæ annos ſex poſt præfatas literas quatenus erat Gubernator Friſiæ anno milleſimo quingenteſimo, eandem ſententiam approbavit, undè videre licet literas haſce confirmatorias, tam ab Imperatore, quàm à Duce Saxoniæ non aliâ qualitate quàm qua Domini & Præfecti erant Friſiæ, fuiſſe datas, ut & Majores Magiſtratus familiæ Caminganæ jus in Liberum Amelandiæ Dominium ſemper & omni tempore iviſſe aſſertum, &c.

Lit.

Lit. G.

C O P I A.

Litterarum Camingæ ad Imperatorem, 20. Novembris 1651.

AD Invictissimum Cæsarem Ferdinandum Tertium DEI Gratia Romanorum Imperatorem semper Augustum, &c. Offert & exhibet Sacræ Cæsareæ vestræ Majestati summâ cum humilitate & reverentia Wazo à Caminga liber & hæreditarius Amelandiæ Dominus synopsim quandam ceu compendium juris sui quod ipse hactenus ejusque Antecessores & Proavi ultra hominum memoriam in memoratum Dominium non tantum subditorum suorum consensione & applausu, verum etiam suffragantibus finitimis & adjacentibus regionibus ac Provinciis semper & successivè absque omni turba habuerunt: visa enim res & occasio id exposcere ut quidquid hujusce argumenti esset, in una manu & sub uno oculorum ictu promptum semel haberet Augustissima vestra Majestas. Quoniam autem certò cognovimus quod Ernestus Zuhm non solum nos legitima nostra possessione privare conetur, sed etiam quod vanissimis figmentis Vestræ Majestati persuadere voluerit Dominium Amelandiæ Caminganis Imperiali beneficio contigisse eosque pro suis Feudatariis aut Beneficiariis juramento sibi obstringendis habuisse, idcirco consultum & necessarium duximus, adversus hæc talia veritatis opprobria, sicuti vice aliquot invictæ fidei veterum testimonia apponere, ex quibus Sacra Cæsarea Vestra Majestas cognoscat, cùm, quam impudenter nominatus Zuhmius Amelandiam esse feudum evincere studeat, tùm etiàm vicissim quam gravibus & solidis rationibus contrarium demonstretur. Quia verò hactenus libertatem Insulæ Amelandiæ & omnia ejus jura conservare intendimus, propterea Sacram Cæsaream Vestram Majestatem submisse & humiliter rogamus, ut hæcce

hæcce juris & possessionis nostræ certissima documenta serenâ mente recipiat, quæ Augustissima Vestra Majestas noverit à sinceritate cordis nostri profecta, nec alia intentione quam juris & hæreditatis nostræ defendendæ causa, esse proposita. Quare etiam Sacræ Cæsareæ Vestræ Majestati, cui DEUS gladium in honorem boni operis, & terrorem mali concredidit tradiditque, nos reverenter suppliciterque commendamus, sperantes ne libertatem & privilegia Insulæ nostræ Amelandiæ, quæ Annis ab hinc retro octingentis & ultra in hæc usque tempora inviolata exstiterunt, Majestatis Vestræ sinceritas tam inaudita novitate ac præsumptuosâ elatione imminui permittat, sed ex adverso provideat, ut omnia acta & impetrata, quæ ab Imperatoria Vestra Majestate nominato Zuhmio ex malè narratis elargita sunt, annihilentur & explodantur, eique cum suis consortibus injungatur, ne imposterum nobis, vel subditis nostris ullum offendiculum ponat, sed nos Dominium nostrum Amelandicum tranquillè possidere patiatur. Habes Invictissime Imperator quæ ad stabiliendam causam nostram scripsimus, quod superest DEUM Opt. Max. precamur ut Majestatem Vestram & Imperium perenni semper flore, dignitate ac Gloria clarum æternumque tueatur ac conservet.

Vestræ Majestati Imperioque deditissimus
& officiosissimus Servus.

Datum Leovardiæ in æde nostra Amelandica.
die 20. *Mensis Novembris Anno* 1651.

W. Caminga Lib. & Hæredit.
Amelandiæ Dominus.

Lit.

Lit. I.

C O P I A

Mandati paritorii ad Witzonem Caminga de dato 15. Februarii Anno 1653.

FERDINANDUS III.&c. Tibi Witzoni Caminga Insulæ Amelandiæ detentori notificamus tenore præsentium: Postquam spreto & posthabito mandato nostro Imperiali die 19. Martii Anni millesimi sexcentesimi quadragesimi primi emanato, & tibi per tabellionem publicum ritè insinuatô, nostro & Sacri Imperii fideli dilecto Ernesto Zuhmio tam ab Augustissimo quondam Imperatore Divo Ferdinando Secundo, Domino Genitore & Prædecessore nostro colendissimo, gloriosæ memoriæ, quàm à nobismet ipsis de Imperiali feudo, & Insula Amelandiæ legitimè investito, eandem Insulam non modo non cesseris, sed ante biennium quoque Commissario nostro Joanni Beer, eodem jussu & nomine nostro præfatum Ernestum Zuhm in possessionem immissuro, te nefario ausu cum certa militum manu opponere; quin imò litteris vigesimâ Novembris Anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi ad nos datis dictam Insulam nostro & Sacri Romani Imperii, vel alterius cujuscunque Imperio tanquam feudum subjectum pernegare, tùm etiam idemmet Dominium planè liberum ac nullius superioris Imperio obnoxium asserere non erubueris; quod nos ulterius ponderatis ejusmodi insolentiis, & continuata contumacia tua: consideratis etiam & maturo judicio in Consilio nostro Imperiali Aulico discussis, dictis oppositionibus tuis iisdemque tanquam frivolis rejectis, ad partis læsæ instantiam & fisci nostri Imperialis humillimam requisitionem benignè decernendum, ac tibi seriò injungendum censuerimus, prout hisce decernimus, tibique sub pœnis in hoc vel his casibus, legibus ac constitutionibus Imperii statutis, nostrisque prioribus mandatis

datis insertis, injungimus, ut quamprimum & citra ullam moram supranominato Ernesto Zuhmio Insulam Amelandiæ unâ cum subditis & Incolis (quos peculiaribus litteris ad obedientiam sæpedicto Zuhmio præstandam remittimus) nec non omnibus pertinentiis, ac juribus, item fructibus à tempore primi mandati nostri perceptis, plenè atque integrè cedas, tradas & restituas, teque hujusmodi mandato nostro debite paruisse, intra sex septimanas coram (tit.) Georgio Plettembergio, tamquam nostro ad id deputato Commissario doceas, quatenus Nostram & Sacri Imperii indignationem gravissimam ac dictas pœnas evitare volueris. Nam nisi id feceris te nunc prout extunc, & tunc prout ex nunc in dictas pœnas declaramus & declaratum, nec non omnes, ulteriores processus oportunos decretos esse volumus: Atque hæc est seria & expressa mens, & voluntas nostra, de qua te hisce clementer monemus, quæ dabantur in Civitate Nostra Imperiali Ratisbonæ die 15. Februarii Anno 1653.

Renovatum & transcriptum *de dato* 14. *Augusti* 1656.

Lit. K.

Extractus Camingæ Advertissimenti ad Dominum de Plettenberg.

CUi accedit sententia Hertuerti Frisiorum lata ipso die Decollationis Beati Joannis Anno 1405. per quam Amelandiæ attributa est propria jurisdictio, separata ab omnibus aliis.

Hanc sententiam Petrus à Caminga illo tempore Dominus Amelandiæ obtulit Imperatori Maximiliano gloriosæ memoriæ, Domino Frisiæ, jure nuptiarum cum Illustrissima Maria Ducissa Burgundiæ, Comitissa Hollandiæ & Domina Frisiæ, flagitans & rogans quatenus Sacræ Cæsareæ Majestatis beneplacitum sit, supra

pra scriptam sententiam quæ jam dudum in rem judicatam transierat, sua authoritate confirmare, quod etiam impetravit, Cæsare declarante, Amelandiæ, vi hujus sententiæ esse attributam omnem jurisdictionem tàm meri quam mixti Imperii, & hoc in perpetuum duraturum: Quodque supradictus Petrus à Caminga & sui successores jurisdictionem, & alia prætacta jura, sicuti & quemadmodum Pater ejus Hajo Caminga dum vixit, & post ejus mortem ipse hactenus consueverunt, de cætero libere exercere valeant, atque eisdem quiete uti & gaudere debeant, impedimentis quibuscunque semotis, ut latius patet ex Diplomate Imperiali. Quinto Novemb. Anni 1494. cujus copia authentica hisce est annexa, & littera B. notata, cui etiàm prædicta sententia de verbo ad verbum est inserta. Subjectum de quo in hisce litteris disponitur est sententia in Frisia lata, quæ confirmatur, adeò ut hæc quæstio Frisios tantum & Insulanos concerneret, & minime spectaret ad sacrum Imperium, cujus etiam nulla fit mentio neque in sententia neque præmemoratis litteris Cæsareis, sed solummodo in eis attribuitur Petro à Caminga & suis Successoribus in perpetuum omnis jurisdictio super Amelandiam tàm meri quam mixti Imperii.

Item Multo minus mihi potest imputari, quod mandato Cæsareo 19. Martii Anno 1641. promulgato non paruerim, quoniam *non probabitur meum nomen eidem fuisse insertum*, sed Prædecessoris mei nomen Wyzonis à Caminga in eo est expressum, nam *ego tum temporis ex Amelandia nihil emolumenti consecutus eram.*

Neque etiam istius insimulari possum, *quòd Commissarium Joannem Beer malo excepissem*, nam ne de facie quidem hominem novi, sed mihi ante annos plus minus duos fuisse relatum ab Insulanis meis, esse in Amelandia quosdàm extraneos, qui ne semel quales essent aut quorsum & in quem finem venissent mihi notificare quæsiverunt, sed statim subditos meos convocare intentaverunt, quod ii cum recusârint sine meo consensu facere, de hoc negocio me fecerunt certiorem: Quo cognitô injunxi meis Insulanis ne citrà meum consensum convenirent, & extraneis annunciarent, hæc & similia attentata tendere in præjudicium mei juris, & perturbationem quietis publicæ: quo facto discesserunt, & *quod a militibus actum est, hoc ipsismet aut eis quibus inserviunt relinquitur defendendum.*

Item CAROLUS Quintus Imperator Anno 1500. die 10. Aprilis coram Senatu Frisico citaverat Wyzonem à Caminga Amelandiæ Dominum, ad præstandum Juramentum & homagium cum cæteris Frisiis Philippo Hispaniarum Principi, Imperatoris Filio, tanquam Domino Frisiæ, denotatur littera E.

Quod sane non fecisset Imperator, si Wyzo à Caminga nomine Amelandiæ Juramento jam ei fuisset obstrictus, & tanquam Vasallus Imperii subjectus.

Præterea Philippus postea Rex Hispaniarum, & Dominus Frisiæ factus, & per confiscationem jus quæsitum habens istius actionis, quam Comites Egmondani super Amelandiam prætendebant, Petro à Caminga coram Curia Frisiæ per Procuratorem Fisci diem dixit, ad redintegrandam litem à Comitibus Egmondanis super Dominium Amelandiæ attentatam Anno 1527. contra Wyzonem & Hajonem à Caminga respective, quæ lis renovata est die XVI. Januarii Anno 1571. coram eâdem Curia.

Ita ut hic nullum Sac. Cæs. Majest. aut Imperii vertatur interesse, & susque deque sit utrum Amelandia habeat separatam, an vero communem cum Frisia Jurisdictionem, quod solùm in quæstione est.

Lit. L.

C O P I A.

Mandati paritorii contra Watzonem Caminga 20. Julii Anno 1645.

FERDINANDUS TERTIUS Wazzoni Camingæ, Insulæ Amelandiæ, & Sacri Romani Imperii Dominii, detentori notificamus, quod cum Nobis (tit.) Georgius Plettenbergius deductionem quandam juris, sic à te nuncupatam in causa dictam Nostram Insulam, & Sacri Imperii Dominium Amelandiam concernen-

nente, contra mandatum nostrum paritorium die 15. Febr. Anni proximè præteriti decretum, ac 26. Augusti tibi legitimè insinuatum transmiserit; Eandem in Consilio Nostro Imperiali Aulico diligenter ac maturè considerari & examinari fecerimus. Quando igitur in dicta sic nuncupata deductione tua nihil novi, quod non prius etiam in cognitione rejectum fuerit, aut quicquam relevet, reperimus: Atque idcirco non attentis, sed rejectis dictis oppositionibus tuis, prioribus Nostris mandatis inhærendum, adeoque (tit.) Episcopo Monasteriensi tanquam Directori Circuli Westphalici committendum duximus, ut (tit.) Ernestum Zuhmium tanquam investitum jam pridem de dicto Dominio nostro citrà aliam dilationem in realem ejusdem possessionem immittat, eidemque de cæteris satisfieri curet: clementer tibi hâc de re significare voluimus. Ex officio Imperatorii Nostri muneris, adeoque authoritate Imperiali denuò sub pœnis prioribus mandatis nostris insertis seriò ac districtè mandantes, non modo ne dicto Commissario Nostro Imperiali ejusve ad hoc subdelegato vel subdelegatis sententiam hanc Nostram executuris, sive per te, sive per alios te opponas, vel impedimentum ullum offeras, sed potiùs, ut quàm primùm & citra ullam moram sæpenominato Ernesto Zuhmio Insulam Amelandiæ, una cum subditis & incolis, nec non cum omnibus pertinentiis ac juribus, item fructibus à tempore primi mandati Nostri perceptis plenè atque integrè cedas, tradas & restituas, teque huic mandato Nostro debitè paruisse intra terminum duarum septimanarum coram memorato Episcopo Monasteriensi, Nostro ad id deputato Commissario doceas, quatenus Nostram, & Sacri Imperii indignationem gravissimam, ac dictas pœnas evitare volueris. Nam nisi id feceris, te nunc prout ex tunc, & tunc prout ex nunc in dictas pœnas declaramus, & declaratum, nec non omnes ulteriores processus oportunos decretos esse volumus. Atque hæc est seria & expressa mens, & voluntas Nostra, de qua te hisce clementer monemus. Quæ dabantur Viennæ 20. Julii Anno 1654.

Lit. M.

COPIA LITERARUM,

Ducum Burgundiæ, Lothoringiæ, Brabantiæ & Bavariæ.

CARL, by der Gratie Godts Hartoge van Borgondien, van Lothringen, van Brabant, van Lymburg en van Lutſenburg, Grave van Vlaanderen en van Artois, van Bourgen, Valenſtin, van Henegawen, van Holland, van Zeeland en van Namen, Markgrave des Heyligen Ryks, Heer van Vriesland, Salins en van Mechelen: Doen kond allen Luiden, want Onſe lieve gemeinde Heere ende Vader Hertoge PHILIP Saligen ged. by zynen Brieven gegeven op den 21. dag van Maart in 't Jare 1428. na den loope s'Hoffs den goeden Luyden van Ameland geconfirmeert heeft, alzulke Brieven als zy hebben van Saligen Onzen lieven Oomen Hertog Willem en Hertog Jan van Beyeren, en ook van Onzen lieve Neve Hertoge Johan van Brabant, alzo dat zy met Onzen Onderzaten, binnen Onzen Landen van Holland, Zeeland ende Weſtvriesland gezeten, ledig en onbeſchadigt zitten zullen. Zo is 't dat wy overmits 't verzoek by den Voorſ. van Ameland hywan gedaan wezende, wy den zelven goeden Luyden gegunnet en geconſenteert hebben, als dat zy met Onzen Onderzaten voorſ. ledig en onbeſchadigt wezen, en verkeren zullen, na inhoud der Brieven, die zy van Onzen Voorvaderen voorſ. voor af hebben, mits tot onze behoef uittrekkende jaarlyks agt ſchilden tot 28 grooten Vlaams, 't ſtuk gerekent, gedurende tot Onze weder zeggen behoudentlyk dat tot zulker tyt, als wy voogen zullen Onze Onderſaten van Ooſtvriesland die ons nog rebel zyn, tot onderdanigen te brengen, dat die van Ameland voorſ. tot onſer vermaninge na allen haren vermogen ons einne dienen en alles doen zullen, dat goede getrouwen Onderſaten haren regten

ten Landheere schuldig zyn te doen; Ende ontbieden hierom en bevelen allen onzen Rentmeesteren, Kasteleynen, Baljuwen, Schouten, Rechteren, Dienaren en Ondersaten onser voors. Landen van Holland, Zeeland en Vriesland, dat zy den goeden Luyden van Ameland voors. dit onse tegenwoordige Consente in der manieren voors. doen en laten genieten en gebruyken rustelyk en vreedelyk, als dat behoort, zonder einne wenig gebrek te laten vallen, in eeniger wys op alzo lief wy hem zyn. Want wy 't aldus gedaan willen hebben, ende dees 't oircond hebben wy onsen Segel aan desen onsen Brieve doen hangen. Gegeven op den twintigsten dag in Junio in 't Jare ons Heeren duysent vierhondert negen en sestig. Onder stond by mynen Heere den Hertoge, ter relatie van zynen Steedehouder ende Raden van Holland, getekent A. de Cleve, met eenige Streeken. In margine stonde, dezen met den Principale gecollationeret, in Franchyn geschreven en bevestigt, als beneden ende boven advys, met een groot Segel van rooden Wasse, aan een Franchynen steert daar aan gehangen, is mede bevonden t'acorderen, met consent van Heern Isbrant Ekes, des Landschaps Advocaat. In kennisse van my dezen xxvij. December 1610. Per Ordonnanz van 't Hove, was getekent S. V. Pruyssen met eenige Streeken.

Naar gedaane Collatie is dezen met den Authentiquen Copie accorderende bevonden, in kennisse van my den 20. Mart. 1634. Per Ordonnanz van den Hove.

J. PETERSEN,

V. F. P.

Lit.

Lit. N.

Extractus Voti Fiscalis Statuum Generalium, de 20. *Novembris* 1634.

NAchdemmahl in obgedachten Sententien von Wesfrieszlandt/ und respective confirmationibus/ und Erklärung/ so darauff erfolget/ nicht allein zusehen ist/ dasz die von Ameland zu jeder Zeit geseparirt/ frey und exempt seyn gewesen/von der Jurisdiction/ Rechten/ und Underthänigkeit von Frieszland/ besondern dasz noch in den selben Sententien auszträcklich/ und expreszlichen gesagt wird/dasz die von Ameland haben ihr aigen Recht/und immediate unter dem Cammergerichte desz Röm. Reichs stehen/ nachdemmahl auch klärlich ausz obgedachten zuersehen ist/dasz die Herzn von Ameland zu der Zeit in den selben Landen haben geexerciret hohe Jurisdiction und alle andere Gerechtigkeiten/ so zu einer hochen/ freyen Herzlichkeit gehöret/ wie sie dann noch heutiges Tags thuen; Musz ja ausz allen disen Reden/ und Fundamenten verstanden werden/ dasz die vorgesagte Herzlichkeit ressortire immediate unter dem Röm. Kayser/ etc. wie auch dasz dieselbe successirlich von dem Röm. Kayser zu Lehen empfangen/ und gehalten gewesen seynd/ etc. Worausz dan weiter erfolgt/ dasz nach Absterben der vorigen Herzen von Ameland bey seinen Successoribus feudalibus kein Confirmation oder neüe Investitur wegen der Herzlichkeit von Ameland zu behörlicher Zeit bey die Kayserlichen Mayt. ist ersucht worden/ solche Herzlichkeit wider an die Kayser verfallen/und also jetzo Kay. Mayt. solche zuverlehnen/ dem ihme beliebt/ und der es zulehen ersuechen mögte/und thuen/ was sich gebühret/ etc.

Weiter nachdem nicht wird befunden/ dasz die Herzlichkeit von Ameland ein Lehen seye/ welches wir in Holland nennen/ ein Recht/ oder Quaat-Lehen/ welches nur allein kommen kan auff

auff die Descendenten von dem ersten Lehenmann in lineâ masculinâ, dasz darumb nach Rechte gepræsumirt / und verstanden werden musz / dasz es seye ein gutes Lehen / darin auch Frauen Personen können succediren / und welches in achters Kindern nicht verstirbt / wie dan bey die disposities van Joɂka Koɂhoma / und Eybert Beythoma / wie auch ausz der Caminga Testamenten zuersehen ist / daszdie vorgesagte Herzlichkeit nicht allezeit bey dem Geschlecht der Caminga ist gewesen / besondern dasz vor / und nach Besitzere darvon gewesen / Saszke Tonia / und Kiszka Jelmera / Grosz- und Elter Vätter respective von dem alten Peter Caminga von der Mutter wegen / auff welche die Herzlichkeit ausser allem zweyffel per lineam fœmineam ist gesuccediret / quæ consuetudo in succedendo observata, Feudi naturam optimè declarat, atque si semel ad fœminas Feudum pervenerit, perpetuò ad fœminas sit transitorium, &c.

Also geadvisiret in dem Gravenhaag / den 10. Novemb. Anno 1634.

(L. S.) Theod. Graswinkel.

Lit. O.

Instrumentum publicum Notarii Schol.

Op huyden den 30. October in 't Jaar onzes Heeren 1654. heeft den Wel-Edlen, Manhaften Overften, Carel van Dyk, my ondergeschreven Notarien in zyne Herberge alhier tot Leuwaerden by hem ontboden, en my aldaar te erkennen gegeven, hoe dat zyne Wel-Edl. van zyne Keyzerlyke Majesteit Bevel en Patenten hadde, om eens daar van aan den Heer Watzo van Caminga, dien tyd zynde tot Leuwaarden, en het ander aan de Onderdanen en Ingezetenen van 't Eyland en Heerlykheid Ameland, te

te overleveren; daarom my verzogt, zodanige insinuatie benevens zyn Wel-Edle te doen, en 't geene by overleveringe mogte passeeren, goede notitie te nemen, en voor myn salaris een schriftelyk Document daar van te verveerdigen.

Waar op zelvigen dags de klokke 10. uuren voor de Middag, na Caminga's Huys, staande in de Stad Leuwaarden, met welgemelden Oversten my vervoegt, alwaar een Knegt van welgemelden Heeren Caminga tot erscheen gekomen, denwelken den Heer Oversten van Dyk gezeyd, dat hy zynen Heere hadde te spreeken, daar op den Heer Caminga ons in het Salet, in 't Voorhuys ter rechterhand zynde, heeft laten by hem komen: Waar op terstond na onderlinge salutatie, den Heer Overste den Heer Caminga gezeyd heeft, dat hy een Bevel van zyne Keyserlyke Majesteit hadde, om aan zyne Wel-Edl. over te leveren, om zyn Verklaaringe en Antwoort daar van te verstaan, mits dien 't zelve Mandaat, zynde in het Latyn geschreven, en met dezen Keyzers Naame FERDINANDUS, kort onder geteekent; wat lager, Ferdinandus Comes Curtius, en beneden op 't zelve Patent, Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium I. Walderode, met een groot Segel van zyne Keyserlyke Majesteit in rooden Wassche besegelt, den Heer Caminga gepresenteert en overgelevert, heeft den Heeren Caminga aangenomen en door gelezen; waar op den Heer Oversten den Heer Caminga staande perplex en verslagen gevraagd, wat hy hem daar op verklaarde, heeft den Heere Caminga voor Antwoord gegeven, dat hy hem daar op zo haast niet koste resolveeren Antwoort te geven; het Eyland Ameland hadde nogtans den Keyser Maximilianus aan zyne Voor-Ouderen vry en absolut gegeven, dat ze niet behoorden verder erkentenisse daar van te doen; heeft vorders gevraagt, waarom den Heer Plettenberg niet wederom quam, 't zelve hy nogtans beloofd hadde; heeft den Oversten Dyk daar op geantwoord, dat hem zulken onbewust waare, alleen zyne Edl. wilde den Heer Caminga, als een Vriend, waarschouwen en raden dat hy verder hem niet tegens Keyserl. Majesteits Mandata zoude opposeeren, nog op Ameland laten vinden, daar op den Heer Caminga gezeyd, alzo geweld quam, zo moeste hy wyken; waar mede wy afscheit genomen.

En

En hebbe ik onderschreven Notarius noch ten zelvigen dagen met welgemelden Heer Overste my op de reyze na Ameland begeven, alwaar wy 's anderen daags aangekomen, en den Heer Oversten den Regeerders van 't Land voorf. heeft laten aanzeggen, dat zy volgendes daags t'zamen zouden compareeren, in 't Dorp Ballum, in de Secretary, alwaar ook het Slot of Huys van Ameland staat, en dat gemelden Heer Oversten van wegen zyne Keyzerl. Majesteit iets hadde voor te dragen; alwaar den zelvigen voorschreven dag de Borgermeesteren en Gevolmagten van alle drie Dorpen van 't Eyland, als Ballum, Hollum en Nesse zyn gecompareert; den welken den Heer Oversten van Dyk het Keyserlyk Mandatum, wezende gelykformig ondertekent en besegelt, als voorschreven, heeft overgelevert; die het gezamentlyk ongerefuseert hebben aangenomen, en het zelve gesien hebbende, hebben daar op gezeyd, zulks in Latyn zynde, zy niet kosten verstaan, heeft alzo den Heer Overste terstond 't zelve in Nederduyts laten overzetten, en op den agtermiddag overgelevert; 't gene hun laten voorgelezen; waar op zy gezeyd, dat zy hun geene Partye zouden maken, noch den Heere Zuhm, als van zyne Keyzerlyke Majesteit hun voorgestelden Heere, tegen zyn. Waar op den Heer Oversten hun geseyd, dat zy hun wel moesten wagten, dit Bevel niet gelyk den voorigen, niet te gehoorsamen, en den Caminga, na als voor, voor haaren Heere te kennen, en alle Contributien, Pachten en 's Lands Opkomsten te contribueren, maar alleen den Heer Zuhm dat alles te doen, ofte dat anders sints qualyk tegens hun zoude geproceedeert worden, gelyk zy dan ligt kosten afnemen, dat zyner Keyserlyke Majesteit zodanige henwerpinge en verachtigheit niet langer overzien zou worden, maar hun de straffe in dit Placaat verhaalt, voorzeker zoude overkomen. Waar op zy voorige Antwoord gegeven, alzo hun wel bewust ware, dat zy, en het Eyland Ameland nu en tot allen tyden onder den Keyser en het Roomsche Ryk gestaan, en niemand anders iets ichtes op zy gepretendeert, als zy maar voor den Friesen Heeren, tegenwoordigen Heere Watzo van Caminga konden beschermt worden, en ongemolesteert blyven, en dat zy voor lang gewenscht hadden, den Heere Zuhm tot Heere op 't

 Land

Land mogten hebben; waar op den Heer Overſten Afſcheid van hun genomen, en wy wederom na Leuwaarden zyn vertrokken.

„ Dit alles alzo in der Waarheid gepaſſeert zynde in myner tegenwoordigheid, hebbe dit zelve, daar toe verzocht zynde, ſchriftelyk vervat, en met mynen Name en Notariat teeken beveſtigt, gelyk den Heer Overſten van Dyk 't zelve mede ondergeſchreven, en Joris Langers, als Getuigen. Actum Leuwaarden den 8. Dag van November Anno 1654.

Carl van Dyk Ov. Gurgen Langers,

(L. S.)

Johan Schol, Geadmitteerden Notarius Publicus van den Hove van Friesland.

Lit. P.

C O P I A.

Atteſtati Caſ. 19. *Junij Anno* 1673.

CUm Sacræ Cæſareæ Majeſtati, Domino Noſtro Clementiſſimo, Emanuel Dilger mercator Gedanenſis humillimè expoſuerit, qualiter in cauſa quadam coram Senatu Regni Scotiæ inter quosdam Henricum Andream Navarcham, & Jacobum Duglas Capitaneum ſuper abductâ exponentis navi vertente; cùm dictus Henricus Andreas exponentis Navarchus aſſerat, Inſulam Amelandiæ partem Imperii, & feudum Imperio ſubditum eſſe, adeoque dictam navem ſub eo prætextu quod à memoratæ Inſulæ incolis veheretur, capi atque abduci non potuiſſe; à dicto Senatu Scotiæ documentum jam memorati ſui aſſerti requiratur, humillimè ſupplicando, ut cùm id apud Excelſum Conſilium Imperiale Aulicum

cum sit notorium, de eo pro justitiæ adjumento, authenticum sibi attestatum expediri clementer demandare vellet; Et verò altememorata Sua Majestas Cæsarea supplicantis precibus in dicto suo Consilio Imperiali Aulico omninò annuendum, attestandumque in veritate censuerit, quod Insula Amelandiæ in Oceano Germanico ad oram Occidentalis Frisiæ sita Dominium & feudum sit Sacri Imperii, utpote de quo eadem Sua Cæsarea Majestas non solùm anno 1661. die 11. mensis Aprilis Matthiam Dögen, Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliarium ritè ac postremò investivit, verùm etiam anno 1665. bello Anglo Batavico durante litteris suis tàm ad Serenissimum Magnæ Brittaniæ Regem, quam ad Generales Fœderati Belgii Status datis se clementer interposuit ad hoc, ut præfatæ Insulæ tanquam Imperii feudo non minus dicti belli tempore neutralitas, ac commerciorum securitas concederetur, ac præstaretur, quàm ipsa eam securitatem atque neutralitatem olim tempore belli Hispano-Batavici à parte utraque habuerit, obtinuerit, eâdemque gavisa fuerit: Ideò documentum hoc desuper sigillo suo Cæsareo munitum, eidem extradi jussit, quod signabatur in Cancellaria sua Imperiali Aulica Viennæ 19. Junij anno 1673.

Lit. Q.

Extractus Responsi Fiscalis Statuum Generalium, de 15. Maij 1645.

VIsis, lectis & maturè perpensis considerationibus mihi à Celsissima atque Illustrissima Domina Principe Arausionensi clementissimè exhibitis circa Amelandici territorii jura & distractionem, quæque in disceptationem venire ac moveri possint.

Salvâ melioris Opinionis reverentiâ, non est, ut alia sub incudem revocentur, quam quæ in intima causæ se penetrant: Quapropter immotum est, Dominum Ernestum Zuhm, non aliter hîc attendi posse, quàm qui sit impetrans feudi seu beneficii, quod aper-

apertum fuerit Domino feudi ob homagia non præstita, atque investituras successivè peti intermissas: Extra hoc illud præcipuum, liqueatne, Amelandiam esse Imperii feudum? Et utique est firmum mihi, utpotè qui Instrumenta & Diplomata Principum viderim, Amelandiam esse Imperii feudum: Hinc duo porismata; Prius est, feudum Domino apertum, ab eodem Domino impetrari à quolibet, extraneo quoque, omni jure posse. Posterius, talia semper esse feuda, qualia tenor investituræ demonstret. Agnovit (ut liquet ex Diplomatum aspectu) Imperator hoc feudum non uno seculo; agnoverunt Burgundi Principes; Ipsi Camingani (quod ex ipsorum literis claret) haud aliud habendum esse hoc territorium, quam pro feudo Imperiali, non semel sciverunt: Hæc autem & agnitio & Vasallitica confessio, si tenori investituræ jungantur, quin feudi naturam, conditionem, ac statum in aperto constituant, ambigi non potest. Addo ex vero, & scientia certa, Illustrissimos ac Præpotentes Dominos Ordines Belgii Fœderati nullam dicam Ernesto Zuhm movisse ob hanc Imperatoriam Investituram, quàm tamen à subditis ob temporis & rerum conditionem, prudenter non minùs quàm cordatè, obtentam noluerunt; Frisia etiam, si quidquam Juris prætendit, perperam facit, & contra rem ab ipsis Frisiæ Ordinibus ante complura secula, solenniter ad id congregatis (Statische wyse) decisam: Quæ à me hîc adseruntur, quæ negantur, sunt mihi compertissima; ex certa scientia, utpotè qui omnia viderim, perviderim, examinaverim, & in cœtu Dominorum Ordinum Generalium defenderim. Hagæ 15. Maji 1648.

(L. S.)

THEOD. GRASWINKEL.

Lit.

Lit. R.

COPIA LITERARUM,

Ordinum Generalium ad Cæsarem d. Anno 1654.

SERENISSIME Potentissime atque Invictissime Imperator. Certô nobis constat relatu, Cæsaream Majestatem Vestram vigesimâ Julij recentèr elapsi, in Imperiali ejusdem Judiciô promulgari voluisse sententiam in detrimentum quidem Domini Valerii à Caminga, Domini de Amelandia, ad incrementum autem Ernesti Zuhm latam, quæ potissimùm concernit investituram & Dominium præfatæ Insulæ Amelandiæ; nec minùs Dominum Episcopum Monasteriensem authoritate donâsse supradictam sententiam executioni mandare, atque Ernestum Zuhm reali in dictam Insulam immissione juvare; quod ipsum, cum nobis præter omnem expectationem acciderit, supersedere non potuimus Cæsaream Majestatem Vestram hiscè enixissimè pariterque amicissimè pro mutuâ vicinitate rogare, ne gravetur seriô ac paratô mandatô ita prospicere, ubicumque illud convenit, ne memoratus Dominus à Caminga, Dominus de Amelandiâ, in indubitatô suô jure & justâ possessione turbetur, sed ut potius jussa, huic in contrarium data, revocentur, quò sic mutuæ Amicitiæ cultus & vicinitatis nexus inter Cæsaream Majestatem Vestram, Sacrum Romanum Imperium, atque hunc Statum magis ac magis corroboretur & propagetur; quibus finientes, Serenissime, Potentissime, atque Invictissime Imperator, Deum Opt. Max. ut Cæsaream Majestatem Vestram sospitem conservet & diu prosperè ac feliciter regnare velit, rogamus: Datæ Hagæ Comitis die 10. Decembris 1654.

Cæsareæ Majestatis Vestræ

Ad quævis officia paratissimi

Ordines Generales Unitarum Provinciarum Belgico Germaniæ.

Henricus Wolffsen, Vt.

Ad Mandatum Eorum N. Ruysel.

Lit.

Lit S.

COPIA LITERARUM,

Ad Sacram Cæsaream Majestatem, Ordinum Frisiæ Delegatorum. Leovardiæ 13. *Novembris* 1651.

INVICTISSIME CÆSAR, &c. Ordinum Frisiæ Delegati ex relatione Illustrissimi Comitis Guilielmi Friderici, Comitis Nassoviæ, &c. Gubernatoris & Capitanei Generalis Frisiæ, Groningæ, Omlandiæ & Drenthiæ, informati, quatenùs Sacra Cæsarea Vestra Majestas compositis ad memoratum Comitem literis declaravit, quod Ernestus Zuhm Dominium Amelandiæ à Vestra Majestate in Feudum obtinuisset, petiissetque insuper opera & Authoritate Vestrâ Cæsarea in ejusdem Possessionem immitti, necessarium arbitrati sunt, Vestræ Majestati per hascè præsentes exponere, quod inter cætera, quæ humeris suis sufferunt, ad hoc etiam singularem curam habeant, qualiter prætacto Dominio in necessitatibus prodesse ejusdemque Libertates & Privilegia conservare valeant, ut verò in id sedulò allaborent, multa ipsos movent, sententia in Frisiâ lata super Jurium huic Insulæ competentium adjudicationem: indubitatum, & longâ annorum serie inveteratum Familiæ Caminganæ Jus & Possessio: Associatio denique & vicinitas Amelandiæ, Frisiæque ad asserenda ejus jura ac honores haut leviter impellunt. Quapropter etiam confidunt dicti Ordinum Frisiæ Delegati, si Sacra Cæsarea Vestra Majestas justâ ratione supputet & quæ circa Jurisdictionem & Regimen Amelandiæ ejusdemque Dominorum omni tempore acta gestaque, & ab Imperatore Maximiliano Divæ memoriæ, cæterisque Frisiæ Dominis seu Præfectis confirmata sunt, nunquam concessuram præfatam Vestram Majestatem, ut præsens liber & Hæreditarius, sæpe dictæ Insulæ Dominus, Watzo à Caminga in legitimâ & immemoriali suâ possessione ullô modô inquietetur, turbeturve, sed contra potiùs

ziùs omnes Libertates, Privilegia & Jura Amelandiæ adversus omnem omninò violentiam & injuriam vindicaturam. Id quod dicti Ordinum Frisiæ Delegati certâ fiduciâ à Vestra Majestate expectantes, offerunt eidem omnia benevolentiæ & observantiæ officia, quæ suprascripta Vestra Majestas ullâ ratione aut jure à Populo Sibi fœderatô exoptare posset: Datum Leovardiæ Frisiorum ipsis Idibus Novembris M. DC. LI.

Vestræ Majestati, Imperioque

Deditissimi Ordinum Frisiæ Delegati.

FRID. ROORDA, Vt.

Ad Mandatum eorundem signatum

S. BEYMA.

Lit. T.

COPIA

Schreibens / an Ihro Kayserl. Majest. von Graff Wilhelm Friderich zu Nassau /

Den 7. Decembr. Anno 1651.

Aller Durchleüchtigster / Großmächtigster / Unüberwündlichster Römischer Kayser. Ew. Kayserl. Majest. seynd meine allerunterthänigste Pflichtschuldigste / und gehorsambste Dienste besten Fleisses jederzeit zuvor / etc. Allergnädigster Kayser und Herr.

Das Ew. Kayserl. Majest. sich

X

sich belieben lassen mir Allergnädigst zubefehlen / dero Commissario zu Bremen Johann Behrn in apprehendirung der Insul Ameland / alle Beförderung zu thun / und mit arbeiten zu helffen/dasz Herr Ernst Zuhm in die possession solcher Insul immittirt werden möge / solches habe ich mit mehrerm ausz Ew. Kayserl. Majest. allergnädigst sub dato Wienn den 13 Juny abgelassenen / und mir in dero Kayserl. Statt Aachen überlifferten Schreiben mit unterthänigster demüthigster Reverentz verstanden.

Gleich wie ich nun meines Orts nichts höhers und liebers wünsche / als nur einige occasion zu erlangen/ Ew. Kayserl. Maj. mit darsetzung meines eüssersten Vermögens mich allerunterthänigst meritirt zu machen.

Nachdeme ich aber vom gedachten Commissario im geringsten nichts vernommen / sondern allein gehört/ dasz gedachter Herr Ernst Zuhm mit etlichen Soldaten einen Anschlag auff besagtes Ameland gehabt / und vermeint / den jetzigen Inhabern Freyherrn von Camminga bey Nacht mit Gewalt allda hinwegzuführen / so aber / gleich mehr andern Anschlägen miszglückt; Dahero die Herrn Staaten der Provintz Frieszland / unter deren protection gedachte kleine Insul liegt / nöthig befunden / alsobald ein Kriegs-Schiff auff den Stromm zu legen / und gemeldten Freyherrn vor weitern Unheil und Uberfall zu beschützen / und zu befreyen. So habe ich disem zufolg ausz gewissen erhebenden Ursachen nöthig befunden / nicht allein gedachten Herrn Staaten der Provintz von Frieszland Hochwolgedachter Ew. Kayserl. Majest. gnädigstes Schreiben copeylich mitzutheilen / sondern auch ermeldten Freyherrn von Camminga ernstlich ermahnet / sich der Gebühr gegen Ew. Kayserl. Majest. zu verantworten.

Was nun gedachte Herrn Staaten der Provintz von Frieszland gut gefunden / darauff sich zuerklären / wie auch wessen sich gemeldter Freyherr von Ameland gründlich / und wolmeinendlich vernehmen lassen / solches geliebe Ew. Kayserl. Majest. ausz mitkommenden Original-Schrifften Ihro durch dero hohe Bediente unterthänigst fürtragen / und referiren / und sich also gnädigst darauff vernehmen zu lassen / wie diszfalls

Ihr

Jhr sonderbares starckes Vertrauen in Ew. Kayserl. Majest. Güt- Mild- und Gerechtigkeit gerichtet ist / mit angehengter unterthänigster Versicherung / daß mehr hochgedachte Herzn Staaten von Frieszland nicht allein sich jederzeit zu Unterhaltung guter nachbarlicher Respondentz / und Neutralitet mit Ew. Kay. Maj. und dem Heil. Röm. Reich gantz auffrichtig erbiethen / sondern auch offtgedachter Herz von Ameland demüthig bittet / Ew. Kayserl. Majest. gelieben allergnädigst ihn bey seiner wolhergebrachten Possession zu schützen / und zu beschirmen. Welches er neben den seinigen umb Ew. Kayserl. Majest. und dero allerhochlöblichst Ertz-Hausz hinwiderumb allerunterthänigst zu verdienen jederzeit schuldig / und verpflicht sich erkennet. Und meines Orths trachte ich nach nichts höhers / als nur die Gelegenheit zu erlangen / in Ew. Kayserl. Majest. Diensten emploirt zu werden / und in aller unterthänigkeit / und tieffester Demuth meinen grossen Eyffer / und Treue deroselben zu dienen / allergehorsambst an Tag zu legen. Jn erwartung solchen Glüks thue Ew. Kayserl. Majest. unterdessen dem Allmächtigen höchsten GOTT zu allen Kayserlichen gesegneten Wolstand / glüklicher Regierung / und beständiger Gesundheit / deroselben aber zu Kayserlichen Hulden / und milden Gnaden mich allerunterthänigst / und gehorsambst empfehlen. Gegeben in 's Graven-Haage den 7. Decemb. 1651.

Ew. Kayserl. Majest.

Allerunterthänigster gehorsambster
treuer Diener / und Knecht /

WJLHELM FRJEDRJCH /
Graff zu Nassau.

Lit. V.

C O P I A

Rescripti Cæsarei ad Wilhelmum Fridericum, t.t. Comitem Nassoviæ, Gubernatorem Frisiæ, die 15. Februarii, 1653.

Ferdinand der Dritte Uns ist dein gehorsambstes Antwort-Schreiben vom 7. Decemb. deß verschienen 1651. Jahrs auff das jenige / so wir kurtz vorhin den 13 Junij an dich abgehen / und begehren lassen / Unsern Commissario Beer in apprehendirung der Insul Ameland für den von Uns investirten Ernst Ruhm verhülflich zu seyn / zurecht gelieffert / und so wol auß demselben / als denen von der Friesischen Stände delegirten / und deß jetzigen Detentoris von Camminga beygeschlossenen Berichten / und vermeintlichen exceptionen umbständlich referirt worden / warumben gedachter Unser Commissarius an Vollziehung der jhme anbefohlenen Immission / welche durch der Friesischen Stände / sich daselbst opponirende Soldatesca Gewaltthätig verhindert worden / auch wessen du für deine Person dich gehorsambst erbietest. Gleich wie Uns nun deine dabey bezeügende gehorsambste devotion zu sonderbarem gnädigsten Gefallen gereichet / und zu Kayserlicher Gnad an- und auffgenommen wird / also haben wir auch nicht unterlassen / diese Amelandische Sach wieder von neüen durch unsern Kayserlichen Reichs-Hoff-Rath examiniren / und fleissig erwegen zu lassen;

Wann dann auß denen bey den Actis producirten Glaubwürdigen / auch numehr von dem Camminga selbsten zum theil allegirten / und nicht widersprochenen Documentis gnugsamb erscheinet / und erwiesen ist / daß die Insul Ameland nicht allein dem Heil. Röm.

Reich

Reich unterworffen / sondern auch von uns / und demselben zu Lehen rühret / und dahero denen Camminga / und Ameländern als deß Reichs Unterthanen keines weegs gebühret / sich von desselben Bottmässig- oder Lehnbarkeit zu entziehen; weniger unsern Kayserlichen Commissario mit gewaffneter Hand / auch Anruff / und Auffwieglung frembder Völcker sich zu wiedersetzen.

Als ist so wol auff Unsers Kayserlichen Fiscalis / als deß von Uns Investirten Ernst Zuhm allerunterthänigstes Anhalten von Gericht- und Rechts wegen inliegende Paritori wider den jetzigen Detentorem erkennet / benebens auch an die Unterthanen bemeldter Insul anderwärtige gehorsambs Patenten außgefertiget worden: Wir haben auch deßwegen die von denen Staaten in Frießland angezogenen Fundamenta / warumb sie vermeinen wollen / sich deß Camminga wider Gewalt anzunehmen befügt zu seyn / umb so vil weniger für erhöblich befunden: in Ansehung die von demselben allegirte also genannte Sententz / wann man das Original / oder Transumpt in Friesischer Sprach ansehen wil / nicht eigentlich für eine Sententz / sondern vielmehr für eine Bekantnuß der Frießländer zu halten / darinnen sie erklären / daß die Ameländer frey / quit und unbelästiget seyn sollen von allen Rechten und Aufflagen / von Ferwerder-Theil / oder einigen anderen Theilen in denen Landen Ostergau und Westergau / und daß dises alles also vest gehalten werden solle: woraus dan vielmehr eine verbüntliche Schuldigkeit der Frießländer die Ameländer unter ihre Jurisdiction oder Bottmässigkeit gar nicht zu ziehen / als einiges Jus, und dessen prætext / sie sich einigen Schutzes / oder anderer Gerechtigkeit über dieselben anzumassen haben sollen / klar erscheinet: welches auff Freund-Nachbarliches klagen / und ersuchen der Ameländer / da sie sich wider solches ihr Recht beschwärt befunden / ehe dann sie die Sach vor die höchste Obrigkeit zu bringen für nöthig befunden / wol geschehen können.

Was aber die fürgeschützte Jura der Nachbarschafft / und Association belangt / da sich etwas verbrieffetes darüber befände (davon Uns biß dato nichts vorkommen) könte so weit ge-

duldet / und tolerirt werden / als weit die selbe in Terminis Juris Naturalis, & puræ defensionis contra vim, & injuriam bestehen: dasz aber jemand hierausz eines Befügens über das jenige / was von der rechtmässigen höchsten Obrigkeit rechtlich gesprochen / und verordnet worden / zu judiciren und denselben sich zu widersetzen / oder andern solches zu thun Anlasz zu geben / sich anmassen solten: liesse nicht allein denen Juribus bonæ Vicinitatis zwischen uns / und dem Reich / und denen Vereinigten Niederländischen Provintzen: wie nicht weniger der von den Frieszländischen Deputirten contestirten observantz / sonder auch dem Juri Gentium, und aller guten Ordnung zuwider.

„ Welchem allem nach / und „ weilen wir Uns gnädigst ver„ sehen / es werden weder die „ Staaten in West-Frieszland „ sich diser Sach weiter anzu„ nehmen / noch Uns / und das „ Heil. Röm. Reich an unsern „ Rechten zu beeintrechtigen „ nicht gemeint seyn / als we„ nig wir / und das Heil. Reich „ denen General / oder einigen „ particular Staaten der Ver„ einigten Niederlanden an der „ execution ihrer rechtmässigen „ Urtheil / und Verordnungen „ hindernusz zuzufügen / sondern „ vilmehr denen Rechten / und „ guten Ordnung ihren Lauff „ zu lassen gesonnen: So gesin„ nen Wir auch hiemit gnädigst „ an dich / dasz zum Fall viel„ bemeldter Detentor Cammin„ ga unter dem prefigirten Ter„ mino Unserer rechtmässig er„ gangenen Kayserl. Urtheil „ nicht pariren solte / alsdann „ du nicht allein vor dich selb„ sten dem Investirten Ruhm „ zu apprehendirung der Pos„ sess verhülfflich seyn / son„ dern auch die Stände in Friesz„ land eines gleichmässigen er„ inneren / und sie von aller „ weiter resistentz / und Ge„ walthat ernstlich abmahnen „ wollest.

Regenspurg den 15. Febr. 1653.

Lit.

Lit. W.

Extractus Mandati Civitatis Amstelodamensis d. 14. Martii 1675.

